A

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO

MDCCXXXVI

publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Prostant apud JO. GROSSII Hæredes,
JO. FRID. GLEDITSCHII B. Fil.
ET
MAURIT. GEORG. WEIDEMANNUM.
Venduntur etiam Amstelodami in WAESBERGIORUM
& WETSTEINIORUM officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. MDCCXXXVI.

Lectori Salutem!

Idem nunc facimus, quod facere sub anni exitum jam dudum consuevimus. Omnium primo loco ad Deum Optimum Maximum, felicitatis, si qua esse potest in humanis rebus, & autorem & conservatorem benignissimum, nostra pietas convertitur. Quem, ita nobis inde a tot annis propitium, ut nulla unquam nec externa temporum calamitas, nec injuria malevolorum, nec si quid aliud infestum & perniciosum bonis literis putatur, dejicere nos loco nostro, aut infringere ferreum illud nostrum, publica curandi commoda, studium potuerit, sancte suppliciterque veneramur, &, ut porro nobis bene esse ac beate patiatur, pie submisseque precamur. Deinde Augustissimum Regem nostrum, Patrem Patriae indulgentissimum, quo non forma & virtute excellentiorem Herculem, non Pieri-

Pieridum amantiorem Apollinem, prisca tempora finxerunt, præsidium illud ac firmamentum nostrum, tuendum servandumque satis commendamus, ac pro incolumitate ejus publica & ardentissima vota facimus. Quæ si rata esse supremus omnium rerum arbiter ac moderator jubeat, ut sub imperio tam auspicato lætiora in dies honoris gloriæque suæ incrementa videat Saxonia, jam jucundissima cogitatione futuræ ætatis otia felicitatesque præcipimus. Præterea tot amicorum, quos ipsa hæc Acta, & labor ille noster pertinax, studiumque æquitatis, nobis comparavit, benevolentiam ac voluntatem nobis gratulamur, hanc industriæ nostræ & vigiliarum nobilissimam mercedem iudicantes, & fortissimo hoc munimento adversus invidorum, quibus carere nunquam virtus potest, turpissima consilia utentes. Ita recto pede longum illud, ante annos quinque & quinquaginta cœptum, iter prosequimur, & in ipso senectutis nostræ limine alacritatem quandam juvenilem & insolitum vigorem sentimus. Tu modo, studiose nostri Lector, ne nos aliquando malus quidam torpor occupet, conatus nostros, quod olim fecisti, in posterum juvare perge, &, quo nihil magis sustinet ardorem nostrum, porro nos ama.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXXVI.

JO. BAPTISTAE DONII, PATRICII Florentini, Inscriptiones antiquae, nunc primum editæ, notisque illustratæ, & XXVI Indicibus auctæ, ab ANTON. FRANC. GORIO, Publico Historiarum Professore. Accedunt Deorum Aræ, Tabulis æreis incisæ, cum Observationibus. Tomi II.

Florentiæ, e regia Typographia Magni Ducis Etruriæ, 1731, fol. Tom. I Alph. 4 pl 4, Tabb. æn. 11. Tom. II Alph. 4 pl. 5, Tabb. æn. 2.

Jo. *Baptista Donius* Patricius, & *Urbani VIII*, Pontificis, a Secretis, & cum apud ipsum, tum apud Cardinalem, *Franc. Barberinum*, Seniorem, gratiosus fuit. De cujus vita, quoniam Cel. *Gorius*, cum primum reliqua ejus inedita scripta in lucem proferet, accurate exponere constituit, nihil nunc attinet dicere. Is luculentum Inscriptionum antiquarum Volumen reliquit, in patria inceptum, & cum in itineribus per omnem Italiam, Galliam, & Hispaniam, factis, tum Romæ tandem continuatum, & ita auctum, ut cum ipso *Gruteri* Thesauro comparari posse videretur. Numerus enim Inscriptionum jam ante ad sex millia excreverat, quam ab augendo opere mors ipsum abstraheret, & inter ipsas Inscriptiones multæ erant plane singulares, in qui-

bus nomina Deorum, Magistratuum, officiorum, & alia, nondum eo tempore audita, occurrerent. Atque, ut eo rectius cum *Gruteriano* Opere posset contendi hæc συναγωγὴ, si quando prodiret in lucem, & esset usibus eruditorum accommodatior, qui semel *Gruteriani* Operis ordini & descriptioni adsuessent, servavit in digerendis Inscriptionibus & ipsos titulos *Gruterianos*, & titulorum seriem; quo consilio deinde alii etiam usi sunt, qui in hoc genere elaborarunt. Auctarii loco subjicere huic Volumini constituerat manipulum aliquot vetustissimorum Instrumentorum, hoc est, Chartarum, quarum magna pars in antiqua papyro, quam hodie corticem arboris vocant, scripta est, & Bibliothecæ Vaticanæ debetur. Hujus Operis quanta, vivo adhuc Autore, fama & expectatio fuerit, ex eo conjicere licet, quod summi illius temporis homines, *Grotii*, *Salmasii*, *Gronovii*, *Heinsii*, *Vossii*, *Petavii*, ac multi praeter hos alii, certatim *Donium* ad hoc Opus quantocyus edendum cohortati sunt, & *Nicolaus Heinsius*, eius se editionem adeo curaturum, ultro promisit. Sed non erat *Donio* fatum, ut ipse Opus hoc ederet, ac diligentiæ laborisque in eo colligendo consumti fructus perciperet, sed Cel. *Gorio* potius, ut ad ceteras ejus immortales laudes editi quoque *Doniani* thesauri gloria tanquam cumulus accederet. Ac ante *Gorium* quidem *Carolus Datus*, Patricius Florentinus doctissimus, exstitit, qui edendi hujus Operis in se susciperet partes; & jam titulum, qui in hac *Goriana* editione *pag. 561.* exhibetur, describeret, ac Indices se XXX confecisse, & Inscriptiones observationibus illustrasse, confirmaret, quarum quidem specimen eodem loco affertur; sed, dum paullo diutius rem differt, mors ipsum immatura occupat, atque *Gorio* hanc spartam melius ornandam relinquere cogit: cui quæ hoc *Gorianum* Opus, atque adeo ipse orbis literatus, debeat, age, paucis commemorabimus.

Octoginta & amplius anni elapsi a *Donii* morte erant, cum, deprecatore *Petro Andrea Andreinio*, Patricio Florentino, a *Donianis* hæredibus ad Cel. *Gorium* hic Inscriptionum

num thesaurus perveniret. Quo temporis spatio cum doctissimi homines, *Reinesii*, *Sponii*, *Fabretti*, aliique, in hac parte antiquitatis colenda ornandaque diligenter ac feliciter desudaverint, non potuit fieri, quin multæ ab iis occuparentur Inscriptiones, quæ, cum *Donius* viveret, a nemine editæ erant. Itaque Cel. *Gorius*, relictis omnibus, cum horum virorum συντάγμασι contendendum corpus *Donianum* putavit; quo facto, intellexit, e sex amplius millibus Inscriptionum antiquarum, vix bis fere mille sibi relictas esse, quas aut primus, aut emendatius superioribus, edere posset. In quo quantum laboris & molestiæ Vir Cel. devoraverit, facilius est cogitare, quam dicere. Ipse aliquando Cel. *Gorius* spem reipublicæ literariæ fecerat, edendi Inscriptionum ineditarum corporis, quas multo labore ex Manuscriptis codicibus Bibliothecæ *Marmianæ*, *Redianæ*, *Stroziæ*, aliarumque, collegerat. Sed, dum Opus *Donianum* tractat, eas omnes, præter perpaucas, quas huic Operi passim adspersit, a *Donio* occupatas esse, deprehendit. Ceterum, ex quo quaeque Inscriptio fonte, cum *Donianæ*, tum *Gorianæ*, repetitæ sint, curiosius notatum est, quam a ceteris, *Fabretto* inprimis, qui loca, ubi Inscriptiones repertae sunt, sæpissime neglexit; quæ res, etsi nullius fere momenti videtur, sæpe tamen multum ad illustrandas locorum & urbium antiquitates & historiam, præsertim veterem Topographiam Romanam, prodesse potest.

Erant in Codice *Doniano* etiam peregrinæ & barbaræ, inter easque multæ Etruscæ. Hæ cum jam editæ ab aliis sint, nullam sibi operam in iis collocandam Cel. *Gorius*, sed totam hanc Inscriptionum Classem resecandam, putavit. Instrumenta autem 22 antiqua, in papyraceis tabulis scripta, studiose retinuit, & notis illustravit; quod spicilegium post *Mabillonianas* & *Montefalconianas* messes quin gratissimum futurum sit antiquitatis & rei diplomaticæ studiosis, nulli dubitamus, inprimis cum ceteris omnibus vetustis monumentis sint rariora hujus generis instrumenta. Post appendicem tandem quarundam omissarum Inscriptionum, accessit aliud insigne instrumentum, in papyro Aegyptia exaratum,

quod continet donationem Ecclesiæ S. *Apollinaris*, Ravennæ factam, & ex Bibliotheca *Alteria* Romana communicavit cum *Gorio Franc. Victorius*.

Jam hunc omnem Inscriptionum & instrumentorum apparatum cum *Donius*, more *Gruteriano*, nudum, nullius illustratum observationibus, edere constituisset, Cel. *Gorius* ab ejus consilio, id quod e re literaria accidit, discedendum sibi putavit. Itaque magnam copiam doctissimarum observationum adjecit, quibus partem siglæ, partim verba, tituli, explicantur, ipsæ Inscriptiones interdum emendantur, sæpissime egregie explicantur. Multa ibi, ante etiam versatissimis in hoc genere inaudita & ignorata, traduntur, ex quibus inprimis *Gutherianus* de Officiis domus Augustæ Commentarius non modo passim illustrari, sed augeri etiam, potest; multa, obscura ante, explicata & in multa luce posita. Sæpe etiam, quæ mutilæ & corruptæ apud *Gruterum*, *Fabrettum*, *Sponium*, & *Reinesium*, Inscriptiones sint, & emendatius & plenius a *Donio* descriptæ, monetur, earumque omnium Index Operi subjectus est, ut eo facilius cum *Gruterianis*, *Reinesianis*, ceteris, contendi possint. Præter has observationes autem accessere, qui in hoc genere librorum utilissimi sunt, Indices multiplices & locupletissimi, *numero XXVI*, incredibili labore confecti, & in modum *Gruterianorum*, & *Reinesianorum*, quem nunc *Gudianarum* Inscriptionum editores secuti sunt, adornati, hoc uno discrimine, quod primo duos Indices *Gruterianos*, quorum alter, quæ ad sepulchra & monumenta & memorias pertinent, alter, quæ jura sepulchrorum & leges spectant, exhibet, ad unum redegit; deinde vero tres alios, nempe unum vocabulorum, aut rariorum, aut inusitatam potestatem subjectam habentium, alterum rerum notabilium, in Tabulis papyraceis occurrentium, tertium earum rerum, quæ notis *Gorianis* illustrantur, adjecit. Hos Indices qui vel obiter inspiciet, facile, quanta ab hoc Opere rei antiquariæ lux, quantum incrementum, sperandum sit, conjecturam poterit facere. Quot enim nova ibi & incognita ante Deorum epitheta, quot Familiarum Romanarum ante inaudita nomina,

quæ

quæ etiam asteriscis a reliquis jam cognitis discernuntur, quot vocabula ante ignorata, aut inauditam vim habentia, quot officia domus Augustæ, ante aut plane incognita, aut plerisque certe, quot alia hujusmodi, quæ scire antiquitatis studiosorum interest? Sed, ut est pæne major iste humana patientia labor, inprimis apud ingeniosiores & excitati animi homines, (ut est enim quisque ingeniosior, & celeriores ingenii animique motus habet, ita solet esse hujusmodi laboris impatientior,) ita, hic quoque nonnulla prætermissa, vel obiter hos Indices inspicientes, intelleximus, cujusmodi est, quod inter vocabula rariora omissum est *Anabolium*, quod nemo, credimus, ante legit, aut audivit, nunc ipse *Gorius* se, quale instrumentum fuerit, ignorare fatetur. Jam hic consistere poterat, & his quasi finibus continere se *Gorianus* labor; sed, ut hic etiam agnosceres impatiens moræ studium *Gorianum* rei antiquariæ studiosis inserviendi, ecce tibi, velut auctarium quoddam, XII Tabulas, Aras Deorum & alia antiqua monumenta exhibentes, *Donianis* Inscriptionibus additas, & a Cel. *Gorio* explicatas, & luculentis observationibus illustratas, quarum in aliud utique tempus differre editionem poterat, quem nunc satis in Inscriptionibus prelo parandis collocatus fatigasset labor, & *Museum Florentinum* atque *Etruscum* pœne totum occupat, neque diu sinit aliis laboribus implicari, nisi has Tabulas diu ante incidendas æri curasset, atque Deorum aras & alia monumenta, a *Donio* accurate delineata, suis se observationibus illustrata editurum, promisisset, neque hanc exsolvendæ fidei occasionem non prætermittendam putasset. Sed, quoniam satis, opinamur, de Operis rationibus, modo, & descriptione, dictum est, age, bona, uti speramus, Lectorum cum pace, cum ex monumentis, tum ex Inscriptionibus, specimina afferamus, ut rectius de Opere hoc existimari possit, aut etiam hac tanquam gustatione ad ipsum Opus tractandum penitiusque cognoscendum invitari Lectores possint.

Tabulæ tres priores res ad Jovis recens nati notam omnibus fabulam pertinentes exhibent. In Tabula quarta autem elegans Ara *Mercurio* a *M. Fulvio Fausto*, milite veterano,

ex voto posita, in qua notatu dignum præter cetera est, quod primo *Mercurius* non modo *Augustus*, quod passim Diis tribuitur epitheton, sed etiam *Sanctus*, quod nusquam alibi invenias, nuncupatur; deinde quod pileum gestat Arcadicum, eumque quadratum, quo quidem etiam in *Ammiani* Epigrammate *(Anthol. Lib. II Cap. 46 n. 5)* inducitur ornatus:

Ἀρκαδικὸν πῖλον κατ' ἐνύπνιον ἀρκάδι δῶρον
'Ερμείῃ ῥήτωρ θῆκεν 'Αθηναγόρας &c.

denique, quod delphinus ejus pedibus adjectus est, qui, *Mercurium* navigationibus præesse indicat. Ceterum, *Mercurium πελάγιον* & *θαλάσσιον* a veteribus cultum esse, constat, & a Cel. *Gorio* in *Musei Flor. Vol. I pag. 144* jam observatum est. *Oppianus* etiam, piscandi artem, & ex ea lucri parandi rationem *Mercurio* deberi, tradit, eique piscatores voti causa instrumenta sua æque ac Neptuno dedicasse; & *Eustathius* ad primam Iliados Rhapsodiam, *Mercurio* sacrum fuisse piscem boacem, tradit, propterea, quod & nomine & oris magnitudine præconem Deorum non male exprimere videatur. Sed praeter ceteras Tabulæ *VI* & *VIII* gratæ esse antiquitatis amantibus debent. Sexta enim exhibet *Herculis* expiationem, & duabus columnis incisas ejus res gestas. Quæ Tabula eo gratior esse debet, quod ab ea petita est Inscriptio illa Græca, dialecto Dorica exarata, & non semel, v. c. a *Reinesio Class. IV n. 12*, *Sponio* in *Misc. pag. 47*, edita, qua labores *Herculis* commemorantur; quibuscum si quis hanc, quæ in *Doniano* hoc Volumine est, contenderit, facile intelliget, hanc multo illis esse emendatiorem, & minus mutilam, etsi nec ipsa plena est. Interpretatio, a *Gorio* adjecta, celeberrimum illum & Græcarum literarum peritissimum *Salvinium* autorem habet. Tabulam ipsam celeberrimus *Franc. Blanchinus* ad archetypi exemplum Tabulæ æneæ incidi curaverat, & illustrare ac in lucem edere constituerat, sed morte præventus perficere cogitata non potuit. Ejus autem ex fratre nepos, *Jac. Blanchinus*, Presbyter Congregationis Oratorii *S. Philippi Nerii*, Romæ hanc Tabulam æri incisam cum Cel. *Gorio* communicavit

mu-

TAB.



Fig. II.

B. I

municavit; qui, cum inter *Donianas* reliquas etiam hanc Inſcriptionem Græcam inveniſſet, ei hanc Tabulam adjiciendam putavit. Sæpius autem cum expiatus tot noxiorum hominum & belluarum domitor interfectorque fuerit, quæ potisſimum expiatio hac Tabula exhibeatur, requiri poteſt. Cel. *Gorius*, quoniam in ſuperiori Tabulæ parte Hercules immortalis ac divinus factus inter heroas jam igni expiatus, conſecratusque medius cernitur inter Satyros e Nymphis natos, & caput habet diademate revinctum, adjecta inſcriptione: *ἡρακλῆς ἀναπαυόμενος*, exhiberi putat expiationem, a Junone Argiva & a Victoria, ſeu Nemeſi, factam, antequam cœlum conſcenderet, ut in Deorum numerum reciperetur. Ceterum, alibi ſe fuſius & luculentius de hoc monumento acturum, promittit. In octava Tabula eſt imago Ciſtophori, Ædis Bellonæ Pulvinenſis ſepulchro, in honorem ejus condito, ſuperpoſita, nunc primum in lucem prolata, & digna viſa, quæ his *Actis* infereretur. Ciſtophorum autem vocarunt eum, apud quem ciſta myſtica ſervabatur, in qua ſacra arcana, ad cultum Bellonæ pertinentia, recondebantur, & qui eam in ſacris ejus Deæ deferebat. Eam ciſtam, e vimine confectam, & ad pedes Ciſtophori poſitam, diverſum habere ab illis operculum, Cel. *Gorius* putat, quibus in Iſidis, Bacchi & Cereris, ſacris utebantur. Eſſe enim non, ut in illis, planum, ſed tholi formam habere. Sed, quanquam hæ, quæ v. c. apud eum, quem ſtatim nominabimus, *Panelium* in numis ſunt, omnes plana opercula habent; tamen ab hoc *Goriano* parum aut nihil recedere videntur, quæ ſunt apud *Rubenium* ad numum, Aſia recepta, *pag.* 270 ed. *Græv.* In ejusmodi ciſtis quæ ſervata ſint, ex *Clementis Alexandrini* Admonitione ad gentes conſtat. Neque enim ibi tantum de ciſta Bacchi, ſed de ceteris omnibus, ſermo eſt, ut eſt a doctiſſimo *Philippo Bonarrotio*, Senatore Florentino, oſtenſum. A Ciſtophoris autem ſacrorum myſteriorum, ut hoc obiter addamus, numi Græci dicuntur Ciſtophori, quorum fit apud *Ciceronem* & *Livium* mentio, & de quibus ſuperiori anno *Alexander Xaverius Panelius*, e Soc. Jeſu, Lugduni Diatriben edidit doctisſimam,

TAB. I Fig. 1.

ſimam, a nobis plenius enarratam in *Actis Anni 1734 Menſe Jul. pag. 297;* cujus quidem vel hoc monumento *Goriano* refellitur opinio, quaſi κιϛοφόρος de numis tantum dicatur, de hominibus autem κιϛιφόρος vel κιϛηφόρος. Ex hoc itaque monumento illud etiam intelligitur, occulta fuiſſe Bellonæ ſacra, & myſteria. Hanc Bellonam Pulvinenſem vocari, Cel. *Gorius* putat, a pulvinis vel lectis, in ejus templo honoris cauſa, id quod pervulgatum eſt, ſtratis, propterea, quod non omnibus paſſim templis communis ille honor ſit, ut ex *Servio* ad *Virg. Georg. III 517* jam *Fabrettus* conjecerit. *Ager Apollinis argentei* autem eſt ager, qui in tutela Apollinis fuit, & cujus propterea argenteum ſimulacrum in ejus ædicula in tutelam agrorum poſitum fuit. Reliquum hujus Ciſtophori habitum, qui multa notatu digna habet, coronam & corallas ex aureis laminis, ut Cel. *Gorio* videtur, imagines Bellonæ, Martis, & Palladis Bellatricis, gemmis coronæ adjunctis inſculptas, fibulam elegantem, ſecures, laurum, cetera, ex ipſo figuræ conſpectu cognoſcere licebit. Tabula XI exhibet inter alia monumenta etiam unum, quod Græcam & Latinam inſcriptionem habet, cujus generis rari ſunt tituli ſepulchrales. Illud monumentum commune fuit *L. Auelio Lapyno Onagro*, & *L. Aurelio Sabino Doliario*, &, præter duplicem illum titulum, habet opus anaglyphum, in quo, quæ forma doliorum & diotarum fuerit, in quibus veteres vina ſervare ſolebant, obſervare licet. Doliarii nomen artis, an muneris, fuerit, non ſatis conſtat. *Pignorio* de Servis placet poſterior, Cel. *Gorio* prior, ſententia. *Doliariæ* officinæ ſæpe occurrunt in veteribus lapidibus; quæ res ſine dubio *Gorianæ* opinioni multum probabilitatis affert. Sed hac occaſione Cel. *Gorius* attulit inſigne monumentum, cui ſimile in
TAB. I magnis, quibus nunc abundamus, antiquitatis theſauris,
Fig. 2. ipſo *Gorio* fatente, nullum occurrit; unde gratum nos facturos antiquitatis amantibus putavimus, ſi illud ipſum his *Actis* inſereremus, quod ad pauciſſimos Lectorum noſtrorum ipſum Opus *Donianum* perventurum credimus. Eſt autem *Romana Amphora vinaria*, octo congios continens, adeoque

aureæ

48 ſextarios, vel duas urnas, A. 1728 inter rudera domus aureæ *Neronis* in hortis Farneſiis inventa, & a *Franc. Blanchino*, qui eam ſibiacquiſiverat, magni habita, id quod ex ea Epiſtola intelligitur, quam ad *Gorium* de ea ſcripſit, cum quod ejus forma diotæ *Horatianæ* reſpondeat, tum quod literæ primo Seculo ſcriptæ videantur, quæ in ea cernuntur. Quæ in prima linea ſunt, quomodo legenda ſint, ipſe *Blanchinus*, antiquitatis omnis peritiſſimus, ignoravit, & *Gorius* quoque ſe neſcire fatetur; niſi forte libræ vini indicentur, quæ, uti conſtat, octoginta eſſe debent. In ſecunda linea legit, *Ex Cellis*, ſeu *Cellariis*: in tertia eſt *L. Purelli Gemelli*, litera M vinum, v. c. Maſſicum, Mamertinum, aut Mæcenatianum, indicare videtur. Nomen ex adverſo ſcriptum obſcurum eſt. *Blanchinus* legit: *Caſenniæ*, eamque aut dominam agri fuiſſe putat, vbi vinum creverit, aut quæ illud miſerit. Cel. *Gorius*, ſi ea vera lectio ſit, eam potius indicari putat, cui Saturnalibus ex more Romanorum hæc amphora, vino repleta, donata ſit. Hoc loco multa doctiſſime de amphora diſputantur, quæ libenter referremus, niſi modum recenſionis juſtæ excedere vereremur. Itaque ad ipſas Inſcriptiones veniamus. *Claſſ. I. n. 84* eſt Inſcriptio aræ, *Aeſculapio Sancto, Servatori, & Hygeiæ*, poſitæ a *L. Aurelio Kalatino, augure Dei Solis invicti Mithræ*; quæ hoc nomine memorabilis eſt, quod etiam doctiſſimos, qui de his doctiſſime ſcripſere, homines, ex quibus *Philippum a Turre*, honoris cauſa, nominamus, latuit, in ſacris Dei Mithræ augures quoque adhibitos fuiſſe. Non minus memorabilis eſt, quæ proxime ſequitur, quod ex ea, Decuriatos fuiſſe Auguſtorum equites ſingulares, diſcimus, cujus rei aliud exemplum vix quiſquam ſe vidiſſe aut inveniſſe meminerit. *N. 129* ara eſt *Diis adhærentibus* ſacra; qui Dii quales fuerint, difficile profecto eſt dicere, cum nuſquam alibi eorum mentio fiat, niſi forte inde dicti ſunt, quod faveant hominibus præſentiſſimi, ac ipſis quaſi adhærere tutelæ cauſa videantur, quo ſenſu *proximi* in aris duabus votivis apud *Sponium pag. 96*, & *vicini* ac *propinqui* apud *Plautum* in Bacchidibus dicuntur. *N. 150*

Dea *Nortia* occurrit, quæ non ſolum Dea Sutrinorum & Vulſinienſium, quod e *Livio* & *Tertulliano* conſtat, ſed etiam Florentinorum, qui ante deductam Coloniam Triumviralem ea loca incoluerunt, fuiſſe videtur. Eadem Inſcriptio eſt apud *Gruterum*, ſed duabus lineis truncata, etiam in noviſſima editione, quod prætermiſit Cel. *Gorius* obſervare. Eadem eſt in Collectione *Gudiana*, quam *Gorius* nondum viderat, cum hoc Opus ederet, ſtatim *pag. 1*, ab ipſo *Gudio* viſa ac deſcripta, ſed paulum a *Doniana* diverſa. Nam apud *Gudium*, ut apud *Gruterum*, legitur: DEAE — — NORI; apud *Donium:* DEAE NORT — — ſed non dubium eſt, quin lectio *Doniana* recte ſe habeat, ſi vel recte deſcripta eſt a *Gudio* ex ipſo lapide. Ceterum ex hac & aliis Inſcriptionibus, in quibus *Nortiæ* nomen eſt, confirmatur vera lectio apud *Juvenalem Sat. X v. 74*, ubi lectiones & Interpretes mire variant. *Cl. II n. 1* eſt Inſcriptio aræ Libero Patri ſacræ, jam a *Reineſio* & *Sponio*, ſed corrupte, edita. In ea dicitur *Q. Vellius Annius* Præfect. Colleg. Fabrum & Procurat. Coll. Pellionariorum, *Scholam* de ſuo reſtituiſſe, h. e. locum, in quo conventus habebant Collegiati Fabrorum & Pellionariorum, & ſignum æneum dono dediſſe, & *Ceriolaria argentea* refeciſſe. Ceriolaria autem, quorum etiam apud *Gruterum* CLXXV, 4, mentio fit, Cel. *Gorius* dicta, non ſolum, quia cereos ſuſtinerent accenſos, dum ſacra fierent, verum etiam quia Deos Lares vel Genios referrent, qui ab Italis *Torcieri* dicuntur. Apud eundem *Gruterum* eſt *Lucerna Larum.* De his & aliis donariis alio loco fuſius ſe acturum promittit; quam fidem datam ut exſolvat, &, quod in Præfatione pollicetur, reliqua *Doniana* monumenta edere pergat, vehementer optamus, & Virum Celeberrimum vel reipublicæ literariæ nomine rogamus. Sed hic abrumpendam eſſe præſtantiſſimi Operis recenſionem videmus. Si enim, quicquid memorabile occurrit, afferre vellemus, nunquam fere de tabula manum dimoveremus. Unum adhuc monendum ducimus. Dum hoc Opus tractamus, venit nobis in mentem, quaſdam *Donianas*

nianas Inscriptiones etiam inter *Gudianas* nos observasse, quas, uti diximus, eo tempore nondum viderat *Gorius*; sunt enim eodem, quo *Donianæ*, anno editæ. Atque, id verum esse, instituta exigua (est enim plena laboris res,) collatione utriusque Operis, intelleximus. Nam, præter eam, quam jam attulimus, *Doniana Cl. II n. 55*, quæ apud *Fabrettum* corrupta est, eodem modo est inter *Gudianas* ex schedis *Salmasianis* descripta *pag. 84 n. 5*, & ibi quoque conjectura, linea sexta esse legendum: COS. II, quod *Gorio* quoque placet: *Don. Cl. III n. 66* est apud *Gud. pag. 94*, sed lineis quinque, apud *Donium* quatuor, & levibus aliis discrepantiis. Confer etiam *Don. pag. 527 Gud. pag. 365*, *Don. pag. 534 Gud. pag. 377*, *Don. pag. 543 Gud. pag. 382*, *Don. pag. 546 Gud. pag. 369*, *Don. pag. 402 Gud. pag. 282*.

JACOBI GRETSERI, SOCIETATIS JESU Theologi, Opera omnia, antehac ab ipsomet Autore accurate recognita, Opusculis multis, Notis, & Paralipomenis, pluribus locis in hac editione insertis, aucta & illustrata, nunc selecto ordine ad certos titulos revocata.

Tomus III & IV.

Ratisbonæ, sumtibus Ioannis Conradi Peez & Felicis Bader, Sociorum, 1734, fol.

Tom. III Alph. 6 pl. 6, Tom. IV Alph. 9 pl. 10.

Cum primos *Gretseri* Operum *Tomos* duos jam in *Nov. Actis A. 1734 Mens. Octobr. p. 454* per indicem quasi commemoraverimus, ad duos, qui sequuntur, *III* & *IV*, jam pergimus, quid in unoquoque reperiatur, paucissimis dicturi. *Tomus* igitur *III* continet libros, quos *Gretserus* scripsit, de *Sancta Cruce* quinque. *Primus* horum exponit de numismatis crucigeris *Constantini Magni*, *Crispi Cæsaris*, *Joviani*, *Valentiniani* & *Valentis*, *Theodosii*, Junioris, *Marciani*, *Justini*, Senioris, *Justiniani*, *Mauritii*, *Phocæ*, *Heraclii*, *Caroli*, *Ludovici*, aliorumque, tam

Imperatorum, quam Regum Gothicorum & Hispanorum. *Liber secundus* memorat crucis prædicationem, militiam cruciatam, & præmia ac privilegia, ipsi a Pontificibus & Principibus concessa, expeditiones cruciatas, ordines crucigeros, &c. *Libro tertio* continetur Apologia pro cruciatis expeditionibus contra *Dresserum*, *Reineccium*, *Balæum*, aliosque, qui has expeditiones cruciatas oppugnaverant. *Liber quartus* varias pertractat quæstiones, ad argumentum de cruce pertinentes: e. g. num tempore *Tertulliani* imago S. crucis in usu fuerit? quando cruces fieri cœptæ, & in templis collocatæ? utrum signum S. crucis sit insigne & nota militis Christiani, inspersis ubique defensionibus pro imaginibus crucis, quas cumprimis Reformati rejecerant. *Libro quinto* habentur varia S. crucis encomia, hymni, & odæ, quibus ea tam a Græcis, quam Latinis, celebratur & decantatur. Mantissa ad *Tomum* hunc *tertium* de *sancta cruce* exhibet primo Librum tertium Historiæ Orientalis *Jacobi de Vitriaco*, quem ex Bibliotheca Bavarica primum edidit *Gretserus*, una cum ejusdem Epistola de capta a cruce signatis Damiata, quibus illustrantur ea, quæ *Lib. II Cap. 29 de sancta cruce* de expeditione cruciata adversus Damiatam, munitissimum Ægypti propugnaculum, dicta sunt. Deinde reperitur *Hortus sanctæ crucis*, cujus in parte habentur Acrostichides Græcorum in sanctam crucem, cum annotationibus & explicationibus *Gretseri* uberioribus. Pars secunda commemorati *Horti de sancta cruce* complectitur *crucem Schirensem*, sive descriptionem & imaginem expressam crucis, quæ in Monasterio Bavariæ, Schira dicto, religiose colitur, observationibus variis illustratam. Tertia Parte explicatur & repræsentatur crux Donawerdensis, & suis itidem annotationibus celebratur. Quarta Pars sistit florilegium de Cruce, h. e. ea, quæ in libris de Cruce præterita fuerunt, cumprimis vero descriptionem floris, folii, fruticis, & fructus Granadillæ, seu Granatulæ, plantæ Indicæ, quæ illic passio Christi passim dicitur; quam ex Italico sermone Latinam fecit P. *Ferdinandus Crendelius*, studiorum *Gretseri* socius.

To-

Tomus IV duas habet *Partes*. In *priore* agitur de disciplinis, ubi habentur de voluntaria flagellorum, seu disciplinarum, cruce Libri tres; Spicilegium de usu voluntariæ per flagra castigationis pro tribus libellis de disciplinis; Prædicans vapulans & disciplinatus, seu pro tribus Libris de disciplinis totidem Libri Apologetici contra *Jacobum Heilbrunnerum*, Prædicantem Palatinum, cum duplici Appendice, altera de disciplinantium sodalitate, altera de colloquio Ratisbonensi; Virgidemia *Volciana*, hoc est, Apologia pro disciplinis contra *Melchiorem Volcium*, ad S. Annæ Augustæ Vindelicorum Lutheranorum præconem; Agonisticum spirituale de disciplinis, hoc est, Apologia pro Prædicante vapulante, contra duos Prædicantes, *Heilbrunnerum Neoburgicum*, & *Zeamannum Lauinganum*, socerum ac generum, cum Appendice ejusdem argumenti ex Metanœologia *P. Edmundi Augerii;* Athleticæ spiritualis legitimæ & illegitimæ libri duo adversus *Zeamannum*, Lutheranum præconem; Prædicans Heavtontimorumenos, seu septima pro spontanea flagellorum cruce lucubratio adversus sectarias Logodulos, cum appendice, quomodo Hæretici Scripturas tractent. *Pars altera* est de peregrinationibus, ubi reperiuntur de sacris & religiosis peregrinationibus Libri quatuor; *Ποδόνιπτρον*, seu pedilavium, hoc est, liber de more lavandi pedes peregrinorum & hospitum; Notæ super notas *Petri Molinæi*, Calviniani, in Epistolam *Nysseno* adscriptam, de euntibus Hierosolymam; Examen Tractatus de peregrinationibus, ab eodem *Molinæo* editi; Correctiones notarum, quas evulgavit *Casaubonus* in Epistolam *Nysseni* ad *Eustathium*; *Adamanni*, Scoto-Hiberni Abbatis, de situ terræ sanctæ & quorundam aliorum locorum, ut Alexandriæ, & Constantinopoleos, Libri tres, cum copiosis prolegomenis & notis. Accessit eorundem librorum breviarium, seu compendium, breviatore venerabili *Beda*, Presbytero. Unicuique *Tomo* subjungitur Index rerum memorabilium. Jam reliquos *Operum Gretserianorum Tomos*, suo quemque ordine secuturum, avidissime expectamus.

Historischer Schauplatz &c.

h. e.

THEATRUM HISTORICUM, IN QUO UNIversi terrarum orbis pontes memoratu dignissimi, præcipue vero absolutissimum illud artis miraculum, Dresdensis supra Albim pons, describuntur, notulis & documentis illustrantur, a CAROLO CHRISTIANO SCHRAMMIO, *Illustrissimo Comiti a Solms a Præfecturarum Consiliis.*

Lipsiæ, apud Bernard. Christoph. Breitkopfium, 1735, fol.

Alph. 4 pl. 14, cum Tabb. æn. 37.

Ergo nunc prodit Opus pulcherrimum venustissimumque, cujus spem inde ab aliquot annis fecerat Consultissimus Autor, in quo tum universorum pontium, qui in toto terrarum orbe reperiuntur, historiam scite atque egregie delineavit, tum inprimis Divi *Friderici Augusti II* portentosam in exstruendis amplissimis operibus magnificentiam, justissimis verissimisque laudibus celebravit. Uti enim sapientissimus Princeps tot præstantissimis institutis nomen suum sempiternæ consecravit memoriæ, ita inprimis aula, tanquam ingens & splendidum miraculum, & habita & culta fuit ab exteris, in incredibilem tanti Herois venerationem profusis. Scilicet Equestrem Academiam instituit, murum fornicatum, hortum in pomœrio, quo nullus unquam vel magis amœnus, vel magis celebris, fuit, condidit; Kœnigsteinium, fortissimum illud Saxoniæ propugnaculum, novis munitionibus circumdedit; Stabulum novo splendidoque ædificio exornavit; domum, operis ludendis destinatam, Palatium Hollandicum, universi terrarum orbis spoliis refertum, Monetarium ædificium, valetudinariorum militum receptaculum, Stationes Prætorias, vitriariam officinam, regalibus sumtibus instruxit, & Commerciæ æquæductum, opus

opus immensum & pæne desperatum, feliciter perfecit. Loquuntur paternam Divi *Friderici Augusti* curam Morizburgum, Ubigavia, Pillnizium, Sedlizium, Hubertsburgum, Pretschium, tot immortalibus monumentis conspicua decora. Testantur ejusdem insignem pietatem Templa, Dresdæ, Neostadii, Loschwizii, Torgaviæ, Fridrichstadii, noviter exstructa. Ut nihil dicamus de domibus funditus ædificatis, plateis, & aliis rebus memorabilibus, quæ perfectissimam Divi Regis in rebus mathematicis cognitionem omni, si qua futura est, posteritati commendabunt. Vere dici potest, *Augustum* nostrum Dresdam, quam lateritiam acceperat, reliquisse marmoream. Consulto prætermittimus cetera incomparabilia *Augusti* facinora, quæ amplissimis selectissimisque elogiis celebrari merentur, & jucundissimo mirabilis Pontis super Albim spectaculo jam animos nostros recreamus. Hic enim libro huic, quem regio jussu conscripsit Cel. Autor, occasionem dedit, hic primum libri initium facit, hic tanquam stupendum artis miraculum considerari debet. In tres Sectiones abit Liber. Prior in Capitibus septem, præter copiosam Dresdensis pontis descriptionem, divisiones Pontium, & cuncta, quæ huc spectant, complectitur. Altera Pontes in Saxonia occurrentes recenset. Tertia Pontes ceteros, memoratu dignos, Lectorum oculis exponit. In quibus pertractandis ita versatur Cel. Autor, ut ea, quæ *Leupoldus* in Theatro Pontificiali, & *Gauticrius* in Tractatu de pontibus, vel omiserunt, vel negligentius tractarunt, suppleat, & inprimis jura & privilegia eorundem solicite tradat. Ipsa libri conditio amplam recensionem prohibet, & nos nostro defuncti officio videbimur, si ex Sectionis I Capite septimo potiora momenta recensuerimus. Pontes domibus, tabernis, & aliis ornamentis, coruscant. Olim, cum pagana superstitio animos hominum infecerat, Diis fictitiis suis in pontibus locum assignabant. Quem morem adhucdum religiose observant ii, qui Pontificis obsequuntur decretis, & Diis tutelaribus suis, inter quos *Nepomucenus* & *Nicolaus* præcipua

qua-

quadam dignitate gaudent, vel facellis exſtructis, tanquam totidem fulcris, adverſus quosvis fortunæ caſus pontes muniunt atque confirmant. Longe illuſtriorem laudem merentur, qui vel ſanctiſſimi Servatoris cruci affixi imagine, tanquam ſaluberrima viatorum ad veram pietatem conſectandam adhortatione, decus addunt pontibus ſuis, vel equeſtribus magnorum Heroum ſtatuis eosdem ornant. Neque minorem ſplendorem pontibus afferunt noctilucæ, quarum inviolabilis ſanctitas eſt. Hac occaſione obſervat Conſ. Autor, incolas Chinenſis regni, quoties novus annus cum plenilunio incipit, celebrare feſtum Lucernarum, neque ullam in univerſo Chinenſi imperio eſſe domum, quæ non artificioſis magnisque lucernis & intus & foras exornata ſit. Præterea annotat, multas pœnas a criminum capitalium reis ſumtas fuiſſe in pontibus. Sic Eliſabetha, Angliæ Regina, ſuper fluvium Thamanum Londini pontes verſatiles fabricandos curavit, quos adſcendere, & ſic aquæ ſubmergi, debebant mortis candidati. Inſuper illi, qui culeo inſuti ſuffocandi erant, e pontibus in aquam detrudebantur. Neque ſilentio prætermittendam eſſe cenſet fuſtigationis pœnam, quam in pontibus quoque exerceri, quotidiana edocemur experientia. Sed hæc de libro, qui iis, qui pontium ſtructuram noſſe cupiunt, præclaram afferet utilitatem, dixiſſe ſufficiat. Placebunt etiam harum rerum intelligentibus Figuræ, ab optimis præſtantiſſimisque artificibus æri inciſæ, typorum elegantia, chartæ ſplendor, & cetera externa libri ornamenta. Id tamen fatendum eſt, quod negari nequit, magis a recentioribus, quam ab antiquis, Scriptoribus Conſ. Autori ſuppetias petitas, in priſci ævi Geographia, & veterum rerum monumentis, labi interdum eundem, & errores committere, ab ejus generis Operibus raro alienos. Interim, etſi hæc vera ſint, & a diligentibus Lectoribus facile obſervari queant, nihilominus Opus ob cetera, quæ commemoravimus, ornamenta, ſummo honori futurum Autori ſuo, ominamur,

THE

THE HISTORY OF THE PURITANS, OR PROtestant Non-Conformists, &c.

h. e.

HISTORIA PURITANORUM, SIVE PROtestantium Nonconformantium, inde a Reformatione usque ad mortem Reginæ Elisabethæ; in qua eorum doctrina, conatus majoris reformationis, persecutiones, principumque Theologorum facta, recensentur; Autore DANIELE NEAL, *M. A.*

Tomus I.

Londini, apud Rich. Hett, 1732, 8 maj.
Alph. 1 pl. 18.

Commemorabile Opus est, ac multi laboris, magnæque industriæ, quo Autor Historiæ Ecclesiasticæ Anglicæ, inprimis autem ei, quæ emendationem sacrorum exponit, lumen affundit insigne, atque ea, quæ hanc in rem a *Burneto* memoriæ prodita sunt, non contemnendo supplemento auget. Quanquam vero Presbyterianorum, quorum defensionem suscipit, dogmatibus imbutus videtur; admodum tamen graviter, modesteque, perraro, uti nunc sunt homines, exemplo, causam eorum propugnat. Consecraturus igitur optimorum hominum memoriam, de amplissimis dignitatum ecclesiasticarum gradibus non alia de causa deturbatorum, quam quod disciplinam ritusque sacros emendare ulterius conabantur, rem omnem inde ab origine ultima, *Henrici* nempe *VIII* ætate, repetit. Ex ea re tum *Jo. Wicklefi* vitam ac dogmata, postero tempore a *Lollardistis*, at misere propter ea divexatis, adoptata, tum *Henrici* ipsius res gestas, fusius enarrat. Quibus tamen recensendis studio supersedemus, quod vel in vulgus nota, vel, si forte a cognitione plurimorum remota sunt, iis tamen non ignorantur, qui *Rapini Burneti*que contextas illorum temporum historias studiosius perlustrarunt. *Henricum* excipiebat *Eduardus VI,* phœ- Cap. I. II.

phœnix ac miraculum ſuæ ætatis ab Autore dictus; certe omnis memoriæ facile princeps, niſi ardor, quo in reformationem ferebatur, quorundam Epiſcoporum, Romanæ ſedi obnoxiorum, aſtutia tam cito conſediſſet. Delatum erat jus reformandi, atque adeo ſacrorum omnium, ad Regem, ac, quod is minor ætate erat, ad ejus ſenatum. Hinc mitius agebatur cum iis, qui olim male habiti; exules, patria carentes revocati; plurima in diſciplina, liturgia, ac ritibus ſacris, Parlamento ſtudia omnia in id conferente, immutata, nihilque intentatum relictum, ex quo Anglicam eccleſiam ab Romana quam longiſſime ſemet removere velle, appareret. Ante vero, quam progrediamur, placet, controverſiæ, qua in partes tum ſcindebatur Anglia, & quæ magnum in Hiſtoria Puritanorum momentum habet, originem ac cauſas explicatius paulo tradere. *Hooperus* nempe ac *Rogerius*, principes Theologorum nuper reverſorum, A. 1548, veſtes ſacras, adhuc uſitatas, abolere ſtudebant, cauſam interſerentes, quod rudis plebecula, vim precum, cultusque divini, a miniſtris ſacrorum procurati, fœda ſuperſtitione ducta, in iis ſitam, opinetur. At ii, qui, tempori inſervientes, quid ſentirent, aperte proloqui non audebant, contra nitebantur: uſum veſtium ad res medias pertinere: albas, ſaltem a *Moſe* adhibitas, munditiei Symbolum eſſe: præterea quam ob rem a Romana eccleſia diſcedendum ſit, ubi illa a priſca ac maxime intemerata non abeat, rationem eſſe nullam: Clericos denique adeo pauperes eſſe contendebant, ut novis ſumtibus vix pares futuri ſint. Hiſce frivolis cauſis, veluti cinere impoſito, ignis tum ſopiebatur, poſt bienniun tanto magis ſuſcitatus. *Hooperus*, Epiſcopatui Gloceſtrienſi præficiendus, negabat, ſe paſſurum, ut veſtibus Aaronicis indutus conſecraretur. Quatuor fere rationes, cur ita ſentiret, in medium afferebat. Nam primo, neque Scriptura, neque antiquorum temporum uſu veſtes, ſe tueri poſſe, quin potius ab Antichriſto inventas, corruptiſſimisque temporibus introductas; amplius idololatriæ ac ſuperſtitioni miſſaticæ deſtinatas, adeoque non indifferentes eſſe, denique cum

cum ſimplicitate religionis Chriſtianæ conſiſtere non poſſe, cauſabatur. Habebat conſentientem, ſaltem ad ſpeciem, *Cranmerum*, Cantuarienſem, acerrime vero adverſantem *Ridleium*, Londinenſem Epiſcopum. Communicatis autem cum *P. Martyre*, *Bucero*, aliisque Theologis Helveticis conſiliis, qui omnes ab *Hoopero* ſtabant, at moderatius ut ageret, ſuadebant, primo quidem ob pertinaciam in carcerem conjectus, at tandem ea lege vinculis ſolutus, ut ſemel tandem veſtibus hiſce, ornatus dicam, an oneratus, incederet. Interim ipſe *Cranmerus* & *Ridlejus*, ita ut fit, multum de ſeveritate ſua, quantum ad hoc caput pertinet, remittebant, acerrimosque olim veſtium propugnatores alios, ſponte eas deponentes, ſectatores habebant. Quamvis autem reformatio non ſine ſucceſſu in multis tentabatur, illi tamen, qui ferociori impetu agitati repugnabant, nulli parcebant operæ, quo ſanguis hominum optimorum ſpargeretur largius, idque omne ad majorem Dei gloriam fieri clamabant. *Gardinerii* certe *Bonneri*que facta deteſtabuntur omnis memoriæ poſteri. Ceterum Reformatores in doctrina de juſtificatione, gratia efficaci, peccato originis, *Auguſtinum* ſequebantur. In diſciplina autem eccleſiaſtica plura deſiderabant, duos tantum ordines ſacros, Epiſcoporum ac Diaconorum, agnoſcebant, miniſtrosque ſacrorum, ab aliis exteris cœtibus conſecratos haud difficulter admittebant. Quantum vero ſumma rerum ad unum delata religioni poſſit eſſe exitio, tum liquido apparuit, cum *Maria*, Rege tantæ ſpei rebus humanis erepto, ac cum ea Romana religio in thronum eveheretur. Hæc enim, quicquid ab *Eduardo* conſtitutum erat, abrogare, reformatores immanibus tormentis ſubjicere, pœnasque hæreticis ſtatutas ab optimis hominibus repetere. Horret animus meminiſſe illorum temporum, quibus optimi quique, nulla conditionis, ſexus, ætatis ratione habita, rogo imponebantur, *Bonnero*, omnem qui humanitatis ſenſum exuiſſe videbatur, facem præferente. Hæc dum ita geruntur, permulti fuga ſibi conſulunt, ac Baſileam, Francofurtum, Emdam, Argentoratum, Duisburgum, Tigurum, concedunt. Cap. III.

 Qui

Qui Francofurti morabantur, consensu senatus, sacris ibi eum operabantur in modum, quo cœtus Gallici utuntur. At, vix biennio elapso, fatale inter ipsos dissidium oriebatur. Tigurini enim una cum Argentoratensibus liturgiam *Eduardi* introductam velle, reluctari Francofurtani, *Calvinum* ipsum arbitrum eligere; at frustra. Frangi enim non poterant duri adversariorum animi. Tandem *D. Cox*, cum nonnullis ex Anglia Francofurtum veniens, sacra turbabat, ac Ministro publice respondebat, quo facto tanti motus concitabantur, ut *Knoxius* ac *Wittinghamus* cum dimidia fere suorum parte *Coxio* cedere, Genevamque commigrare, cogeretur. At novi etiam usurpatores ipsi inter se contentiones excitabant, a Magistratu quidem mox consopitas, eo tamen eventu, ut altera litigantium pars locum mutaret, ac nova disciplinæ sacræ forma introduceretur. Quanta de cetero cum moderatione Papistæ tum temporis cum reformatoribus egerint, inter alia ex hoc etiam apparet, quod, cum aliquando per triduum cum iis disputarent autoritate publica, tandem his fere verbis abrumperent: *Agite, vos verbo armati*

Cap. IV. *estis, nos gladium tenemus.* *Elisabetha*, regno admota, quantumvis Papæ favens, multo tamen sorore initio erat moderatior. Exules redibant magno numero. Immo, reconciliatione concordiæ facta, excitabant se, ut rituum convenientiam observarent, ac Reginam hac de causa supplices adirent. Non tamen eo redigi res poterat, ut omnes plane dissensiones tollerentur. His igitur suam in rem conversis, Regina tribunal sacrum, nomine *the court of the high commission* constituebat, eo fine, ut jus diceret ecclesiasticis, errores, hæreses, abusus, schismata, notaret, nihil tamen hæreticis opinionibus accenseret, nisi quod Scripturæ, & quatuor prioribus Conciliis, adversaretur. At hi homines, penes quos absolutum propemodum hac ratione, imperium erat, multa crudeliter, ac tyrannorum modo facere, miserosque mortales Juris Canonici ac juramentorum insidiis laqueisque constringere, e quibus explicare se haud poterant. Si quæras, qua mente Puritani absolutam ejusmodi summamque potestatem

statem Reginæ tribuerint, non alio eam valere oportere censebant, quam omnibus eam subjectis, sacri civilisque ordinis, in tantum imperare posse, in quantum illi nemini præter Reginam parerent. Capitis autem ecclesiæ nomen, uti nemini uni mortalium, ita neque *Elisabetha*, concedebant. Quodsi tamen dicendum, quod res est, neque reformatores, neque Puritani, ab illis hac in causa discedentes, veram notionem potestatis ecclesiasticæ ac civilis animo informatam tenebant: hoc ipso præterea sibi maxime nocentes, quod nullam in ritibus, disciplina, cultuque differentiam admittebant, sed uniformitatis, uti dicebant, edictum flagitare, satius existimabant. Ipsa vero Regina, ceremoniarum magna amatrix, *Eduardi* Liturgiam, A. 1548 ex Missalibus Salisburiensibus, Herefordiensibus, Eboracensibus, Bangoriensibus, Lincolniensibus, collectam, denuo perlustrari, ac in nonnullis, quamvis minime ex mente Puritanorum immutari jubebat. Præter verba enim litaniæ: *a tyrannide papæ* &c. *libera nos domine*, & perpauca alia mandata, expungebatur nihil. Tandem Uniformitatis decretum stabiliebatur a Parlamento, inconsultis Clericis, quicquid etiam Eboracensis in contrarium moliebatur. Omittimus, quæ Autor hoc loco de rigore uniformitati faventium, ejusque noxis, non male disputat. Interea temporis multi Episcoporum juramentum *suprematus* præstare nolebant, propterea sedibus suis moti. *Parkerus* A. 1559 sine vestium ornatu, paucis tantum iisque munere suo excussis, præsentibus, consecrabatur, id quod fabulæ, in taberna eum consecratum esse, originem dedit. Mox tamen a Parlamento confirmabatur. His latius expositis, Autor dogmata Puritanorum, a principiis Reformatorum diversa, in medium affert. Sunt autem fere hæc: Religionem scilicet summo unius hominis, ejusdemque Laici arbitrio subjectam nolebant, Papam antichristum, Romananique ecclesiam falsam pronuntiabant, Scripturam sacram regulam doctrinæ morumque agnoscebant. Quæ autem in eadem expresse constituta non sunt, ecclesiæ permittebant ordinanda. Officia, statusque Clericorum ultra, atque Codex sacer docet, extendi oportere

negabant; res medias atque indifferentes libertati Christianæ relinquenda disputabant: uniformitatem introducendam Synodis nationalibus, a magistratu confirmandis, vindicabant. Utcunque hæc erant, Regina vestium usum severe tuebatur. Multus est Autor in percensendis de eo tum Anglorum, tum exterorum theologorum sententiis, quos in eo convenisse putat, abrogandas quidem esse vestes autoritate publica, interea autem temporis nemini de iisdem molestiam creandam esse. Ceterum *Parkerus*, in eo magnopere laborabat, Puritanos ut vel persuaderet, vel cogeret. Ac in Oxoniensibus quidem *Humfredo* integrum erat, utrum vestibus uti vellet, nec ne. Aliis autem paulo pertinacioribus sacris fungendis plane interdicebatur. Multum autem levabantur privilegio Academiæ Cantabrigiensis, duodecim candidatis quotannis potestatem tribuentis, vagandi per Angliam, ac, quoad vixerint, sermones sacros habendi. At enim & hic loci inter juvenes motus oriebantur de vestibus, ac Londini causa hæc utrinque scriptis agitabatur. Tandem eum in locum res deducta, *Parkeri* inprimis regiique senatus, rigore, ut A. 1566 Puritani publice se ab cœtu reliquorum separarent, privatosque conventus instituerent. Quicquid etiam Regina contra eosdem statueret, multi anno sequenti in Plumbershall deprehensi, ubi sermonis audiendi causa confluxerant, ac in vincula conjecti.

Cap. V. At nec vestibus solum turbabantur Puritani; multa etiam in Hierarchia desiderare habebant. Episcopos Presbyteris superiores esse, negabant, Archidiaconorum, Diaconorum, &c. separata officia rejiciebant: summam Episcoporum potestatem abrogandam censebant; collapsam disciplinam, multaque in liturgia superflua, querebantur: legi libros Apocryphos, celebrari festa ecclesiastica, antiphonas cani, nolebant. Adhæc signum crucis in baptismo, susceptores, cum tamen adessent parentes, præmaturam confirmationem, qua jus S. Cœna utendi tribuebatur infantibus, genuflexionem audito nomine servatoris, annuli usum in matrimonio, hæc, inquam, omnia, eliminari oportere, contendebant. Quanquam

quam autem non deerant, qui Puritanis faverent, durius tamen quotidie cum iis agebatur. *Zanchius*, jussu Principis Palatinæ, eos Reginæ de meliori commendabat, at literæ ejus ne quidem tradebantur eidem a *Grindalio*. Immo cultu publico iis prorsus interdicebatur, quo facto, nonnulli privatim sacris operabantur, vel munere se abdicabant. Equidem Northantoniæ nova disciplinæ forma instituebatur, privata etiam pietatis exercitia, nomine *prophetisationum* compellata informabantur, in quibus alternis loqui cuilibet liceret. Peculiaris etiam fidei professio statuebatur, cui subscribendum erat a membris conventus, at ex aliis *Parkeri* rigori succumbebant multi. A. 1572. Puritani, videntes, se apud Reginam nihil proficere, majoris reformationis causa ad Parlamentum se applicabant, admonitione una atque altera a *Wilcoxio*, *Fieldo*, ac *Carthwrighto*, conscripta; at ille ac iste in vincula conjiciebantur. *Carthwrighto* vero cum *Whitgifto* multæ de hac admonitione controversiæ intercedebant, eo tamen eventu, ut hic assensu principis suffultus, ac Episcopatui præfectus, superior discederet, ille autem, quantumvis causæ adjutus justitia, postremo licet respondens, cedere cogeretur, munere exutus ac exul. Interim Puritanorum quidam Wandesworthi ad Thamesin cœtum Presbyterianum constituebant, cujus membra ac formam Regina cum Episcopis, quantum etiam laborabat, detegere non poterat. Vexationes autem ob uniformitatis decretum minime cessabant. Puritani quidem A. 1573 disputationem publicam offerebant, at nihil impetrabant, citati potius ad tribunal Commissionis, cui tamen *Carthwrightus*, ægre sibi fuga consulens, sese subtraxerat. Multi quidem Ministrorum Puritanorum a populo fovebantur, multi etiam a cœtu Gallico ac Teutonico Londinensi recipiebantur; at Regina, quo minus id facerent, mox prohibebat. Nordovici *exercitia* Episcopo suffragante tolerabantur, at aliquanto post eas illic perinde ac alibi suppressas fuisse legimus. A 1575 multi Puritanorum ministri delati, ac si *Parkero* Thesaurarioque insidiarentur, ac in carcerem detrusi. Tandem *Parkerus* diem obibat, cujus charactе-

racterem satis Autor fuse enarrat, quorsum, ac ad vitam Cap. VI. ejus, singulari scripto expositam Lectores ablegamus. *Parkero* succedebat *Grindalius*, partibus Puritanorum addictus. At per muneris rationem non erat ei integrum, quantum vellet, iis indulgere. In tanta Ministrorum penuria Puritani seduli erant in faciendis sacris privatis. Northantoniæ & Varvici denuo quidam novam disciplinæ formam constituebant, qua reformatio Ecclesiæ sine separatione confieret, at ne hilum quidem proficiebant. *Grindalius*, *exercitiis* favens, modum iis statuere conabatur, quo minus offensioni essent. Regina autem ea prorsus aboleri jubebat, existimans animos plebis ad agnoscendam ac inquirendam veritatem incensos, in obsequio contineri difficulter posse. Ad hæc odio indies majori adversus Puritanos concitata, ipsi etiam Parlamento metum incutiebat. A. 1581 *Whitgifti Aylmeri*que severitate excitati *Brownistæ*, a *Rob. Brown*, duce suo, ita dicti. Hi ecclesiam Anglicam Antichristianam ac falsam inquinatamque pronuntiabant, ordines ejus Sacramentaque nihil valere & inefficacia esse, democraticamque oportere esse formam regiminis ecclesiastici, docebant. Recenset hac occasione Autor vitam *Brownii*, ex qua hominem fuisse turbulentum patet, ac propemodum seditiosum, rebusque suis nimio fervore, quo abripiebatur, male consulentem. Anno demum 1583 *Grindalius* moriebatur, postquam ob *exercitia*, quæ fovebat, gratiæ Reginæ semestre ante mortem exciderat, ac munere suo privatus erat.

VII. *Grindalio* sufficiebatur *Whitgiftus*, acerrimus Puritanorum hostis. Vix muneri admotus severa lege indicta, quinque articulis subscribi volebat, a multis quidem damnatis, eo quod regiæ derogarent autoritati, sed nihilo secius tanta severitate confirmatis, ut, inprimis ob illum, in quo *Articuli* 39, olim ab *Eduardo* conditi numero 42, at ab *Elisabetha* ad illum, quem diximus, numerum, inductis quibusdam, restricti, nunc ut norma fidei proponebantur, 233, qui, subscripturos se esse, negabant, sedibus suis pellerentur, quicquid etiam

etiam permulti cujuscunque ordinis precibus ſuis efficere tentarent. A. 1584, ne quid crudelitati deeſſet, novum tribunal autoritate regia conſtituebat, quo, ſive inſtitutum ipſum, ſive laqueos, quibus irretiebantur miſeri, ſive rigorem ſpectes, vere *Inquiſitionis* aliquod judicium erat, quamvis careret nomine. Hoc fere tempore Puritani Lambethi conventum celebrabant, in quo de apocryphis non prælegendis, de quibusdam ritibus baptiſmalibus, uſu Cœnæ S. privato, veſtibusque ſacris, diſceptabatur, at hoc ſucceſſu, ut Epiſcopus ſævus abalienatus magis fieret, ab *Aylmero* adjutus. Tranſimus plurimos Puritanorum conatus, nunc Parlamentum, nunc Concilium regium, nunc Epiſcopum implorantium, atque illud tantum monemus, anno eos 1586 inſigniorem multo, quam antea, ſeceſſionem feciſſe, eamque multis privatis conventibus firmaſſe, de quibus Autorem ipſum adiri volumus. Anno 1588 reviviſcere quodammodo videbatur controverſia de poteſtate Epiſcoporum, qua ſuper Presbyteros eminerent, cum *Bancroftus*, Reginæ Capellanus, publice tueretur, jure divino illos presbyteris ſuperiores eſſe, illosque hæreſeos damnaret, qui aliter ſentirent. Quanquam autem motus nunquam prorſus fuerint conſopiti, tamen, quo provectior ætate eſſet Regina, eo tranquilliores erant res Puritanorum, inprimis cum pateret, ſucceſſorem ejus principiis Puritanorum innutritum eſſe. Hinc cautius mercari diſcebant Epiſcopi, ne Regem offenſum haberent, ſtudioſe caventes. Ceterum Autor ſub finem libri non diffitetur, erroribus quibusdam obnoxios Puritanos, notionesque eorum de jure civili ac religionis, ad quandam theocratiæ Judaicæ ſpeciem propius accedentes, perquam confuſas fuiſſe. Interim, ob virtutis ſtudium, ardorem in precibus, reverentiam Numinis, obſervationem officiorum, Sabbathique ſanctificationem, homines iſtos, pro eo, ac par eſt, collaudat. Et hæc fere ſunt, quæ de rebus illo tempore geſtis, ingenue, modeſte, ſummaque fide, laudatis etiam quos habuit, probatiſſimis quibusque Autoribus, commentatur Autor; ita certe comparata, ut, quin Lectorem, alterum proxime perluſtrandi Tomum, honeſta quadam cupiditate incenderint, nulli dubitemus: de quo nos etiam ſuo loco acturi ſumus. Cap. VIII.

IN DUAS CELEBERRIMAS EPISTOLAS Sanctorum FIRMILIANI & CYPRIANI adversus Decretum S. Stephani Papæ I, de non iterando Hæreticorum Baptismo, Disputationes criticæ, quibus, unam & alteram a Donatistis fuisse confictam, nunc primo demonstrat Frater RAYMUNDUS MISSORIUS, Franciscanus Conventualis, pro Serenissima Veneta Rep. Revisor publicus, Romanique Cœnobii S. Dorotheæ trans Tiberim Alumnus.

Venetiis, apud Franciscum Pitterium, 1733, 4.
Alph. 2 plag. 8.

Pag. 272 sq. Jam *Augustini* ætate haud defuerunt, qui, *Cyprianum*, negarunt, iterationem baptismi ab hæretico collati defendisse, sed Epistolas potius contenderunt ejus sub nomine hunc in finem ab impostoribus fuisse confictas, uti patet ex *Augustini Ep. 92*, quæ est alias *48.* * Macula rebaptizationis defensæ diu insedit in nomine *S. Cypriani* ac *Firmiliani*, quam ut profliget ab iis & diluat Autor, omnem movit lapidem, eam ob caussam laudatus ab hoc, culpatus ab illo. Per Secula certe XIV vindicias ejusmodi nemo cogitavit, nemo suscepit. *Eusebius* tamen *Cypriano* maculam illam tribuit, sed quem Noster aliis imposuisse existimat. Ante annos sex Diatribam Autor paraverat, in qua *S. Cypriani* mentem de Romani Pontificis primatu expendendam susceperat. Sed, in morbum implicatus desperatum, jussit eam comburi. Convalescens rediit ad *Cyprianum*, ejusque de primatu Pontificis sui sententiam, deprehendit, in quatuor potissimum lo-
9. cis sitam esse, in Epistolis duabus, una ad *Pompejum*, altera *Firliani* ad *Cyprianum*, deinde in conclusione epistolæ ad *Jubajanum*, & in Præfatione ad Concilium Carthaginiense. Olfecerat pridem, hasce esse confictas. *Paulus Antonius Agellius*

* Confer eundem *contra Cresconium Lib. III, 33. Lib. I, 32.*

lius opus *de Traditionibus* molitur, quare Autor eam pro- Pag. 13.
vinciam & materiam illi lubens concedit, superſedens iis,
quæ ipſe in animo habebat. In Epiſtolis *Cypriani* adducendis
& numerandis ſecutus eſt ordinem *Pamelianum.* Diſſerta-
tio prima continet argumenta, quibus Epiſtola *Firmiliani* ar-
guitur ſuppoſitionis & erroris. Inprimis in *Euſebium Cæſari-
enſem* conjicitur culpa, quippe qui confinxerit contentionem,
quæ *Stephano* cum Orientalibus Epiſcopis ſuper baptiſmo
cum invocatione Trinitatis miniſtrato interceſſerit, qualis
tamen lis exſtiterit nulla, ſiquidem Concilio Nicæno I, ejus- 46 ſeq.
que Canone 8 & 19, nil dilucide de Novatienſium, illisque af-
finium, Hæreticorum baptiſmo decretum ſit. Epiſtola *Fir-* 112 ſeq.
miliani deinde excutitur, refellitur & inſulſitatum inſimula-
tur. Expenduntur argumenta eorum, qui *Firmiliano* Epi-
ſtolam illam vehementem tribuunt, adjectis reſponſionibus.
Succedit Diſputatio II in Epiſtolam *Cypriani* ad *Pompejum.* 148 ſeq.
Proponuntur Axiomata ad Syſtema Donatiſtarum, *S. Augu-
ſtini*, idque hypotheticum, *Cypriani*, qui ſæpius repugnet
ſententiæ in famoſa illa Epiſtola perſcriptæ, & *Optati Mile-
vitani.* Sequuntur Theoremata & Propoſitiones, more Ma-
thematicorum. Credit Autor, argumentum negans in quæſti-
one facti, niſi obſtet locus æquæ autoritatis affirmans, pluri- 205.
mum probare. *Auguſtinus*, judice Noſtro, refugit adverſus
Donatiſtas quæſtionem facti, & in juris quæſtione perſtat, id- 264.
eoque contra eos in facti quæſtionibus hypotheticum pro- 267 ſeq.
ponit ſyſtema. *Auguſtinus* dubitat de facto & literis *Cypri-
ani*; *Optatus Milevitanus* plane tacet. *Morellius* omnium 287 ſeq.
primus *Firmiliani* Epiſtolam edidit. *Paulus Manutius* eam
in Romana editione, ſuaſore *Latinio*, omiſerat. *Balu-
zius* eam commendat ceu utilem & luce dignam. *Eraſmus*
in *Frobeniana* editione eam omiſit, licet primus *Cypriani* ad
Pompejum Epiſtolam vulgaverit. *Cyprianus* certe in Epiſt.
ad *Cornelium* 55 judicem ſacerdotem vice Chriſti in terris ad-
mittit, & ex ejus contemtu ſchiſmata enata cenſet. Unde mi- II.
rum eſt, ſi ipſe *Firmiliani* ſententiam approbavit. Sed &
illud eſt verum, *Cyprianum* in eadem Epiſtola ſchema ſa-

cerdotum Judaicorum attemperaſſe ad Eccleſiæ Chriſtianæ di-
rectionem. *Dionyſius Alexandrinus* de *Firmiliani* Epiſtola
tacet in literis ad *Xiſtum*, *Stephani*, Papæ Romani, ſucceſſo-
Pag. 19. rem, ſcribens de rebaptizatione, quæ Græcis nonnullis pro-
babatur. *Xiſtus* eam ignoravit: *Euſebius Caſarienſis* haud
22. attigit: *Auguſtinus* non memoravit: Donatiſtæ eam in Col-
24. latione Charthaginienſi pro ſeſe haud allegarunt, qui *Cypri-*
ani tamen autoritate ſeſe munire laborabant: *Cyprianus*
illius non meminit, quam perhibent Græce ſcriptam. Græca
non exſtant: translator ignoratur. Mirum, Epiſtolam *Fir-*
miliani in Concilio Carthaginienſi III lectam haud fuiſſe,
26. 54. *Jubajani* vero literas frigidas in eo lectas. *Zoſimus* & *Cy-*
prianus, *Petrum* Apoſtolum a Paulo fuiſſe erroris convictum
35. 54. *Gal. II*, tradiderunt. *Baronius* perperam contendit ex *Dio-*
nyſii ad *Xiſtum* literis, pacem eccleſiæ redditam ab Ana-
39. baptiſmi aſſertoribus. Repugnant enim eædem literæ. Au-
40. tor contentionem Orientalium de Anabaptiſmo, quam me-
morat *Euſebius*, ad fabulas rejicit. Hunc enim *Hieronymus*
vocat *Arianæ quondam ſigniferum factionis*, *Nicephorus* vero,
Patriarcha Conſtantinopolitanus, *Arianæ inſaniæ Principem.*
Hankius, ejusque aſſectator, *Pagius*, incertum putant, *Euſebius* an
Arianis, an Orthodoxis, poſt Synodum Nicænam, acceſſerit. No-
ſter vero, eum utique Arianis poſtea etiam faviſſe, contendit.
42 ſeq. De *Pauliana* baptiſmi formula certe *Euſebius* nil habet, fin-
gens, judice Noſtro, *Euſebium* voluiſſe oſtendere, Pontificem
44. Romanum Paulianorum ſententiæ acceſſiſſe. Arianos Do-
natiſtis conniviſſe, Noſter quoque exiſtimat, laudans teſtem
Auguſtinum Ep. 45 & 185, & ſic judicans de *Euſebio*: *In hi-*
ſtoria confinxit multa, multa permiſcuit, longe plura obſcura-
vit, &, quæ maxime conſcribenda erant, omnino reticuit; con-
45. *tra vero, quæ ſibi ad Donatianum Schiſma confirmandum ido-*
68. *nea viſa ſunt, præcipue in cauſa Anabaptiſmi, doloſe, atque*
49 ſeq. *adeo perfide, confinxit. Auguſtinus Lib. II de Bapt. Cap. 7 plena-*
rii Concilii meminit, quod fuiſſe Arelatenſe I, Autor con-
tendit copioſe, quo de formula Baptiſmali Can. 8 fuit ſanci-
tum. Inprimis id evincit ex *Auguſtini* Ep. 43, alias 162,
Lau-

Launojo præeunte, *Norisio* refragante, qui halucinatus eſt in explanatione *Auguſtinianæ* ſententiæ, quæ continetur in Epiſtola ad *Elenſium*. Autor contendit, Concilium Arelatenſe I Pag. 65 ſeq. fuiſſe œcumenicum, favente Canone 18 Synodi Arelatenſis II. Notæ in Epiſtolam *Firmiliani* ſunt oratoriæ, & in Autorem Epiſtolæ totidem aculeis acutæ. De *Hieronymo* veriſſimum 112 ſeq. eſt Autoris judicium, judicantis ita: *Si Hieronymi in ſcribendo acrimoniam inſpiciamus diligenter, facile comperiemus, unum fuiſſe veterum omnium Patrum dicaciſſimum, in quo nec Plauti ſales, nec Horatii lepores, nec Juvenalis aculeos, nec Perſii iram, deſideres.* Excuſat tamen *Hieronymum* variis nominibus. Succedit Diſſertatio in Epiſtolam *S. Cypriani* ad *Pompejum*, Epiſcopum Sabratenſem, contra Epiſtolam & Decretum *S. Stephani* Papæ, de non iterando Hæreticorum Baptiſmo. Hanc quoque, contendit Autor, eſſe ſuppoſititiam. Impulſus, ut ſic ſtatueret, videtur doctrinis in Epiſtola obviis, ad Romanorum palatum non ſatis quadrantibus. Nam requirit *Cyprianus* in ea, ut *traditio* fide digna deſcendere debeat de dominica & evangelica autoritate, aut de Apoſtolorum mandatis & epiſtolis. Ac præterea errores *Stephano* exprobrat, & moleſte fert, humanam traditionem diſpoſitioni divinæ anteponi. Ex eadem Epiſtola patet, quod eccleſia ea, in qua legitimus confertur Baptiſmus, Chriſti beneficia & remiſſionem peccatorum conferat, ideoque una ſit illa Chriſti ſponſa. Quod argumentum a Proteſtantibus quoque *κατά τι* adhiberi ſolet. Id tamen videtur durius, & *Cypriano* vix dignum, *Stephanum* Papam approbaſſe baptizationem eorum, qui *Marcionis*, *Valentini* & *Appellis*, & ceterorum blaſphemantium in Deum patrem, dogmata fuerant affectati. Nam aquam & formulam fidemque Trinitatis ad legitimum Baptiſmum omnino *Stephanus* requiſivit. Academiæ Sorbonicæ Autor exprobrat inconſtantiam ſentiendi, quippe quæ non ſemel unum eundemque Autorem in una eademque re probaverit damnaveritque. Docet quoque, principes ſcholæ magiſtros in ipſo Theologico Syſtemate magnam partem eſſe hypotheticos. Propoſitio

Margin: 160. 179. 181. 183. 190. 195. 159.

Pag. 196. ſitio hæc nobis videtur aperire & exhibere pomum Eridos. Perplacet illud, quod de Ariſtotelifino Scholaſticorum commentatur Autor. Unicus *Cæſar* inter Hiſtoricos immunis eſt ab hypotheſibus, eodem judicante. Characterem *Cy-*
203. *prianicæ* locutionis in Epiſtola ad *Pompejum* occurrere, is haud inficiatur; characterem vero animi *Cypriauici* deſiderat, ratus, doctrinam moresque *Cypriani* cum Epiſtola con-
205. troverſa haud conſonare. Argumenti negativi vis ac limites in rebus facti egregie enodantur. Dubitavimus vero, an Autor applicationes regularum ſuarum ſit admiſſurus, ſimul ac Proteſtantes iis uterentur in dijudicandis factis, ab ec-
210 ſeq. cleſia Romana approbatis. Artes Donatiſtarum fraudulentas diſtincta ratione exponi ab Autore, prædicamus. Donatiſtis curta fuit ſcientiæ ſupellex, nec minus Epiſcopis Catholicis,
221. exceptis *Optato Milevitano* & *Auguſtino*. Poſterior ſtuduit Donatiſtas ad eccleſiæ concordiam revocare, ideoque multa
224 ſeq. diſſimulavit, & ex ſyſtemate hypothetico adverſus eos egit; prior, mala expertus, ex ſubdolo ſyſtemate Donatiano emanantia, ſyſtema edidit abſolutum. Novum quoque il-
226. lud eſt Autoris inventum, ſtatuentis, Donatiſtas acta Sinveſſanæ Synodi fuiſſe commentos, quæ *Marcellinum* Papam, errori ſuo confitendo haud temperantem, diffament. Simi-
228. li Donatiſtarum confictioni tribuit Præfationem ad Concilium III Carthaginienſe, ab iisdem Donatiſtis *S. Cypriano* ſuppoſitam. Ut ſummatim reliqua attingamus, non poſſumus, quin præ nobis feramus, Autorem Hiſtoriæ eccleſiaſticæ eſſe peritiſſimum, Criticum acutum, ſedis Romanæ ſtudioſiſſimum, ſtili perſpicui architectum, & in evolvendis animi notionibus felicem ac facilem.

VOYAGES DE RABBI BENJAMIN, &c.

h. e.

ITINERA RABBI BENJAMINI, QUI fuit filius Jonæ Tudelenſis, per Europam, Aſiam, Africam, inde ab Hiſpaniis usque ad Chinam, in quibus inveni-

veni-

veniuntur memorabilia, ad Historiam, Geographiam, & statum Judæorum Seculi XII spectantia, translata ex Ebraica lingua in Gallicam, & illustrata Notis, Dissertationibusque historicis ac criticis, per JOANNEM PHILIPPUM BARATIERUM, Theologiæ studiosum.

Tomi II.

Amstelodami, sumtibus Societatis, 1734, 8.
Tom. I plag. 20, Tom. II plag. 21½.

Baratierus, cum hæc A. 1732 concinnaret, annum egit ætatis suæ undecimum, numerumque præcocium ingeniorum ac doctorum puerorum exemplo suo admodum raro præstantissime auxit. *Tomum priorem* inscripsit Diacono Gallico *Mæstræo*, seu *Maitre*, administro verbi divini penes Illustrissimum Comitem Schaumburgicum, qui Buckeburgi habenas rei summæ moderatur. Verbi divini hic minister antea ecclesiæ Swobacensi Reformatæ præfuerat, testis locupletissimus hujus translationis a *Baratiero* cœptæ ac finitæ. Vir ille ecclesiastes Epistolam libro præfixit, directam ad societatem Amstelodamensem typographicam, in qua præcox Autoris te nerrimi ingenium collaudat, docens, *Baratierum* patrem, suum quondam in ecclesia Gallica Swobacensi collegam, unicum filii *Baratieri*, Autoris Clarissimi, exstitisse præceptorem, jam anno ætatis sexto Biblia Græca & Ebraica promtissime exponentis, & hunc laborem marte suo profligantis anno ætatis undecimo. *Mæstræus* testatur, puerum illum doctum libri hujus autorem esse solum, quod ipsum docet Præfatio, adjecta a patre *Baratiero*, testante & profitente, opusculum soli deberi filio, tum ratione inventionis, tum respectu dispositionis ac elocutionis, se autem Rabbinici studii esse expertem. Pater nil sibi vindicat nisi paragraphos Dissertationis primæ nonnullos, & paucula judicia, in Disser-

Dissertationis quintæ ambitu obvia. Quamvis puer impegisset nonnunquam, quod tamen esset distincte ostendendum, statuendum tamen foret pretium sane magnum gratiæ divinæ, ex dotibus pueri hujus venustissimi doctissimique elucenti, inopia librorum Geographicorum & Rabbinorum laborantis, corpore haud admodum robusto præditi, & in tantula ætate tantopere sapientis. Elaboravit idem puerorum doctorum flos & coryphæus, Germaniæ splendor, Lexicon Ebraicum ac Græcum, quo complexus est præcipuas difficillimasque veteris novique Testamenti voces, distinctum diversis Dissertationibus criticis ac philologicis. Itinera *Benjamini Tudelensis* Latine transtulerunt *Arias Montanus* & *Constantinus l' Empereur.* Gallica translatio quædam, ad Latinas *Montani* & *Lempereurii* editiones conformata, A. 1729 Lugduni Batavorum typis excusa prodiit. Operæ igitur erat pretium, Gallicam adornari translationem, eamque ad fontes primos formatam, siquidem prior interpres Gallicus in ipsa translationis suæ fronte duos insignes admisit nævos. Nam A. 1173 itinera a *Benjamino* inchoata dictitavit, eaque appellavit *Voyages autour du monde*, cum tamen ille *R. Benjamin* globum nostrum terraqueum nunquam circumnavigaverit, & circa annum 1173 jam vivere desierit. Mirandum, ni dolendum, est, tot viros doctos in vocabulis enucleandis consenescere, cum puer ei labori exhauriendo sese accingere potuerit. Quomodo puer ille doctus ad tam exquisitam linguarum & Orientalium, & Latinæ, Græcæ, Germanicæ, Gallicæque, adspiraverit, enarratum novimus in libello, qui in forma, quam vocant quartam, Stetini ac Lipsiæ A. 1728 editus fuit sub titulo: *Merckwürdige Nachricht von einem sehr frühzeitig gelehrten Kinde*, cujus summam tum exhibuerunt Collectores Bibliothecæ Germanicæ, quæ haud sine publico applausu Gallice adornari solet. Potiora Parens Rev. in Præfatione repetit, quæ omnino digna sunt legi, ac in imitationem converti. Syriacam & Arabicam linguam *Baratierus* junior αὐτοδιδάκτως didicit. Nunc in eo est, ut Canones Conciliorum, per sex priora Secula habitorum, in ordinem

nem systematicum redigat, suasque iis adspergat observationes. Gratulamur Patri de Filio, tam celeriter ad summum studiorum apicem progrediente; Filioque de tam diligente ac pio Patre, summum Numen venerantes, quod iis dotibus pueros interdum instruit, quas sæpe in senibus, per labores durissimos studia emensis, frustra requirimus. Communicanda sunt nunc paucula ex animadversionibus *Baratieri*, junioris, ejusque Dissertationibus, ut Lector ex re ipsa judicium de profectibus pueri doctissimi debite instituere valeat. Ju- Tom.I p.4.
dæi præsidem Synedrii, in Judæa commorantis, appellarunt נְשִׂיא. At præsides concilii, alibi obvios, vocant ישיבה ראשי. Nec tamen dedignantur Judæorum proceres docti appellationem נשיא, quam transfert per *Principem*. *Constantini l' Empereur* translatio a Nostro passim, feliciter satis, emendatur, monente, illud כְּנֶגְדּוֹ *Gen. II, 18, 20*, idem denotare ac *coram eo, in societate ejus.* Judæi Christianos Pag. 7.
vocant *Idumæos*, ut in eos possint convertere diras, Idumæis olim prædictas, quod haud dissimulat *Abarbanel* in *Esaiæ Caput XXXIV*. Si quid judicamus, per permutationem literarum ד & ר Judæi ex הרומים *Romanis* fabricati fuerunt *Edomæos*. Regio אלערוה Nostro est *Algarbia; L' Empereurio Algeria*. Vox חזן notat 1) præsidium, quod urbem custodit: 2) administrum imperii: 3) ministrum rei sacræ: 10 seq.
4) ministrum expromendæ justitiæ, seu carnificem: 5) lectorem seu cantorem Synagogæ: 6) & penes Syros quoque Sacerdotem. *Raschius* Lunellæ in Gallia infima ad mare mediterraneum nunquam habitavit, sed Wormatiæ ad Rhenum circa annum 1100. *Abraham Ben Dior* conscripsit Se- 12.
pher Hakkabbala. Erravit *Basnagius Hist. Jud. Lib. IX Cap. 1. p. 11*, qui existimat, ipsum esse Autorem libri Judaici *Schalschelet hakkabbala*, quem *R. Gedalia*, Seculi XVI scriptor, contexuit. Omittimus Autoris admodum adolescentis notas egregias, quibus complexui orationis *Benjamini* affundit lucem ex Philologia, Historia, & Geographia, qua haud infrequenter *Constantini l' Empereur* translationem & animadversiones vel illustrat vel corrigit. *Tomus posterior* comple-

ctitur octo Differtationes, quarum prima pertractat *Benjamini* perfonam, patriam Tudelam, urbem Navarræ ad Ebrum, & ufum, qui ex hoc Itinere hauriri poteft: fecunda exponit Caliphos Ægypti & Bagdadi: tertia occupata eft in oftendenda autoritate Judæorum intra Palæftinam, antequam principes exilii Judaici Babylonem illuftrarunt ftudiis fuis: quarta agit de capite exilii intra Bagdadum, illiusque concilio: quinta enarrat imperium, quod Judæi fibi adhuc in diverfas terrarum partes tribuunt: fexta idem propofitum perfequitur, & opiniones Judæorum refellit: feptima excurrit in regnum Cozar, ubi Judæi, religionem fuam effe dominantem, fingunt: octava difpicit loca, in quæ decem tribus transmigraffe vulgo creduntur. Quam vellemus, ut juftus ac locuples rerum Index opufculo fuiffet fubjectus! Editiones hujus Itineris videmus commemorari *pag.5 feq* judicia doctorum de *Benjamini* Itinere adjecta funt *p. 7 feq.* Judæi eo Itinere nituntur, ut eludant impletionem prophetiæ *Gen. XLIX*, quæ jam contigit. Chriftianorum doctores nonnulli libello huic hodœporetico maximum pofuere pretium, ignorantes peffimum *Benjamini* fcopum, veritati religionis Chriftianæ oppofitum. **Pag. 9 feq.** *Wagenfeilius*, *Hottingerus*, *Barthius*, & *Reinefius*, mendacia & arrogantiam *Benjamini* agnoverunt. Autor vero & interpres novus folide comprobat, itinera *Benjamini* effe partim conficta, partim ex itineribus aliorum compilata. Gratulamur denuo puero doctiffimo de dotibus plane fingularibus, divinitus in eo collocatis, nihilque magis in votis habemus, quam ut Dei numine porro corroboretur viribus corporis & præcipue animi, atque tandem aliquando ecclefiæ Chriftianæ ufibus totum fefe mancipet, quemadmodum id jam facere cœpit feliciffime, & hoc ipfo Opere mirum in modum præftitit. Deum laudamus jure pro ea gratia, quam in hoc puero illuftravit, & omnibus concelebrandam propofuit.

MEMORIA VITÆ AC MERITORUM Perilluftris quondam Domini, Domini VITI LVDOVICI

VICI A SECKENDORF, Equitis Imperii R. G. immediati, Dynastæ Oberzennæ, Meuselwizii, cet. primum Serenissimorum Ducum Saxo-Gothani, Citicensis ac Isenacensis, deinde Serenissimorum Electorum, Saxonici & Brandenburgici, a Consiliis sanctioribus, in rem tam publicam, quam rempublicam literariam, incomparabilium, ex documentis editis ineditisque studiose collecta, & publici juris facta, a DAN. GODOFREDO SCHREBERO.

Lipsiæ, sumtibus Autoris, prostat in officina Brauniana, 1734, 4. Alph. 1 plag. 6.

Eruditio, sapientia, & pietas, ac gravissima rei publicæ prudentia, in uno Perillustri *Seckendorfio* coierant, jugata nexu multiplici. Patruus ipse exstitit Illustrissimi Comitis ac Domini *Friderici Henrici a Seckendorf*, ac Perillustris Baronis *Ernesti Ludovici*, Virorum immortaliter de salute Germaniæ meritorum, quibus proinde Autor librum dedicavit meritissimo jure quodam. *Caspar Sagittarius* de meritis *Viti Ludovici Seckendorfii* erat scripturus. Sed labor ejus aut periit, aut ignotus adhuc permansit. *B. Breithauptius*, Abbas & Professor in Academia Halensi quondam Venerabilis, Programmate quodam merita *Seckendorfii* illustravit. Sed, ampliora & copiosiora nunc esse prolata, lætamur mirum in modum. Scriptum Clariss. *Schreberi* in duas abit partes. Priori vita ac virtutes *Seckendorfii* exponuntur; posteriori merita ejus in rem literariam enarrantur. Stilus scripti est purus, perspicuus, & rei ipsi adæquatus. Candor & prudentia utramque complent paginam. Gratulandum ducimus Perillustris *Seckendorfii* manibus, quod hunc potissime præconem obtinuerint. Antiquitas & diffusa stemmatis progenies *Seckendorfiis* dudum fuit propria. Optamus, ut eorum, qui otio ac supellectili libraria gaudent, aliquis genealogicam tantæ gentis connexionem cum orbe erudito communicet. Ex prosapia, *Gustend*

Pag. 8. cognominata, prognatus fuit *Vitus Ludovicus*, ac patruelis ejus
Illustrissimus, *Fridericus Henricus*, A. 1721 in Comitis Imperialis fastigium evectus, testatusque impavidum robur A. 1715
in obsidione Stralsundica, ac A. 1717 in Sicilia. *Viti Ludovi-*
12. *ci* parentes exstiterunt *Joachimus Ludovicus* & *Maria Anna Schertelia a Burtenbach*, filia *Joannis Sebastiani*, junioris,
e quibus ipse genitus lucem vitalem adspexit A. 1626
d. 20 Dec. Auraciæ Ducis, urbe Germanis dicta *Herzogen-Aurich*. Postipsum nati sunt fratres *Quirinus* A. 1634, ac
Henricus Gottlob A. 1637, Viri in sago & toga incomparabiles.
16. biles. Uxor Herois & Musagetæ nostri fuit *Agnesa Magdalena de Teutleben*, quam ipse A. 1665. duxit. Tener admodum
a' ludimagistris Mulhusæ est institutus per decennium
circiter. Erfurti posthæc linguas, Gallicam, Græcam,
19. & Hebraicam, mathematicas præterea scientias, hausit.
Transtulit sese A. 1639 in aulam *Ernesti*, Ducis Saxoniæ, Coburgum. Anno 1640 civibus Gymnasii Gothani sese applicuit. Patrem amisit anno 1642 ineunte, quo ipse Argentoratensem ad Academiam sese contulit, Juri navaturus operam, Theologiæ, ac studiis elegantioribus. Salutavit A. 1646 denuo Erfurtum, digressus in itinere ad aulam Coburgensem, beneficia olim ibi accepta prædicaturus. Exstitit paullo post Polyhistor incomparabilis. Anno 1648 a Duce *Ernesto Pio* cooptatus in ordinem cubiculariorum nobilium, legationibus & actis forensibus Duci exponendis adhibitus, A. 1655 edidit *Statum Principum Germanorum*, ac porro A. 1663 ingressus est dignitatem Cancellarii, sanctioris simul Consiliarii, Directoris fisci Ducalis & Dicasterii Ecclesiastici. Anno 1664 missionem petiit ac obtinuit. Illico ei Dux Saxo-Citicensis, *Mauritius*, tradidit honores Cancellarii, & in senatu Ecclesiastico Præsidis, atque Consiliarii intimi. *Joannes Georgius II*, Serenissimus Saxonum Elector, A. 1669. eundem renuntiavit Administrum status intimum. Anno 1691 Vir Perillustris capessivit provinciam sanctioris Consiliarii penes *Fridericum III*, Electorem Brandenburgicum, sequentique anno
66. domicilium Halam contulit, Directoris seu Cancellarii Academiæ recentis muniis perfuncturus. Obiit A. 1692 d. 18 Decem-

bris

bris, prolata voce: *Ach Herr Jesu hilf mir.* Sepultus fuit Meuſelwizii. Meruerat ſane Vir tantus, ut exteri quoque hic ejus memoriam legerent compendioſiſſimam. Cl. *Schreberus* deinceps merita, ſcripta, commercia literaria, Viri Perilluſtris eleganter & digne percenſet, nec dubitamus, repertum iri poſthæc in ſcriniis Principum ac eruditorum nonnulla, unde ſpicilegium poſſit adornari. Erat *Seckendorfius*, cujus & in Annales hos noſtros præclara merita exſtant, eruditorum Mecænas & coryphæus, aularum honor, temperantiæ & juſtitiæ exemplar, pietatis intemeratæ præco & adminiſter, virtutis ſpeculum, Theologus, Jureconſultus, Hiſtoricus, Philologus, Polyhiſtor, hominumque dignitatis ſuæ fere Phœnix. Cujus igitur Herois potius memoriam & merita tradere debuiſſet Clariſſimus *Schreberus*? Hic certe ſuam a bile abhorrentem & æquiſſimam recenſionem facile unicuique approbabit, quod & confidimus, & Autori ex animo gratulamur.

JANI PERONTINI, JCTI, DE CONSILiis ac Dicaſteriis, quæ in urbe Vindobona habentur, Liber ſingularis.

Halæ Magdeburgicæ, absque Typographi indicio, 1732, 12. Plag. 8½.

In hoc exiguæ molis libro, Halam patriam mentiente, etſi, quod certo ſcimus, in Italia excuſo, Autor præcipua deſcripſit, quæ Vindobonæ non minore numero, quam ſplendore variis & diverſis gentibus jus dicunt tribunalia, cujus conſilii rationem ita commodiſſime perſequi ſe poſſe putavit, ſi, delineata, quæ ad Cæſarem, ut Imperii caput, pertinent, Collegiorum compage, maxima tribunalia, quæ Bohemiæ & Hungariæ ac Tranſylvaniæ cauſis deſtinata ſunt, inde, quæ Auſtriæ Archi-Ducatui, ceteriſque Germaniæ provinciis, hæreditario jure ad Auguſtiſſimam Domum ſpectantibus, præſunt, ac demum, quæ Regnorum & Provinciarum Italiæ ac Belgii gratia congregantur, paucis commemoraret. Habes ergo quatuor Opuſculi Partes, & in ejus limine Imperialis Conſilii Aulici deſcriptionem, nec copioſam eam quidem, nec aliis momentis, quam

quam de quibus abunde per illos, qui dudum data opera de tam eminente tribunali ſcripſerunt, compoſitam. Accedit ei Cancellariæ Conſilii Imperialis Aulici brevis enarratio, qua de Vice-Cancellario, ceterisque, ad officia, quæ huc ſpectant, obeunda conſtitutis, de Vice-Cancellarii cura Poſtarum, & de omnium negotiorum in hoc Collegio expediendorum ratione ac indole, agitur. Excipit etiam Caput II, de Conſilio Imperiali Aulico bellico, quanquam illud non tam Imperii rem militarem, quam ipſius Imperatoris, curat, cujus Jurisdictio, Conventus, Cauſæ, una cum Commiſſariatu Generali Bellico, recenſentur. Atque ita libelli Pars altera ſequitur, rebus Bohemicis, Hungaricis, & Tranſylvanicis, deſtinata, ubi primum de regni Bohemiæ juribus quædam contra *Goldaſtum*, inde de antiqua provocatione ad Scabinatum Magdeburgicum, poſtea de judicio Appellationis Pragenſi in eorum locum ſurrogato, ac denique de Regio Conſilio Aulico Bohemiæ Vindobonenſi, ad quod, obſtructis appellationum ad Imperii tribunalia viis, recurritur, brevibus diſputatur. Hujus Partis II Caput II de Hungariæ regno, & Auſtriaca ejus acquiſitione, de privilegio *Andreæ*, Regis, ac de Conſilio Aulico Hungariæ, quanquam hoc magis negotia gratiæ, quam cauſas juſtitiæ, quippe intra ipſos regni fines decidendas, tractat, eadem methodo, qua Caput III de Cancellaria Tranſylvanica, præcipit. Pars III utramque ſpectat Auſtriam & ceteras, quæ in Germania hæreditario jure ad Auguſtiſſimam Domum pertinent, provincias; unde in ea quæſiveris ac inveneris Commentatiunculas de Aulæ Cancellaria Auſtriaca, de ſuprema Ærarii Camera, de ſupremo Regiminis Auſtriæ Inferioris, nec non de Mareſchallatus Provinciæ ac Aulæ, tribunali, ceteris nihilo diffuſiores, ſed quæ plura, quam ſuperiores, notatu digna, nec ubivis obvia, complectuntur. Præterea legi merentur, quæ poſtremo hujus Partis Capite de cauſis eccleſiaſticis, & quatenus aut ad Conſilium Imperiale Aulicum, aut ad Conſiſtoria Vindobonenſe ac Paſſavienſe, aut ad Nuntiaturam Apoſtolicam, ſpectant, Autor diſputat. Quæ ſupereſt, ultima libelli Pars exhibet ſupremum Hiſpani-

ſpaniarum Conſilium, & ad Provincias Italicas, quæ quondam Hiſpanici juris fuerant, in cauſis voluntariæ jurisdictionis, dirigendas erectum, quod nomen ſuum etiamnum in hac Imperiorum ipſorum viciſſitudine retinuit; cui ſuccedunt varia non injucunda de Hiſpaniæ Inquiſitionis tribunali, ad unius Siciliæ cauſas Madriti quondam conſtituto, nunc Vindobonæ Præſide *Collonitio*, Cardinali Inquiſitore generali, nonnunquam congregari ſolito, haud ſecus ac de Commiſſariatu cruciatæ, de ſupremo Conſilio Belgico, de Sanctioris Conſilii Secretaria, quæ Provincias quondam Hiſpanicas reſpicit, ac denique de rei veredariæ per Belgium & Italiam adminiſtratione. Hactenus legent æquo animo libellum Vindobonenſium Dicaſteriorum advocati. De Epilogo vero ipſi viderint, quam recte Noſter, raram eſſe, dicat, eorum doctrinam & celebritatem, quam recte hujus defectus cauſas alleget, quod plura potius per *Agentes*, quam opera JCti, expediantur, quod ſcripta, in Imperiali Conſilio Aulico exhibenda, ſi res Principum Germaniæ ſpectent, potius a JCtis Evangelicarum Academiarum, quam ab Auſtriacis, ſin feuda Italiæ, rarius quoque ab his, quam ab Advocatis Mediolanenſibus, Mantuanis, &c. elaborentur; quod Auſtriaci, Bohemi, ac Hungari, bonis Academiis careant, & ipſa Vindobonenſis Univerſitas, ex quo Patres S. J. pedem intulerint, ab antiquo ſplendore deciderit, quod denique, Dicaſteriis omnibus flore Nobilitatis refertis, exiguus maneat non ſolum Advocatis, ſed & Conſiliariis, civicæ conditionis, honos, quæ omnia, quantum corrigi poſſunt, emendatum iri ſperat, per illam temporum ſub Auguſtiſſimi *Caroli VI* imperio non intermorituram felicitatem.

MISCELLANEÆ OBSERVATIONES IN Autores veteres & recentiores, ab eruditis Britannis A. 1731 edi cœptæ, cum Notis & Auctario variorum Virorum doctorum.

Volumen II, III, IV, & V.

Amſtelodami, apud Janſonio-Waesbergios, 1733 & 1735, 8. Unumquodque Volumen, in tres Tomos diviſum, conſtat Alph. 1 plag. 8.

Reſpon-

Respondit adhuc votis noſtris, quæ in *Actis Anni 1733 Menſ. Octobr. p. 467*, & ejusdem *Anni Menſ. Novembr. p. 517* fecimus, eventus. Diligenter telam cœptam pertexuerunt doctiſſimi Viri, quibus vel ipſæ Obſervationes, vel collectio illarum, atque editio, debetur. Nos tardi fuimus in beneficio illorum atque munere, quo literariam rempublicam affecerunt, atque utinam diu afficiant, prædicando, quod ille noſtrum, qui hanc provinciam ſuſceperat, migratione, & novi muneris turbis, impeditus ſit facere, quod cum voluptate ſe alioquin facturum fuiſſe profitetur. Ceterum ita crevit interim multitudo bonarum deliciarum in his *Voluminibus*, ut difficillimum ſit aliquid ſeligere, & ne opus quidem valde eſt, cum ex ſuperioribus ſpeciminibus ſatis conſtare poſſit, quid de fratribus libellis ſperare debeant ſtudioſi, hoc unum ſi dicamus, gemellos eſſe, & primogenitis illis vel plane ſimiles, vel minime certe indignos. In *ſecundi* quidem *Voluminis* Præfatione jam ſignificant Belgæ Collectores, minui paulatim Britannicas copias, quod ipſum futurum prædixerant, cum patrio ſermone illas ſcribere incepiſſent Autores, quo fit, ut extra illam Inſulam non vendantur, in ipſa autem pauci nimis ſint, qui legere eas, quam libellos alios de philoſophia aut de republica, malint. Cum vero continuari ſuum opus optarent Belgæ, idque eodem loco ſignificarent; res ita cecidit, ut in *quarti Voluminis*, ejusque *Tomi III*, Præfatione & defeciſſe jam Britannorum Obſervationes querantur, & tamen indicent, eas ſibi tum ex Belgio, tum ex Germania, tum ex ipſa denique Anglia, copias vel adeſſe jam, vel promiſſas ſperari, unde porro continuari opus utiliſſimum poſſit. Igitur etiam in titulo aliquid mutatum, qui a *Voluminis V Tomo I* talis eſt: *Miſcellaneæ Obſervationes in Autores veteres & recentiores, ab eruditis Britannis inchoatæ, & nunc a doctis Viris in Belgio & aliis regionibus continuatæ:* & deprehendent, qui judicare de his rebus poſſunt, etiam hic eſſe, quorum Britannos non pudeat, quæque ſolari defectum illum poſſint. Neque tamen ideo non obteſtandi ſunt Viri beatæ illius Inſulæ doctiſſimi, ut fidem Collectoribus Belgis datam liberent, & ſubinde ſui ingenii & doctrinæ copiam illis, & per

per illos universis, qui hæc talia amant, faciant. Et tamen facere non possumus, quin vel paucissima specimina proferamus, ut ea primum aperientibus libellos eruditissimos inciderint. *Vol. II p. 9 Suidas* in Αὐτόχθονες, postquam commemoravit, Athenienses ita dictos, & cur ita dicti viderentur, subjicit: Αὐτόχθονες δὲ καὶ Ἀρκάδες καὶ Αἰγινῆται καὶ ἈΘΗΝΑΙΟΙ ἐκαλοῦντο. Cl. *Kusterus*, ταυτολογίας vitandæ causa, ita vertit: *Non solum Athenienses, sed etiam Arcades & Æginetæ, vocabantur αὐτόχθονες.* Multo melius autem hic ex *Harpocratione* in αὐτόχθονες, & ipso *Suida* in Ἀθηναίων δυσβουλία, pro ΑΘΗΝΑΙΟΙ legitur ΘΗΒΑΙΟΙ. Paulo post *p. 11* ex eodem *Suida* profertur locus in Φάνης: Ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς εἰσηνέχθη ὁ Φάνης αἰδοῖον ἔχων περὶ τὴν ΠΥΓΗΝ: idem repetitur sub Πρίαπος: — εἶχε δὲ τὸ αἰδοῖον ἐπάνω εἰς τὴν ΠΥΓΗΝ. Negat se intelligere Vir doctus, quid hæc sibi velint, & utroque loco substitui vult ΠΥΓΜΗΝ, & locum esse parallelum ait alteri *Suidæ*, in Πρίαπος: —— ἄγαλμα ἐν τῇ δεξιᾷ σκῆπτρον κατέχον — ἐν δὲ τῇ εὐωνύμῳ κρατοῦν τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ ἐντεταμένον. Neque nos intelligimus plane, quid sibi velit περὶ τὴν πυγήν, vel ἐπάνω εἰς τὴν πυγήν. Sed nobis videbatur *Suidas*, sive is, quem ille descripsit, Priapi non gestum, sed præternaturalem ac turpem conformationem membri, quo censetur, ibi describere voluisse, cui non repugnat vulgaris illa repræsentatio, nisi quis forte constantiam in talibus rebus postulet, quæ totæ debentur ingeniis. Deinde vellemus ostendi, vocabulum πυγμὴ ita usurpari, ut ad comprehendendum pertineat. *Pollux* quidem II, 147, ἂν συγκλείσῃς, inquit, τὴν χεῖρα τὸ ΕΞΩΘΕΝ πυγμὴ καλεῖται. Denique usus τῆς περὶ ipsum etiam movit Virum doctum; itaque substitui voluit παρά, nescimus, quam & hoc ad Græcorum rationem accommodate. Itaque nondum videtur res confecta, præsertim cum forte monstrifici commenti Autor voluerit Priapum aut Phaneta suum inter ὀπισθουρητικά, & πυχηδὸν seu ὄπισθεν συνιόντα referre, de quibus *Aristoteles* Hist. anim. V, 2, *Plin.* 10, 63, s. 53, *Solin. Cap.* 27. Plus semel in his *Actis* conquesti sumus de licen-

centia, & negligentia, & importunitate quorundam interpretum Gallorum, v. g. in *Pausania*, in *Ciceronis* Orationibus, &c.

Pag. 253. Vir doctus ad *Taciti* librum primum Annalium Francice versum ab *Ameloto de la Houssaie* multas proponit observationes, quibus ostenditur, *Hoofdium* fere semper rectius mentem *Taciti* percepisse, *Amelotum* autem parum paratum ab eruditione illa, quæ ad *Tacitum* intelligendum requiritur, ad illud opus accessisse: fallique adeo eos, qui jactent, *facile jam Tacito Latino elegantes homines carere posse*, &c. Satis enim de hoc ætatis nostræ morbo dicere nos in his *Actis* meminimus. Proposita etiam est in his ipsis *Actis A. 1731 p. 453* emendatio *Luciani*, cujus encomium *Demosthenis*, tribus minimum locis male cohærens, deprehensa unius folii vel paginæ transpositione, feliciter restituit Cl. *Jo. Matthias Gesnerus*, Collega noster perindustrius, & in nova Academia Gottingensi Eloquentiæ & Poes. Profess. Eandem plane viam, paucissimis a *Gesneriana* diversam, ingressus est eruditus Britannus *p. 368 Voluminis*, in quo versamur, *secundi*. Cumque annum minimum ante publicata sit *Gesneri* nostri emendatio, quam apud Anglos eadem prodita est, nemo temere illum plagii accusabit. Sed satis ipse causam dixit in altera *Chrestomathia Græca* editione Lipf. 1734, quæ verba ex Præfatione huc transferre operæ pretium videbatur, cum memorabile sit, rem, a tot viris doctissimis, qui *Lucianum* a renatis inde literis tractarunt, non animadversam, intra paucos annos pluribus intervallo locorum disjunctissimis in mentem venisse. *Nominari*, inquit, *se non ægre feret Vir veteri mihi amicitia conjunctissimus, & carus summo merito suo literatis prope omnibus*, C. A. Heumannus, *V. S. R. qui jam anno Seculi XXI* omni exceptione superiorem *judicavit* hanc emendationem, & dignam, cui acclametur vetus illud: feliciter. *Neque irascetur Vir & ipse celeberrimus* Ti. Hemsterhuis, *hic indicari, ipsum literis, post aliquando, sed eodem anno, ad me datis, significasse, eadem sibi, quæ mihi, de illa transpositione in mentem venisse, neque sibi tantum, sed etiam* Mosi de Soul, V. Cl. *qui olim in* Luciano *perpoliendo laboraverit. Adjicere ista visum est, ne quis forte vel de nobis aliquid suspicetur, vel de viro docto, qui nuper in Miscel-*

laneis

lancis Britannorum Observationibus, paullo post priorem hujus libelli editionem, (ejusque in Actis *recensionem,) eandem fere emendationem proposuerit, nisi quod una præsertim in re diversum a me sentit, quod suo loco indicavi. Conferat, qui volet, Miscellanearum Observationum, ut apud Belgas eduntur, Vol. II To. III p. 368 seq. & judicet, cui felicius res successerit. A vanitatis quidem & jejuni cujusdam plagii crimine me ipsa temporum ratio, facile autographis laudatissimorum virorum confirmanda, reliquos Viros doctos candor suus pudorque, & reliqua de bonis literis merita, absolvunt.* De tota re non melius judicari potest, quam toto loco, ut a *Gesnero* in *Chrestomathia* laudata editus est, inspecto. Probavit etiam illam transpositionem Cl. *Jo. Ge. Lotterus*, Collega & ipse noster, in Academiam Petropolitanam nuper evocatus, cujus Germanica interpretatio hujus Dialogi Collectionem primam scriptorum Societatis apud nos Theotiscæ ornat, *ed. secunda p. 602. seq.* Notabilis est in hoc *Volumine p. 376* Dissertatiuncula de nobili testimonio *Josephi*, cui cum fortissimum telum objiciatur, *Josephum* non potuisse & Judæum esse, & Jesum sine restrictione Christum appellare; hanc viam init Autor, ut dicat, pro *ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν* legendum *ὁ λεγόμενος Χριστὸς οὗτος ἦν*. Sed doctus Belga annotat, non debuisse inter objecta huic testimonio omitti varietatem codicum, quorum unum ipse Venetiis in D. *Marci* Bibliotheca viderit, decimi vel undecimi Seculi, qui testimonium illud non habuerit suo loco, sed in calce voluminis, vel eadem, vel non multum certe recentiori, manu scriptum. Spes hic injicitur copiosæ hac de re tractationis. Quisquis hoc argumentum tractaverit, ab illo optamus refutari posse suspicionem speciosam, in Sibyllistas Christianos, & similium fraudum reos, commotam. Nihil nobis erat jucundius, quam reliqua *Volumina* præclari Operis, & *facis criticæ* nomen non minus *Gruteriana* meriti, (utinam nec prius deficiat, quam ad eandem quoque molem pervenerit!) eadem ratione percurrere, & singulorum recensioni & speciminibus aliquantum immorari. Sed ad sitim eorum accendendam satis hæc esse putamus his, qui hoc gene-

re eruditionis delectantur, qui proinde ipsum volutare Opus malent, & ad optimorum librorum emendationem, interpretationem, vel defensionem adeo, adhibere. Illud unum adjicimus, cum alias perpetuam fere modestiæ legem observent Viri docti; in fine *Voluminis quinti* esse acerbam censuram *Historiæ literariæ Gundlingianæ*, ex acroasibus viri docti nuper editæ. Non ingerimus nos disputationibus, quæ ad homines magis, quam ad literas, pertinet: at hoc ipsarum literarum causa non videtur dissimulandum, ignotum his esse *Gundlingium*, qui putent ab illo proficisci posse, quæ hic tanquam ex recitationibus ejus proferuntur: tum, qui judicare de *Gundlingio*, & ea ipsa, quæ asperius ab illo in alios dicta non diffitemur, repellere velit, ei non cum stupore, ignorantia, larvis, discipulorum quorundam *Gundlingianorum*, sed cum ipso *Gundlingio*, h. e. contra ea, quæ ipse vivus edidit, pugnandum.

ELEMENTA SECTIONUM CONICARUM, conscripta ad usum FAUSTINÆ PIGNATELLI, Principis Colubranensis & Tolvensis Ducatus heredis, edita vero in gratiam studiosæ juventutis, Autore NICOLAO DE MARTINO, Regio Mathem. Professore.

Tomi II.

Neapoli, sumtibus Cajetani Eliæ, 1734, 8, chart. aug. Tom. I plag. 21½, Tabb. æn. 8, Tom. II plag. 22, Tabb. æn. 8.

Cum Excellentissima Princeps, quæ omnis generis eruditione ac scientia, non minus philosophica, quam mathematica, animum egregie imbutum possidet, ut inter eruditos hujus ævi eminentem locum mereatur, ab humanioribus literis ad studium Philosophiæ animum appelleret; non solum Geometriæ solidæ ac sublimioris Elementis animum præmunivit, verum etiam in Geometriam sublimiorem alacriter incubuit.

it. In ejus adeo usum hæc Sectionum Conicarum Elementa primum conscripserat Autor, quæ nunc in lucem publicam profert, propterea quod ab aliis elucubrata non omnibus numeris absoluta ipsi videantur. Nova autem vocat hæc Elementa, quod non, quemadmodum vulgo fieri solet, propositionibus, scholiis, & corollariis, res in iis edoceantur, sed continuo & non interrupto sermone, quemadmodum hactenus libri non mathematici conscripti fuere, cuncta demonstrentur. Totum Opus divisit in octo libros, quos per duos Tomos ita distribuit, ut primus quatuor libros priores, secundus quatuor posteriores, complectatur. Libro primo de ortu & natura sectionum conicarum agit, ubi docet, quot modis plano secari possit conus, & quomodo hinc oriantur curvæ, quæ sectiones conicæ appellantur, explicatisque terminis, veluti quid sit diameter, quid vertex, quid ordinata, quid abscissa, ellipsin, hyperbolam, & parabolam, in relatione ad diametrum primariam sive axem definit. Libro secundo explicat modum describendi sectiones conicas in plano tam per conum, quam per solas rectas. Libro tertio ea demonstrat, quæ respectu aliarum diametrorum conicis sectionibus conveniunt, independenter a tangentibus, cum vulgo a tangentibus deriventur, quæ de diametris secundariis traduntur. Libro quarto comparat inter se mutuo diametros omnes cujuscunque sectionis, & parametros earundem inter se confert. Libro quinto de tangentibus & secantibus sectionum conicarum agit, nec non de asymptotis hyperbolæ, quæ considerari possunt tanquam tangentes in punctis a centro infinite distantes. Libro sexto considerat focos seu umbilicos sectionum conicarum; septimo vero de locis geometricis agit, tum in genere, tum in specie de iis, quæ sectione conica terminantur. Tandem libro octavo problematum solidorum constructionem explicat, præmissis iis, quæ de construendis problematis geometricis generatim, nec non de constructione problematum planorum, notanda veniunt. Quamvis vero rigor demonstrandi non minus observari possit, si omnia continuo discursu proferantur, quam ubi methodo Geometris probata traduntur; non tamen Cl. Autor metho-

thodi hujus prærogativas perspexisse videtur, ob quas eam veteres communi scribendi mori prætulerunt.

ELOGIUM ANTONII SCHULTINGII, JCti Lugdunensis.

Immortalem nominis sui memoriam reliquit gloriosissimus fortissimusque humaniorum literarum meliorisque Jurisprudentiæ stator atque vindex, *Antonius Schultingius*, JCtus clarissimus, & Pandectarum in Academia Lugdunensi Doctor publicus celeberrimus. Noviomagum, antiqua Geldriæ urbs, & compluribus ornamentis insignis, tantum tamque præstabilem civem anno elapsi Seculi duodesexagesimo protulit. Patrem habuit *Jo. Schultingium*, carum & venerandum viris doctis nomen, & elaboratissimis in *Quintiliani* Declamationes Animadversionibus, quas suæ *Quintiliani* editioni inseruit *Petrus Burmannus*, nec non eruditis ad M. *Annæi Senecæ* Suasorias & Controversias notis & emendationibus, quas suæ editioni Operum *Senecæ* adjecit *J. Fr. Gronovius*, denique elegantissimis in Dialogum de causis corruptæ eloquentiæ Annotationibus, editioni *Quintiliani*, quæ prodiit Lugduni Bat. A. 1665, adjectis, illustrem. Hic sagacissimi parens ingenii filium in tenera adhuc ætate Lugdunum misit, ut in Græca lingua, Romanis antiquitatibus, & ceteris scientiis, quæ & ornant & juvant JCtum futurum, severa lege proficeret. Neque fefellit spem, quam de felicissimo filii ingenio conceperat parens, auspicatissimus rerum eventus. Sed brevi tempore tantos ille in literis progressus fecerat, ut nunc ad sacra Jurisprudentiæ adyta se conferre consultum duceret. Audivit ergo selectissimos JCtos, *Jo. Voetium*, *Joan. Frider. Bœckelmannum*, & præcipue *Gerardum Noodtium*, cui præcipue obsecutus est, & præclarum inde fructum percepit. Multum quoque ipsi profuit amicitia *Cornelii van Eck*, qui postea Ultrajecti Jura docuit, ex cujus eruditissimis sermonibus semper doctior, semper melior, domum rediit. Sic cum se gereret, & alios liberalibus artibus, & solida Juris scientia, instrueret, A. 1691 munus Harderovici Jura interpretandi accepit. Quadriennio

nio ibi exacto, eandem provinciam apud Franequeranos obtinuit. Atque A. 1714 Academiæ Lugdunensis curatores eum evocarunt, ut amplissima illa, quæ *Jo. Voetius* præmatura morte sua vacua reliquerat, munera condigne administraret. Paruit divinæ voluntati *Schultingius*, & Lugdunum, sedem fortunarum rerumque suarum, cupidissime elegit, tum ut in memoriam revocaret præclarissima, quæ juvenis ibi acceperat, beneficia, tum ut numerosissimam celebratissimamque Bibliothecam Lugdunensem in usus suos eo felicius convertere posset. Functus est hoc munere magna fide, nec minori gloria, ita, ut laudem gloriamque summi præstantissimique JCti vivus spiransque, raro infrequentique exemplo, sibi pepererit. Cœlebs semper vixit, & suave illud cum Themide consortium conjugalibus illecebris sapienter prætulit. Memoriam inprimis habuit tenacissimam, ut omnium, quæ unquam legerat, aut fando audiverat, confestim recordaretur. Extrema senectute in ea loca commigravit, unde negant redire quemquam, mortuus quippe anno 1735 die 12 Martii. Sequenti die in æternam translatus fuit domum, in eo inprimis felix, quod disertum laudum suarum præconem Cel. *Vitriarium* nancisceretur. Sic quidem e vita excessit eloquentissimus *Schultingius*, sed aurea scripta nomen ejus seræ commendabunt posteritati. Etenim, præter *Jurisprudentiam veterem Antejustinianeam*, Lugd. Bat. A. 1717 typis exscriptam, Opus æternum, & omnibus Seculis profuturum, conscripsit Vir laboriosissimus 1) *Enarrationem Partis primæ Digestorum*, *Lugd. 1710*; 2) *Dissertationes de recusatione judicis, pro rescriptis Imperatorum Romanorum, de transactione super controversiis, quæ ex ultimis voluntatibus proficiscuntur, etiam non inspectis vel cognitis illarum verbis recte ineunda, quibus accedit Oratio de Jurisprudentia M. Tullii Ciceronis, Franeq. 1708*, 4, Opus rarissimum; 3) *Dissertationes, de recusatione judicis, conjunctim editas Lugd. Bat. 1714, 8*; 4) *Orationem, an Tribonianus culpandus sit, quod JCtorum antiquorum scripta suppresserit, ac posteriorum, qui sub Imperatoribus floruerunt, Responsa in Pandectas retulerit? Sermonem de Juris-*

risprudentia historica, quas binas Orationes Jurisprudentiæ Ante-Justinianeæ adjecit; 5) *Orationem funebrem in obitum Jacobi Perizonii, Lugd. Bat. 1715, 4*; 6) *Orationem de utilitate ex Jurisprudentia Romana ad alias artes & scientias redundante, Lugd. Bat. 1718, 4*; 7) *Orationem de angusta hominis innocentia ad legem boni, Lugd. Bat. 1730, 4*; 8) *Exercitationem ad Valerium Maximum L. VII Cap. 7 de testam. rescissis*, quam *Abrahamus Torrenius* suæ editioni, *Lugduni Batavorum* publicatæ A. 1726, tanquam præstantissimum aliquod cimelium inseruit. Hæc sunt sempiterna magni *Schultingii* monumenta, quæ vivus spiransque indefessa diligentia sibi erexit, quibus & nomini suo certissimam conciliavit immortalitatem. Neque tamen hisce cenotaphiis contentus fuit infinitæ Vir industriæ, sed plurimos libros manu exaratos reliquit, & ultimis, quas prudenti conscripserat consilio, tabulis *Conrado Ryckero*, dignissimo *Schultingii* successori, assignavit, quem publice conceptisque verbis rogamus, ut, quanta fieri possit, celeritate in lucem prodire jubeat selectissima hæc *Schultingiani* ingenii monumenta, eorumque editione bene mereatur de orbe meliore, bene mereatur de beatis divi *Schultingii* manibus.

NOVA LITERARIA.

Pervenit ad nos lætus nuntius Florentia de novorum librorum, jam nunc sub *Tartini* & *Franchi*, optimæ famæ Typographorum, prelo sudantium, triga, cui ut felicissimis auspiciis quam proxime exire in lucem publicam contingat, elegantioris doctrinæ causa vehementer optamus. Harum vel rubrum nosse, jam sufficiat Lectori:

Jo. Baptistæ. Donii, *Patricii Florent. Lyra Barberina, sive Amphichordium; in quo libro vetus citharodia, lyraque præsertim ac citharæ forma, usus, partes, species, appellationes, illustrantur. Opus nunc primum editum. Accedunt ejusdem* Donii *de præstantia Musicæ veteris; item Epistolæ clarorum virorum ad* Donium, & Donii *ad eosdem Viros claros. Curante* Antonio Francisco Gorio, *F. P. H. P. multis Figuris, incisis aneis Tabulis, locupletatum ex antiquis monumentis, quæ Musica instrumenta præferunt. fol.*

Joannis Meursii *Opera omnia, in plures Tomos in folio distributa, ex recensione & cum Notis* Jo. Lamii, *& aliorum doctorum hominum observationibus; tabulis plurimis, & antiquis monumentis, æri incisis, passim ornata & illustrata, nec non, ubi ratio operis poscit, supplementis aucta, & locupletata. fol.*

Jo Lamii *Chronologia virorum eruditione præstantium, qui ab orbe condito ad annum MD floruere. 8.*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXXVI.

VETERA ROMANORUM ITINERARIA, sive ANTONINI AUGUSTI Itinerarium, cum integris JOS. SIMLERI, HIERON. SURITÆ, & ANDR. SCHOTTI, Notis; Itinerarium Hierosolymitanum, & HIEROCLIS, Grammatici, Synecdemus, curante PETRO WESSELINGIO, qui & suas addidit Aunotationes.

Amstelodami, apud J. Wetstenium & G. Smith, 1735, 4 maj. Alph. 4 plag. 10.

Novam Itinerarii, quod *Antonino Augusto* vulgo tribuitur, editionem, eamque luculentiorem, quibus veteris Geographiæ, sine qua in Scriptorum præstantissimorum lectione vix pedem promoveris, quin offendas, studium curæ cordique est, jam pridem exoptarunt. Tanto illi plus debebunt Cl. *Wesselingio*, qui tam pulchro nitidoque id habitu exornatum prodire in lucem jussit, ut eruditorum hominum, qui nihil non præclari de singulari ejus doctrina, ingenioque præstantissimo, sibi pollicebantur, spem atque expectationem non tam implesse, quam vicisse, videatur. Qua de re antequam plura in medium afferamus, de Autore hujus Itinerarii quid sentiat eruditissimus Vir, videbimus.

Nempe, qui id *Julio Cæsari*, *M. Antonio*, *Antonino Pio*, *Caracallæ*, *Ammiano Marcellino*, *Marciano Heracleotæ*, *Æthico*,

co, acceptum referunt, eos conjecturis longe incertissimis niti existimat. De *Æthico* inprimis, quem *Josias Simlerus* & *Barthius*, aliique plures, Autorem perhibent, ostendit, Cosmographiam illius in plerisque ab *Itinerario* discrepare, ipsamque illam in MStis ab eo distingui sollicite, neque ullum exstare Codicem, qui quidem Clarissimo Editori innotuerit, in quo id *Æthico* tribuatur. Laudari sane aliquem a Cel. *Jo. Alb. Fabricio* in Bibliotheca Latina fide *Barthii*, in quo *Æthici* adscriptum fuerit nomen, sed locum *Barthii*, ubi simile quid reperiatur, frustra sibi quæsitum. *Æthico* eidem (ut *Jacobi Gothofredi*, *Antoninum* vel *Antonium Augustum*, Itinerarii hujus Autorem, sub *Theodosio* Juniore ex numero togatorum seu mensorum limitum, cujusmodi ad provincias mensurandas mitti solebant, fuisse statuentis, sententiam taciti prætereamus,) adscribunt *Flodoardus* & *Hugo Flaviniacensis*, quos æque ac illos, qui id vel *Julio Cæsari*, vel *M. Antonio* deberi contendunt, deceptos esse, Præfatione, Cosmographiæ *Æthici* præmissa, quæ obiter emendatur atque illustratur, Cl. *Wesselingius* optime demonstrat. Ipse quid sentiat, si quæras, *Magno* quidem *Constantino* Itinerarium hoc, prout hodie exstat, recentius esse, arbitratur, non tantum propter nomina urbium, Constantinopolis, Diocletianopolis, Maximianopolis, atque alia, sed & ob alia Sæculi IV indicia, cujusmodi est, quod per Gallias nationum nomina urbibus, quæ gentium erant capita, indita cernuntur, proque Augusta Rauracorum, Rauracos, pro Augusta Suessionum, Suessiones, dicitur, quodque pleraque urbium & mansionum nomina *monoptota* sunt. Utcunque autem hodierna hujus Itinerarii dispositio ultra Seculum quartum vix assurgat, initia tamen ejus originemque antiquiora censet, ratus, *Augusto* jam principe dimensionem quandam terrarum fuisse institutam, sed rudem, multaque ad omnes imperii partes superfuisse, nondum in ordinem redacta. Diligentiorem inde operam a *Dionysio*, *Strabone*, *Mela*, *Plinio*que, ei rei impensam, longinsque etiam postea *Marinum Tyrium* & *Ptolemæum* progressos, iisque continuos victoriarum, quibus fines imperii longius Romani proferebant, successus fuisse adjumen-

jumento; *Trajani* inprimis tempore menſurata omnia, & in uſum curſus vehicularis vias manſionibus ſtabulisque diſtinctas, &, ut facilius innoteſcerent, in tabulas relatas fuiſſe, idque inprimis in commodum legionum & cohortium, nunc huc, nunc illuc, prout res ferret, commeantium hinc enata eſſe Itineraria, cujusmodi & præſens, paulatim, ut fieri ſolet, novis urbium titulis locupletatum, quod, ut *Severi* & *Caracallæ* tempora exſuperare non poſſit, ita nec infra *Conſtantini M.* ætatem multum demitti; quis vero Autor ſit ejus, cujusne juſſu digeſtum primum fuerit, non liquere. De Itinerario vero maritimo cenſet Cl. *Weſſelingius*, fragmenta ejus egregia ad nos perveniſſe, quale eſt, quo portus & poſitiones navium ab urbe Roma in Galliam deſcribuntur, ſed haud pauca aliunde poſtea ex *Iſidoro Hiſpalenſi* & Poetarum ſcholiis hauſta acceſſiſſe. Ceterum, cum Itineraria alia fuerint *picta*, alia *annotata*, prout *Vegetio* appellantur, quod viæ militares, urbes, & manſiones, milliaque paſſuum, quibus diſtinguuntur, annotata tantum & ſcripta eſſent, ex poſteriorum genere noſtrum, &, quod illi ſimile hac ex parte, Hieroſolymitanum, eſſe, res ipſa loquitur. Sed hactenus de Itinerario ipſo, ejusque Autore.

Quod ad editionem ejus præſentem attinet, in eo Cl. *Weſſelingius* omnia, quæ *Simlerus* & *Schottus*, quorum labores in Itinerarium hoc ceteris palmam præripiunt, ad illuſtrandum id congeſſere, bona fide retinuit. *Schottus* animadverſionibus ſuis *Hier. Suritæ* Commentarium adjecit, ſed eum haud raro interpolatum conturbatumque, cum in affectum tantum, quod merito dolet Cl. *Weſſelingius*, opus Viri longe doctiſſimi incidiſſet. Poſt *Schottum* nullius in Itinerarium hoc, ſi a *Petro Bertio* & *Em. Schelſtrateno* diſceſſeris, quorum ille id *Ptolemæo* ſuo, hic *Tomo II* Antiquitatum Eccleſiaſticarum, MSto Vaticano uſus, inſeruit, opera præcipua exſtat; obiter tamen id plures attigere, ut, præter *Abrah. Ortelium*, *Car. a S. Paulo*, & *Chriſtoph. Cellarium*, *Cluverus* in Germania atque Italia, *Holſtenius* in eadem Italia, in Gallia *Hadr. Valeſius*, *Honor. Bouche*, *Guil. Catellus*, *Arn. Oinebartus*, in Hiſpania

Petrus Maria, & *Rodericus Carus*, in Lusitania *A. Resendius* & *Vasconcellus*, in Britannia *Guil. Burtonus*, *Th. Galeus*, & *Jo. Horslejus*, quorum omnium, & plurium aliorum, scripta consuluit Cl. *Wesselingius*, atque in rem suam studiose vertit. In universum MStorum codicum vestigia premenda ratus, urbibus suos casus & inflexiones restituit, ab *Hier. Surita* male mutatos, asteriscisque sublatis, qui in *Schotti* editione regium *Suritæ* MStum ea parte mutilum innuunt, unde multis suspicio defectus, qui nullus est, nata, annotationes nunc productiores, nunc breviores, subjecit, in quibus nunc, si quid mutandum esse censuit, indicavit, nunc de virorum doctorum opinionibus sententiam dixit, nunc veterum Scriptorum loca explicare aut constituere laboravit. Prout autem præcipue ei curæ fuit, ut MStos Codices nancisceretur, sine quibus liber vitiosissime excusus emendatior dari non posset, ita Cl. *Burmannus* ei *Vossiani* Codicis, quem Bibliotheca Lugdunensis servat, apographum, itemque excerpta ex *N. Cusani* schedis, Cl. *Fr. Oudendorpius*, quæ *Isaac. Vossius* editioni *Schotti* ex binis membranis adscripsit, & Cl. *Marcklandus* gemina ex eadem *Schotti* editione, a D. *Richardsono* iisdem, ut videtur, collationibus *Vossianis* instructa, S. Rev. *Jo. Alb. Frabricius* Lugdunensem editionem, variantibus lectionibus oppletam, obtulerunt, præter quos & Cl. *Jo. Philippum D'orville* & *Hermannum van de Wall*, inprimis autem Cel. *Tib. Hemsterhusium* sibi, in adornanda hujus libri editione occupato, consilio & opera adfuisse, gratus profitetur. Postremum inprimis jure laudat, quod sub graviori onere fatiscentem sublevarit, plurima, quæ in ceteris velut emblemata exsplendescant, suppeditarit, ingratumque perlegendi, quæ formis descripta essent, ne operarum peccatis deformarentur, laborem susceperit. Qui *Hemsterhusium* novit, quantum ea re pretii libro huic accesserit, facile intelliget; utinam, qui alieno operi emendatius excudendo expoliendoque tam promte auxiliatrices manus adhibuit, proprios fœtus, quos jam pridem expectat Respublica literaria, inprimis *Lucianum*, diutius ne invideret.

Huic Itinerario Hierosolymitanum, sive Burdigalense, adjunxit

xit Cl. *Wesselingius*, illi nempe simillimum, quod cum per easdem provincias easdem mansiones, & passuum millia, quam *Antoninianum*, indicet, plura adspergit, quæ alibi frustra quæras. Id Vir Clarissimus ab homine Aquitano Christiano circa postremos imperii *Constantini M.* annos eo consilio, ut Hierosolyma contendentibus via monstraretur, scriptum censet, persuasus, membranarum, quæ depictum orbem ostendunt, quæque eo tempore non deerant, augustias obstitisse, quo minus satisfacerent peregrinantibus; igitur aliis indicibus, iisque accuratioribus, locorum, distantiæque unius ab altero, opus fuisse; operam, in præsenti Itinerario concinnando adhibitam, tanto opportuniorem videri, quanto acrior circa ejus ætatem plerosque Hierosolymorum visendorum cupido incesserit, cujus in caussas Cl. *Wesselingius* pluribus inquirit. Neque vero Autor Itinerarii hujus peregrinantes tantum ad urbem sanctam deducit, sed &, quæ vel Hierosolymis, vel Bethlehemi, atque in vicinia, notatu digna, commonstrat. Quæ unde edoctus fuerit, cum illico non pateat, haud pauca ex illis scripta fuisse post occupatam a Christianis Europæis Palæstinam, statuit *Samuel Petitus*. Sed rectius existimat Cl. *Wesselingius*, jam tempore eo, quo scriptum est Itinerarium hoc, fuisse inter cives inconditos, quibus civitas tanta, *Eusebio* teste, abundabat, aliquos non malo ingenio, qui, seu conjectura, seu veteri & accepta ab aliis opinione, ducti, hospites ad ea, quæ visenda essent, ducerent. In Itinerario hoc Hierosolymitano typis iterando editionem *Schotti*, cum *Pithœanam* expiscari non potuerit, potissimum secutus est Cl. Editor. Scriptus ei codex ad manum non fuit; consuluit tamen excerpta *Vossiana*, editioni *Schotti* adjecta, &, quæ ab illis non dissident, *Richardsoniana*, quorum illa Cl. *Oudendorpius*, hoc ingeniosissimus *Marcklandus*, suppeditavit. Notis Itinerarium hoc illustrare constituerat Cel. *Relandus*, ut patet ex *Palæst. Lib. II Cap.* 4, cujus editionis ut minus dolenda videatur jactura, Cl. *Wesselingii* industria effecit.

Utrique Itinerario accedit Synecdemus *Hieroclis*, qui libellus, ut dubia in illis incertaque confirmat, ita vicissim ab iis opem mutuatur, quæque illa in Orientis provinciis prætermit-

 tunt,

tunt, commode supplet. Scriptorem eum *Constantino Porphyrogenito*, adeoque Seculo IX, priorem esse, nemo dubitat; quo tamen tempore floruerit, incertum. Circa Saracenorum ætatem Synecdemum hunc scriptum esse, sibi *Car. a S. Paulo*, sed perperam, persuasit; ad *Theodosii II* tempora refert *Luc. Holstenius*, qui ut sententiam suam firmis rationibus constabilivisset, Cl. *Wesselingius* exoptat. Nam, ea si locum haberet, *Hierocles* hic non alius foret ab eo, quem φιλίςορας λόγους reliquisse *Tzetzes* Chiliad. VII, 144, testatur. Sed obstant Leontopolis in provincia Osdroene & Justinianopolis, ut & Pannonia provincia, Orientis imperio subjecta, quæ ad *Justiniani* ætatem utique demittit *Hieroclem*, sub quo, & quidem ante *Belisarium*, Consulem, eum scripsisse, ex provinciarum Orientis, quibus singulis præfectum suum imponit *Hierocles*, Descriptione, & mutatione earum a *Justiniano* facta, colligit Cl. *Wesselingius*, ductum Autoris Dissertationis Chorographicæ Italiæ medii ævi potissimum secutus. Libellum ipsum nec genuinum, nec integrum, esse, contendit *Em. Schelstratenus* T. II Antiquitatum Ecclesiasticarum. Prius refellit Cl. *Wesselingius*, non æque posterius, cum utique inficiari non possit, plures deesse civitates, librariosque supina quadam negligentia neglexisse, quæ vitiosiora videbantur, multa alia vero turpissimis mendis fœdasse. Ceterum, notitia, quam libellus hic complectitur, civilis, an Ecclesiastica, fuerit, si quæras, nihil eum magnopere habere, cur Notitiis Ecclesiasticis accensendus videatur, statuit Cl. *Wesselingius*, variisque rationibus adductis luculenter probat. Prima ejus editio, quæ *Caroli a S. Paulo* curis debetur, quotuordecim provinciis mutila prodiit. Auctiorem iis correctioremque *Luc. Holstenius*, cui plures ad manum erant scripti codices, parabat; sed schedas ejus, fato, quo minus destinata perficeret, præpediti, cum in Bibliotheca diu *Barberiniana* latuissent, *Emanuel* demum *Schelstratenus* inde protractas juris publici fecit Antiquitatum Ecclesiasticarum *Tomo II*, post quem & *Anselmus Bandurius* eum T. I Imperii Orientalis inseruit. Cl. *Wesselingius* eas inter se editiones contulit, & ex variis lectionibus verosimillimas adoptavit, reliquis,

ut

ut judicandi facultas aliis libera relinqueretur, ſubnotatis. Cumque ſpe ſcripti Codicis impetrandi jam excidiſſe ſibi videretur, a Cl. *Sigeberto Havercampio* impetravit Τάξιν προκαθέδρας Μητροπολιτῶν, ex MS. *Bonaventuræ Vulcanii* excerptam, quam cum partem eſſe Synecdemi, aut certe Synecdemum in eodem Codice reperiri, ſubodoratus eſſet, eundem ibi, ſine *Hieroclis* tamen nomine præſcripto, deprehendit, ſtudioſeque a pagina inde 673 contulit cum textu, & variantes ſcripturas indicavit, priora ſub finem Præfationis excerpſit, ubi & monuit, Codicem in eo recedere ab editis, quod ſecundo in caſu poſita provinciarum nomina exhibeat. Tantum de inſtituto Cl. Editoris, laude utique digniſſimo; de Opere ipſo, & ad id Virorum doctorum Annotationibus, proxime dicemus.

THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI, Regiomontani, Hiſtoria Oſrhoena & Edeſſena, ex numis illuſtrata, in qua Edeſſæ urbis, Oſrhoeni regni, Abgarorum Regum, Præfectorum Græcorum, Arabum, Perſarum, Comitum Francorum, ſucceſſiones, fata, res aliæ memorabiles, a prima origine urbis ad extrema fere tempora, explicantur.

Petropoli, ex Typographia Academiæ, 1734, 4 maj.
Alph. 2 pl. 3½, cum Tabb. æn. 7.

Hiſtoriam Oſrhoenam & Edeſſenam, numorum veterum, qui ſuperſunt, ope illuſtratam, ſiſtit nobis inſigne Muſarum Petropolitanarum decus, *Theophilus Sigefr. Bayerus*, cujus variam, eamque haud vulgarem, doctrinam non una jam, quibus ſibi Rempublicam literariam devinxit, ingenii monumenta declarant, Opus, ut vel obiter intuentibus facile apparet, magnæ induſtriæ laboriſque, cui elaborando perpoliendoque, propter linguarum Orientis notitiam, quæ poſt alia literarum Græcarum Romanarumque, & Hiſtoriæ omnis ævi, ſubſidia requiritur, hodie pares reperias pauciſſimos. Præmiſſa ei cernitur ad *Erneſtum Joannem* Comitem *Bironium*, Ruſſorum Augu-

Auguſtæ ſupremum Camerarium, Dedicatio, quæ, ut exquiſitis illius laudibus immortales *Annæ* laudes jungit, ita amorem hujus in literas, deſignato novo Academiæ Petropolitanæ Præſide. Viro ad doctrinam cum ornandam, tum excitandam in aliis, incredibili ſtudio flagrante, munificentiamque, ſumma penſionum, quibus Profeſſores aluntur, triginta millibus uncialium nummorum aucta, jure meritoque extollit.

Præfatio, quæ ſequitur, Celeberrimum virum, *Joſephum Simonium Aſſemannum*, compellat, cujus ut monumentis, ex Bibliotheca Vaticana evulgatis, ſe cumprimis adjutum, gratus fatetur Cl. *Bayerus*, ita eum potiſſimum judicem ſibi ſui depoſcit laboris, occupati quippe in argumento, quod, cum Aſiaticas res attingat, propter neglectum literarum, quæ ad eas cognoſcendas viam muniunt, ſtudium, monumentorumque huc ſpectantium paucitatem, peritos ea ex parte arbitros ſperare non multos poſſe videatur. Ex omni autem Aſiaticarum rerum congerie ad Oſrhoenas atque Edeſſenas explicandas potiſſimum acceſſit, quod magnas Meſopotamiæ converſiones complexæ, ad majorum in ſuperiori Aſia populorum memoriam reſuſcitandam facerent, & multa inde in Scriptoribus emendari illuſtrarique, nonnulla etiam in legibus Imperatorum dilucidari, in locorum autem temporumque doctrina haud pauca curatius exponi, poſſent. Quodque in ſcriptoribus bellorum ſacrorum de his ipſis Edeſſenorum rebus multa ex Aſiaticarum rerum linguarumque ignoratione corrupta, obſcura, & ſecum pugnantia, reperiuntur, in quibus emendandis conciliandisque laborem non inutiliter poni poſſe cenſuit, Hiſtoriam hanc ad extrema usque hæc tempora deducendam putavit. Numos autem Regum Oſrhoenorum pleroſque ex iis, quos vidit, ut non admodum rudes ab arte, & Parthicis non tantum, verum & pleriſque ab Edeſſa urbe libera cuſis, luculentiores deprehendit, ita in delineatione eorum, quæ minus aperte ſe oculis ingerebant, obſcurius delineata ſiſtere, quam, quod non eſt, comminiſci, maluit. Reges vero illi cum fere aut Parthi fuerint, aut Syri, aut Arabes, e Græcis vero nullus; non credit, publicæ autoritatis conſilio Græcis titulis ſignatos fuiſſe eorum numos,

ſed

ſed hoc monetariis fuiſſe permiſſum, quos Græcos eos habuiſſe, inde colligit, quod monetæ tum ſignandæ ratio atque ars ad barbaros nondum divulgata eſſet. Miratur vero, inter Edeſſenos numos argenteum adhuc nullum, nedum aureum, obſervatum eſſe, ejusque rei cauſam inopiæ tribuit, quod argentifodinæ tum nullæ, quæ in Romanorum poteſtate non eſſent, reperirentur, Arabicis quippe & Indicis neglectis, nec mercaturæ admodum patentibus ulterioris Orientis partibus. *Vaballathi* enim & *Zenobiæ* ſi qui argentei & aurei numi proſtant, quorum unum eximium cum literis Palmyrenis ſe vidiſſe docet Cl. *Bayerus*, tametſi Antiquarii adhuc, præter quosdam *Vaballathi* argenteos, nullos niſi æreos obſervarunt, eos ex Romanis Perſicisque conflatos arbitratur.

Sed ad ipſum jam Opus pergimus, quod Libris quinque, quicquid ad argumentum hoc penitus exhauriendum undiquaque vel ex ſcriptoribus, vel ex numorum penu, conquiri promique, ingenii indefeſſi prorſus, & omnia ſingulari ſtudio excutientis, ope, potuit, complectitur. Primus, ſitu Edeſſæ & origine, quam ad Chaldæos refert Cl. *Bayerus*, indagata, de incrementis ejus ſub *Seleuco Nicatore* potiſſimum diſſerit, qui Græcos in Meſopotamia, & Macedonas, ex *Alexandri Antigoni*que exercitibus allectos, Edeſſam traduxit, atque urbi huic, antea Urhoi dictæ, Macedonicum Edeſſæ nomen, ſi *Appiano Alexandrino* fides, honoris *Alexandri* cauſa impoſuit. Sed ab *Seleuco* potius Antiochiam eam dictam cenſet Cl. *Bayerus*, eoque numum *Antiochi IV* cum inſcriptione: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ refert cum *Jo. Harduino*, quem *Vaillantius* ad Callirhoen in Palæſtina revocaverat. Καλλιῤῥόη enim fluvius ad Edeſſam eſt Cl. *Bayero*, ab Arabico *Roha* & Græca voce *κάλλος* ita dictus, cui Scirti nomen Macedones, ut urbi Edeſſæ nomen, indidiſſe exiſtimat. Ab *Seleuco* vero eodem Edeſſeni tempora ſua numerare cœperunt adſcita epocha Seleucidarum, inchoantes annum ſuum non a Januario Juliano, quod *Joſepho Scaligero* viſum, ſed ab Octobri, in quem primus Edeſſenorum menſis incidit, quorum hoc ſchema Cl. *Bayerus* exhibuit:

Teschrin prior	a Cal.	Octobr.
Teschrin posterior		Novembr.
Conun prior		Decembr.
Conun posterior		Januar.
Schvot		Februar.
Odor		Martiis
Nison		Aprilibus
Jor		Majis
Chsiron		Juniis
Tomus		Juliis
Ov (Ab)		Augustis
Ilul		Septembr.

Observat tamen, sic annos suos egisse Edessenos aliquanto post annum Julianum constitutum, inprimis, postquam colonis Romanis adscribi Edessa cœpit: superioribus vero temporibus a Septembri, Syrorum reliquorum more, annum eos exorsos. Ceterum hæc ipsa æra Edessenorum, quæ una cum Seleucidea eademque est, & ab Olympiadis CXVII A. 1 decurrit, adhuc in numis eorum nullis comparuit, nisi forte in unico, a viris doctis adhuc pro Parthico habito, in quo annus ΓΚΥ, quem Edessenis vindicare conatur Cl. *Bayerus*, qui haud perfunctorie in Chronologicas eorum rationes, & modum inprimis annos eorundem cum aliis epochis, annisque Abrahæ præcipue, componendi, inquirit.

Sub *Seleuci* successoribus Edesseni eadem usi fortuna, qua reliqua Mesopotamia, dum, rebus Seleucidarum collapsis, Parthi rerum potiti, occasionem condendi regni Edesseni præbuerunt *Osrhoi*, ut is recte *Procopio* appellatur, n meisi ei *Chosrhoem* aliquem, Regem Persarum, substitutum *Jacobus Gronovius* ad *Ammianum Marcellinum* mallet, inter Edessenos autem Reges locum abnegat *Norisius*, ratus, *Abgari* nomen hos semper tulisse, id quod secus habere, vel ex serie eorum, a Cl. *Bayero* ex *Dionysio Telmariensi* apud *Assemannum* in Bibliotheca Orientali contexta, abunde patet. Sunt eorum viginti octo:

I *Orho* vel *Osrhoes*, *Chevio* filius, ab anno ær. Seleuc. CLXXVI regnavit annos V.

II *Abdus*

II *Abdus*, *Mazouri* f. ab A. Seleuc. CLXXXI regn. annos VII.

III *Paradastes*, *Gubari* f. ab A. Seleuc. CLXXXIX ann. V.

IV *Bacrus*, *Paradastæ* f. ab A. Seleuc. CXCIII ann. III.

V *Bacrus*, *Bacri* f. ab A. Seleuc. CXCVI ann. XX.

VI *Abgarus Phicas* ab A. Seleuc. CCXVII ann. XXIII mens. V, quanquam & ante cum *Manno*, & *Bacro* decessore, triennii fere intervallo regnavit.

VII *Abgarus*, *Abgari* f. ab A. Seleuc. CCXXXIX ann. XV.

VIII *Manus Deus* ab A. Seleuc. CCLV ann. XVIII mens. V.

IX *Pacorus* ab A. Seleuc. CCLXXIII ann. V.

X *Abgarus* ab A. Seleuc. CCLXXVIII ann. III.

XI *Abgarus Sumaca* ab A. Seleuc. CCLXXXI ann. III.

XII *Manus Saphelul* ab A. Seleuc. CCLXXXIV ann. XXVIII mens. VI.

XIII *Manus*, *Mani* f. ab A. Seleuc. CCCXIII ann. VI.

XIV *Abgarus Uchama* ab A. Seleuc. CCCXIX ann. XXXVII.

XV *Manus*, *Abgari* f. ab A. Seleuc. CCCLVI ann. VI.

XVI *Manus*, *Abgari* f. *Mani* superioris frater, ab A. Seleuc. CCCLXIII ann. XIV.

XVII *Abgarus*, *Mani* f. ab A. Seleuc. CCCLXXVII ann. XX.

XVIII *Abgarus*, *Ajazethæ* f. ab A. Seleuc. CCCXCVII ann. VI mens. IX.

XIX *Parnataspates* post interregnum biennii ab A. Seleuc. CCCCVI ann. III mens. X.

XX *Parnataspates* junior ab A. Seleuc. CCCCX Octobr. mens. X.

XXI *Manus*, *Ajazethæ* f. ab A. Seleuc. eod. ann. XVI mens. VIII.

XXII *Manus*, *Mani* f. ab A. Sel. CCCCXXVII ann. XXIII.

XXIII *Vales*, *Sabri* f. ab A. Seleuc. CCCCL ann. II.

XXIV *Manus*, *Mani* f. ab A. Seleuc. CCCCLII ann. XII.

XXV *Abgarus*, *Mani* f. ab A. Seleuc. CCCCLXIV ann. XXXV.

XXVI *Abgarus Severus* ab A. Seleuc. CCCCXCIX ann. I mens. VII.

XXVII *Manus, Abgari* f. ab A. Seleuc. D ann. XII.

XXVIII *Abgarus, Mani* f. ab A. Seleuc. DXII ann. XVII.

Neque vero nuda horum Regum nomina congessit Cl. *Bayerus*, sed, quicquid vel ad eos ipsos, vel res gestas eorum luculentius cognoscendas, conquiri potuit, magna industria pervestigavit, cum aliis eam in rem subsidiis, tum iis etiam, usus, quæ veterum numorum tractatio sagacioribus suppeditat; tametsi ceteroqui non dissimulat, *se eum non esse, qui, historiam e numis solis restitui posse, putet, quamvis Autores intercidissent omnes*, fassus, *multa quidem ad confirmandam illustrandamque veterem memoriam, quædam etiam ad amplificandam eam, peti inde posse, sed ita, ut potiora & insignitiora esse* contendat *scriptorum merita, ex quibus lucem accendimus numis, quam numorum, scriptores tenui subtilique accessione locupletantium*, id quod de numis certe Edessenorum Regum verum esse, nemo ei non facile largietur. Nos, in præsenti Reges hos pro instituti hujus ratione breviter percensentes, iis potissimum immorabimur, quorum monumenta, ex numaria penu depromta, Cl. *Bayerus* ad historiam eorum luce uberiori perfundendam profert.

Quos dum consectamur, non prætereundus sicco plane pede, qui sextum inter eos *locum* occupat, *Abgarus Phicas*, qui primus celebre *Abgari* nomen gessisse traditur. Scribendi ejus ratio admodum diversa est apud scriptores; sed numi constanter ΑΒΓΑΡΟC vel ΑΥΓΑΡΟC præferunt, quibus inscriptio, a *Sirmondo* vulgata, quam & Cl. *Bayerus* suo loco exhibet, & codex *Eusebii* Mazarinianus, consentit. Vocis hujus originem ex lingua Arabica vulgo arcessunt, qua Acbar *potentissimum, maximum*, denotat, quam ob causam & eos, qui Ἄκβαρος aut Αὔγβαρος scribunt, non magnopere reprehendendos putat Cl. *Bayerus*: mallet tamen, Parthicum id esse nomen, *Mose Chorenensi* testante, ab Assyriis & Græcis, Armenicæ pronuntiationis ignaris, *Abgar* dici quasi Avagair, h. e. *primarium & summum virum*; unde rectissime eos quidem, qui ΑΒΓΑΡΟC, proxime tamen scribere censet, qui ΑΥΓΑΡΟC habent. Quod ad ætatem hujus *Abgari* attinet, incidit illa

illa in tempora *Tygranis*, cui obnoxium eum una cum ſucceſſore fuiſſe, innuit Cl. *Bayerus*, qui, Chronologicis rationibus excuſſis, cum de ipſo eo nihil fere proditum memoriæ invenerit, Syriæ, ceterarumque regionum, ea tempeſtate ſtatum ac fata interea deſcribit.

Haud paulo tamen uberior eſt in enarrandis rebus *Mani Dei*, quem, docente id pluribus Cl. *Bayero*, inſidiæ nobilitant, *M. Licinio Craſſo* comparatæ, quibus a Parthis Romani, ut notum eſt, cladem longe maximam accepere. Sane eum *Abgarum*, non *Manum* vel *Mannum*, vocant Romanarum rerum ſcriptores. Sed, erratum eſſe in nomine, Cl. *Bayerus* contendit, perſuaſus, veri nominis, a militibus Romanis, cladi illi una cum Quæſtore *Caſſio Longino* ſuperſtitibus, proditi, veſtigia latere apud *Plutarchum*, cui φύλαρχος Ἀράβων Ἀριάμνης dicitur, pro quo Cl. *Bayerus* Ἀριμάνης vel Μαριμάνης ſcriptum fuiſſe conjectat, quaſi ſit Syrorum *Mar Manu* aut *Mari Manu*, h. e. *dominus Manus*. Quin &, cum, teſte *Vineto*, in quibusdam *Sexti Rufi* codicibus ille *Marachus*, in aliis *Macorus* appelletur, inde non nimis longe petita conjectura elicit, nomen perfidi Regis, a Romanis militibus editum, fuiſſe *Mar Manum bar Mazur*.

Sed de nullo Regum horum plura in vulgus etiam nota ſunt, quam de decimo quarto, *Abgaro* nempe *Uchama* vel *Nigro*, qui, inſanabili morbo implicitus, literas ad optimum Servatorem dedit, quas una cum reſponſo Chriſti ſervavit *Euſebius*; qua de re utique digna ſunt, quæ cum cura expendantur, Cl. *Bayeri* diſputata, qui in ſingulis hiſtoriæ hujus partibus excutiendis diligentiam haud vulgarem, & eximiam ingenii ſagacitatem, prodidit. Proſtant Ἐδεσσαίων numi, caput *Tiberii* Imperatoris exhibentes, qui, ut omnino in tempora hujus incidunt *Abgari*, ita ad Edeſſam Meſopotamiæ non faciunt, tametſi vulgo ab Antiquariis, inprimis *Vaillantio* & *Noriſio*, eo relati, ſed ad Edeſſam Macedoniæ, alias Ægæam dictam, id quod Cl. *Bayerus* pluribus demonſtrat, qui & ceteros Ἐδεσσαίων numos, ſub variis Imperatoribus cuſos, Edeſſæ eidem rectiſſime attribuit. *Abgaro*, *Mani* filio, qui Regum eſt deci-

mus feptimus, affignat Cl. *Bayerus* numum cimeliarchii Pembrocienfis, ab *Haymio* in Parte altera *Thefauri Britannici* editum, cujus adverfa in Parte caput *Abgari* cum litteris ΑΒΓΑΡΟ . . . ΒΑ . . . . in averfa vultus non abfimilis barbari reguli cum literis: ΑΛΑΛΑΝΝΟC. Ratio, quod eo tempore *Alani*, quorum principem hic expreffum, *Haymii* fententiam fecutus, arbitratur, Armeniam infeftis armis ingreffi, compofito poftea bello, cum *Artaxerxe* Rege pacem fecere, quo quidem *Artaxerxe* conciliante, Osrhoenis quoque Alanos dextras junxiffe verofimile cenfet Cl. *Bayerus*, qui fufam *Abgaro* huic de tiara, qua cincti Osrhoenorum hi principes comparent, & reliquo eorum cultu, disquifitionem fubjunxit. Ceterum, ut dubitari fortaffis poteft, an numus, de quo diximus, Pembrocienfis pertineat ad *Abgarum*, *Mani* filium, ad quem Cl. *Bayerus* eum refert, ita alius, quem *Spanhemius* & *Vaillantius* inter Parthicos recenfent, epocha ΥΚΓ, h. e. anno CCCCXXIV, infignis, fi Edeffenus potius, quod tuetur Cl. *Bayerus*, quam Parthicus, eft, defignat utique vigefimum primum ex Regum horum ferie, nempe *Manum*, *Ajazethæ* filium, cujus fub *Trajani*, ad Parthicum bellum proficifcentis, rebus geftis meminit *Dio Caffius*, tametfi *Abgarum* eum appellat, quod nomen dignitatis caufa & *Manum*, *Mani* filium, qui fequitur, in numo, a Cl. *Buxbaumio* ex Oriente allato, gerere, fibi perfuadet Cl. *Bayerus*. In adverfa ejus parte caput *Hadriani* cum literis ex parte abfumtis . . . . ΔΡΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ. in averfa protome Edeffeni reguli cum epigraphe itidem non integra: ΑΒΓΑ. quo ex numo, quando nullus pofthac fignatus invenitur, in quo non vultus Romanorum Imperatorum occurrat, colligitur, ab *Trajani*, & potiffimum *Hadriani*, tempore Osrhoenos Reges Romanorum imperio fuiffe obftrictos.

Tab. II Fig. 1.

Vigefimum quintum ex iis, qui *Abgarus*, *Mani* filius, exhibent numi *L. Veri* & *M. Aurelii* apud *Carolum Patinum*, tametfi Parthorum eum regulum interpretatur *Jo. Harduinus*, qui & *Mannum*, cui φιλορωμαῖος elogium additur, in numo *Lucillæ* expreffum, ad Parthos eosdem trahit, rectius forte Edeffenis

TAB. II ad Nov. Acta Erud. A. 1736 Mens. Febr. pag. 62 63 64 et 65.

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.




Fig. V.




Fig. VI.





Fig. VII.



ſenis vindicandum, niſi præter diverſitatem nominis & diſſimilitudo, quæ ei cum ceteris Edeſſenorum Regum numis intercedit, alterius eum toparchiæ regulum argueret. Ad *Manum*, *Abgari* filium, qui vigeſimus ſeptimus, refert Cl. *Bayerus* numos *Buxbaumianos* tres, quorum adverſa in parte caput *Severi* cum literis: CEOΥΗΡΟC, item CΣΟΥΗΡΟC ΑΥΤΟΚΡΑ. & CEOΥCIOC Υ. ratione ſcribendi plane depravata, qua Υ pro Λ ex ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ poſitum cenſet, in averſa caput reguli Edeſſeni cum literis AB . . BACI & ΑΒΓΑΡΟC BACIΛΕΥC, quibus ſimilis apud *Begerum* occurrit. Viceſimus octavus, qui poſtremus, *Abgarus*, filius *Mani*, Chriſtianam religionem profeſſus, eam ipſam ob cauſam in numis apud *Patinum Spanhemium*que crucem tiaræ adjunxit. Dictus is ΜΕΓΑC BACIΛΕΥC ab *Severo* Imperatore, quocum ex Parthica expeditione titulo eo auctus, Romam ſe, ut veroſimile ſit, contulit. Idem ille in numo *Baudelotiano* apud *Spanhemium* Λ. ΑΙΛ. ΣΕΠΤ. ΑΒΓΑΡΟC appellatur, non a *Severi* Imperatoris filia, *Ælia Septimia*, quam ex prima *Severi* conjuge, filia *M. Antonini* & *Fauſtinæ*, ſuſceptam, *Abgaro*que junctam matrimonio, fingit *Harduinus*, nec ab *Ælio Antonino Pio* aut *L. Ælio Vero*, id nominis cum *Abgaro* aliquo ex majoribus noſtri communicante, ſed, ut cenſet Cl. *Bayerus*, ab *L. Ælio Commodo*, quem cum *Septimius Severus* tanti fecerit, ut & filium ſuum *M. Aurelium Antoninum* vocaret, conjectat is, *Abgarum* quoque inde ſe *Æliæ* inſeruiſſe familiæ, ac filio etiam, cujus hodie ſupereſt Inſcriptio, jam ſupra nobis memorata, quam ex antiquo lapide, ad Pauli Baſilicam eruto, *Sirmondus*, & ex eo *Reineſius*, vulgarunt, *Antonini* nomen, ad exemplum *Septimii Severi*, indidiſſe. Hunc *Abgarum Caracalla* cum in Parthica, quam meditabatur, expeditione vocatum ad ſe in vincula conjeciſſet, regnum inde *Oſrhoenum* corruit, & provinciæ Romanæ induit formam, Edeſſa autem coloniæ & metropoleos dignitatem obtinuit.

Tab. II Fig. 2, 3, 4.

Hinc tot jam urbis ejus prodiere numi, quibus & coloniæ titulo, & metropoleos, utitur, quos Libro quarto Cl. *Bayerus* per-

perſenſet. Primi ſub *Caracalla* cuſi, ex quibus ſpectantium inprimis oculos ad ſe convertunt quatuor, e *Vaillantio* producti; quibus ſubjuncti comparent duo ex ſupellectile *Buxbaumiana*, caput Imperatoris laureatum ab altera parte cum literis: ΑΥΡ. Α.... ab altera coloniæ genium turritum velatumque cum literis: ΚΟΛ. ΜΕΤ. ΑΝΤΩΝΙΑΝΑ: præferentes. De iis generaliter ita agit Cl. *Bayerus*, ut primo averſæ effigiem, deinde coloniæ nomen, ac tertio metropoleos dignitatem, quam obtinuit Edeſſa, luculenter exponat. Quod ad poſtremum attinet, exiſtimat Vir Clariſſimus Carrhas ab initio metropoleos primæ honorem in Meſopotamia tuliſſe, teſtante id *Marci Aurelii* numo apud *Vaillantium*, in quo juxta caput *Aurelii* ΜΑΡκῳ ΑΥΡηλιῳ ΦΙΛΩΡωμαῖοι Μητρoπόλεως Α h. e. πρώτης ΑΙΡ h. e. anno centeſimo undecimo, & in averſa parte ΑΥΡηλίων ΚΑΡΡΗΝΩΝ ΦΙΛΩΡωμάιων Μητροπόλεως Α h. e. πρώτης. In *Vaillantio* epocha ΑΙΡ numero Arabico 101.. exprimitur, unde Cl. *Bayerus*: *Joannes Valens* Α *101*.. διὰ παρορáματος; *itaque cetera quoque, quæ habet, luxata pulchri corporis membra ſunt.* Παρόραμα vero iſtud non *Vaillantii* eſt, ſed operarum typographicarum, ut patet, quod epocham iſtam A U. DCCCIX additam efficere ait DCCCCXIX. Initium autem epochæ hujus paulo altius repetit *Vaillantius*, nempe ab A. C. 55, quo *Vologeſes*, Parthorum Rex, a *Corbulone* victus, obſides tradidit, qui quidem annus A. U. DCCCVIII & DCCCIX reſpondet, cum id Cl. *Bayerus* A. C. 63 aſſignet, qui eſt DCCCXVI Urbis conditæ. Hæc vero Carrharum civitas cum poſtea in numis *Elagabali* & *Alexandri Severi* Metropolis Meſopotamiæ ſecunda appelletur, primæ in locum ſucceſſiſſe Edeſſam, ſingulari *Antonini Caracallæ*, qui ibi hibernaverat, ſtudio id beneficii debentem, Cl. *Bayerus* ſtatuit, minus probata eorum ſententia, qui, ſeu Emiſam, ſeu Amidam, primæ in Meſopotamia metropoleos titulo auctam, ex numo quodam conjiciunt.

Tab. II Fig. 5, 6.

A *Caracalla*, ejusque numis, Cl. *Bayerus* ad *Marinum*, *Elagabalum*, *Alexandrum Severum*, & *Maximinum*, pergit, ſub quibus

quibus Imperatoribus, quos Edesseni numos cuderunt, scriptoribus rei numariæ memoratos, magna cura expendit, novosque iis, a *Buxbaumio* recens allatos, adjicit, tametsi illi ipsi ab editis non admodum recedunt. In nullis amplius supersunt vestigia Regum Osdroenorum, qui tamen rursus in scenam prodeunt sub *Gordiano III*, tum, ut videtur, aliqua regni Osdroeni specie restituta quidem, sed nec coloniæ metropoleosque jure, quo Edessa gaudebat, imminuto, quod urbs illa in numis cum *Gordiani* ipsius, tum conjugis *Tranquillinæ*, ostentat.

Exstant tamen præter eos & *Abgarorum* hoc tempore numi, cujusmodi ut plures observavit Cl. *Bayerus*, ita duos in iis hoc nomine regulos, senem & juvenem, deprehendit, quorum alterum patrem, filium alterum, arbitratur, ratus, *Gordianum*, cum in Oriente ageret, & patri Roma secum adducto (nam postremi eum Regis, a *Caracalla* in vincula conjecti, filium, cujus inscriptio supra laudata meminit, arbitratur,) regiam dignitatem restituisse, & postea mortuo illo filium dedisse successorem. Et ad senem quidem referendi plerique, cum *Abgari* nomine cusi, *Gordiani* hujus numi, quorum plures produxit Cl. *Bayerus*; filio juveni idem ille tribuit numum, a *Buxbaumio* ex Oriente recens allatum, cujus adversa in parte *Gordiani* protome ad pectus usque cum scuto & hasta tituloque: ΑΥΤΟΚΡ . . . . ΝΟC CEB. in aversa: ΑΒΓΑΡΟC ΒΑCΙΛΕΥC cum vultu Regis ejus juvenili. Neque ad alium *Abgarum*, quam filium, spectare censet duos alios numos, a *Patino* prolatos, quorum in altero equitantis, in altero stantis, figura imberbis cernitur, cui posteriori similis est, quem *Harduinus* ex cimeliarchio Chamillartensi commemorat, in quo *Gordiano* sedenti cum hasta stans & mitratus *Abgarus*, bacillumque imperatorium læva gerens, dextera victoriam porrigit. Tab. II Fig. 7.

Post ea tempora nulla *Abgarorum* mentio exstat; neque Edessa, ut ante, numos reliquit, quod constet, unum si *Trajani Decii* excipias, *Vaillantio* & *Bandurio* memoratum, in quo, omissa metropoleos dignitate, urbs ea Coloniæ titulo utitur. *Decii* caput in eo laureatum cum epigraphe: ΑΥ. ΔΕ-

 KIOC

KIOC CEB. & ex aversa parte velatum & turritum Edesseni genii caput cum literis: ΚΟΛ. ΕΔΕϹϹΑ. Sed Cl. *Bayerus*, quanquam, subsidio numorum destitutus, historiam Edessæ regnique Osrhoeni magna diligentia persequitur, eamque usque ad *Heraclii*, Imperatoris, tempora, atque adeo ad annum Christi DCLXXIII, quo Arabes primum Mesopotamiam ingressos Edessam cepisse, *Dionysius Telmariensis* docet, Libro quarto deductam, quinto, eoque postremo, & per sequentia tempora ita continuat, ut res Edessenas sub Arabibus, Græcis, Francis, Persis, & Tartaris, Turcisque, sigillatim exponendo, in clade demum illa, quam a *Tamerlane* sub finem Seculi a Christo nato decimi quarti expugnata Edessa accepit, narrationis suæ, non minori candore, quam diligentia, contextæ, finem faciat.

Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte, ꝛc.

h. e.

ACTA PACIS WESTPHALICÆ PUBLICA, Autore JO. GOTHOFREDO DE MEIERN, Regis Magnæ Britanniæ & Electoris Hannoverani Consiliario Aulico.

Tomus IV.

Hannoveræ, apud J. A. Gercken, 1735, fol. Alph. 10 plag. 18.

Applaudentibus bonis omnibus prodire in publicum videmus quintum hoc *Meierіani* Operis Volumen, multo uberiores continens rerum gestarum narrationes iis, quas habent Tomi priores. Nactus videlicet erat Illustris ac Generosissimus Autor monumenta locupletissima, e quibus quæ petere potuit, ea subtrahere suis lectoribus noluit. Providens tamen, ne nimiam in molem excrescat hoc Opus, certiores nos facit in Præfatione, sex Tomis totum hoc magnificum Opus absolutum iri, septimum vero Tomum exhibiturum esse *Instrumenta Pacis*, una cum *Vitis* Legatorum horum Irenicorum,

eorum, ac tribus *Indicibus*, Chronologico, nominali, reali. Quarto nostro in Tomo describuntur, quæ gesta fuerunt per annum 1647 usque in Februarium secuti anni mensem. Ac Libro quidem XXV concertationum de Gravaminibus continetur continuatio: sequens disputationes habet de Pomerania inter Suecos & Principes Brandeburgicos, hujusque litis compositionem: Libro XXVII disceptationes exhibentur de restitutione Electoris Palatini: Libro XXVIII de satisfactione Principi Cassellano danda, deque duorum Hassiæ Principum controversia, ejusque conclusione, agitur: Libro XXIX continuatur Gravaminum collatio, nonnullorumque describitur compositio: Libro XXX, ac tribus sequentibus, commemorantur difficultates, huic Pacificationi hinc inde objectæ usque ad initium anni 1648. E tanta rerum memorabilium segete decerpimus sequentia. *Pag. 56* profitetur Comes *Trautmansdorfius*, (cujus hoc loco laudatur in ceteris moderatio & indulgentia, qui & *p. 112* ob singularem prudentiam ab *Oxenstierna* vocatus est *anima legationis Cæsareæ*,) Imperatorem prius regiones suas vitamque suam amissurum esse, quam assentiatur, suis in terris exerceri religionem Augustanæ Confessionis: idque idem repetit *p. 64*, & tertium *p. 65*, & quartum *p. 114*. *P. 171 seq.* rursus fortiter urgent Evangelici, suæ ut religionis liberum sit exercitium in terris Cæsaris: sed nihil efficitur. Qua occasione *p. 174 seq.* initur numerus Comitum, & Baronum, & Equitum Evangelicorum, illis in terris habitantium. Erant scilicet in quadraginta duabus familiis Comites & Barones 154, in undetriginta familiis Equites 78. *P. 210 seq.* exstat Epistola Legatorum Fœderati Belgii ad Protestantium Legatos, qua commendant Evangelicis, hoc est, Lutheranis & Reformatis, *fidam & fraternam concordiam*, graviter proposita ejus necessitate atque utilitate: speciatim etiam rogantes, ut Nobilibus diœcesium Monasteriensis, Osnabrugensis, & Mindensis, liberum in ædibus suis privatis permittatur religionis Reformatæ exercitium. *P. 211 seq.* longa exhibetur Epistola civitatis Mindensis ad Legatos Evangelicos, in qua de Statuum Imperii mediatorum, itemque de civium, jure circa sacra graviter differitur

tur & erudite, deinde causæ afferuntur, cur civitati isti exercitium religionis Lutheranæ permittendum sit liberrimum. In Libro *XXII* legitur, quam multis exposita difficultatibus fuerit cessio Pomeraniæ, quamque felicem ea res habuerit exitum ex parte Electoris Brandeburgici. Exhibentur hic non solum Brandeburgici moræ & exceptiones, sed etiam Protestatio Archiepiscopi & Capituli Magdeburgici, electio Coadjutoris hujus Archiepiscopatus, Protestatio Capituli Halberstadiensis, actiones Legatorum Suecicorum cum Brandeburgicis, contentiones de terris Brandeburgico reddendis pro Pomerania, Statuum Pomeraniæ Protestatio, denique conventio inter Sueciæ Reginam & Brandeburgicum Electorem. Libro *XXVII p. 358* nolunt Legati Cæsarei & Bavari admittere titulum *Evangelicorum*, sed nominari eos volunt vel *Protestantes*, vel *Augustanæ Confessioni adhærentes*. Legimus & hic relatum, ab Electore Moguntino valde laboratum esse, ut per reluitionem reciperet a Palatino *Stratam montanam*. Sed *p. 387* negant Evangelici, gratificandum id esse Moguntino, cum semper bellum hoc Germanicum inflammarit. Varie etiam actum fuit de Electoratu octavo. Cum vero appareret, Galliæ & Sueciæ Reges aliter non esse pacem facturos, nisi reddita Palatino dignitate Electorali, facile consensum fuit ab Imperatore & Imperii Ordinibus. Observare hic libet, Articulos de *Caroli Ludovici* restitutione in Electoratum Palatinum ita, ut hic loci *p. 409 seq.* a Legatis Gallicis sunt præscripti, & *p. 412 seq.* a Suecicis Legatis approbati, emendato tantum & illustrius exposito ultimo Articulo, iisdem verbis postea insertos esse utrique *Instrumento Pacis Westphalicæ*. Libri *XXVIII §. 1* narratur, felicem successum Principis Cassellanæ in hac Pacificatione deberi eximio favori Majestatis Gallicæ, tam addictæ huic suæ fœderatæ, ut sæpius profiteretur, pacem fieri non posse ante, quam satisfactum sit desiderio *Ameliæ Elisabethæ*, tum tutoria autoritate regentis terras Cassellanas. Erant enimvero Legati Gallici semper adversi, cum Protestantes aliquid desiderabant e sacris Catholicorum possessionibus. Itaque, cum illa Hassiæ rectrix aliquam partem sibi dari vellet

Pader-

Paderbornici Episcopatus & Abbatiæ Fuldensis, totam item Hirschfeldensem Abbatiam, Episcopus Osnabrugensis supremum Gallicum Legatum, Ducem Longovillanum, graviter admonebat, ne id fieri pateretur, argute adjiciens, *non esse Christo & matri ejus vestem exuendam, ut ea donaretur mulier illa hæretica.* At ita ei respondebat Dux Gallicus: *Nihil non faciendum puto in gratiam mulieris tanta virtute præditæ. Omisso quovis respectu facite, quæso, amici, quicquid illa desiderat.* Ac §. *II* Legatus Cæsareus ait, non minore studio laborare Longovillarum illum Ducem pro domo Cassellana, quam si res ipsius Regis sui ageretur. Libri *XXIX* §. *2* legimus, cum Legati Suecici novam formulam (*Projectum* vocant,) Instrumenti Pacis exhibuissent Cæsareis Legatis, horum Principem, Comitem *Trautmansdorfium*, usque eo inarsisse, ut diceret, *si vel Holmiæ esset in carcere, se tamen vix a se impetraturum esse, ut huic formulæ pacis subscriberet.* Ac exhibentur §. *3* quædam capita Suecicæ hujus formulæ, una cum dissensionibus Legatorum Imperatoris. In §. *6* Legati Gallici Ordinibus Germaniæ Catholicis patrocinantur, non concessuri, ut Protestantes fiant in Imperio potentiores Catholicis, utque Sueciæ Rex creetur Elector Germaniæ. Ex §. *10* cognoscimus, cum Legati Suecici omnem moverent lapidem, ut Augustanæ Confessionis sociis publicum suæ religionis exercitium conciliarent in terris Austriacis, adeo frustra eos elaborasse, ut Cæsaris Legati liquido profiterentur, nunquam dominum suum id esse assensurum. Tam similem se gerebat aula Cæsarea aulæ cognatæ Hispanicæ. Cum autem nec Suecici Legati cederent, sed perseverarent postulare, ut Protestantibus Austriæ civibus libera permitteretur sua religio, tandem Legati Brandeburgici & Luneburgici hos permoverunt, ut, missa hac controversia, ceteros pertractarent pacis Articulos. Libri *XXX* §. *2* *p. 557 - 590* legimus *Instrumentum Pacis*, quod Cæsareani exhibuerant Legatis Suecicis. Subnectitur *p. 590 – 607* *Ponderatio* hujus *Instrumenti Pacis*, cui præscriptum est nomen *Theophili Generosi, Genuini Germani:* quæ peracerba est prioris scripti censura, cujus autorem esse magnum zelo-

tam Pontificium, facile apparet. Approbat enim ex toto *Ernesti de Eusebiis*, scriptoris ψευδωνύμε, *Judicium theologicum*, & indignatur, in illo Pacis Instrumento hæreticos æquari Catholicis, simul verens, ne tandem Catholici in Germania penitus exstinguantur. Speciminis loco nonnulla proferemus ex hoc libello. Scilicet, cum multi Catholici eo tempore dictarent, *ex duobus malis minus esse eligendum, esse autem minus malum, si omnia hæc bona ecclesiastica pacis causa concedantur hæreticis, quam si, quæ Catholicis reliqua sunt, & ipsa Protestantibus in spolium cedant, ac religio Catholica funditus intereat in Germania*; respondet hic zelota, *ex duobus malis minus eligendum esse, si, quod minus videtur, sine peccato fieri queat: atqui, hoc sine peccato fieri non posse, verbis docuisse & exemplis confirmasse Sanctos Patres, summos Pontifices, & Doctores veteres.* Addit, *multa Catholicorum millia superesse in Germania, militaturi qui sint in tam justa & pia causa, parati potius omnes belli calamitates ipsamque mortem perferre, quam ut velint, pacem hanc confici.* Non possumus non & proferre syllogismum hujus scriptoris, qui tam ei invictus visus est, ut appellet eum *nodum plus quam Gordium*. *Quæ pax*, inquit *p. 598*, *hæreticis absolutam & perpetuam spondet religionis libertatem una cum dominio bonorum ecclesiasticorum, ea repugnat Juri divino & naturali. Atqui pax, quæ Projecto Instrumenti, a Plenipotentiariis Cæsareis exhibito, continetur, hoc facit. Ergo repugnat Juri divino & naturali.* Idem scriptor ad illum istius *Instrumenti* Articulum, secundum quem *utriusque religionis magistratus prohibiturus est severe, ne quis concionando, docendo, disputando, scribendo, Transactionem Passaviensem, Pacem religiosam, vel hanc imprimis, impugnet*, ita respondet quasi e tripode: *Theologis & Ministris Evangelicis hæc lex poni potest, qui potestati seculari se fatentur subjectos: at religio Catholica neque Ecclesiasticorum jura, neque Theologorum doctrinam, subesse patitur arbitrio Principum & magistratuum secularium: ut mirum sit, Plenipotentiariis Catholicis talia excidisse.* Non movit hic syllogismus Comitem *Trautmansdorfium*,

dorfium, Legatum inter Cæſareos ſupremum. Is enim in Oratione, quæ *§. IX* exhibetur, ad Legatos Catholicorum Germaniæ Principum, in urbe Monaſterio tum verſantes, urgentesque, ut ne tot bona eccleſiaſtica permittantur Proteſtantibus, jubet eos conſiderare, aut hac conditione nunc pacem faciendam eſſe, aut longiori belli tractu omnem Catholicam religionem exterminatum iri e Germania. In *Libro XXXI* gravis lucta deſcribitur inter ſpem pacis & metum continuandi belli. Catholici enim Principes recuſabant conſentire in ceſſionem tot ſacratorum bonorum, malentes, continuari bellum, ſperantesque, Deum ſibi daturum victoriam. Quid? Multi Legati abibant ex hoc pacificatorio conventu, & domum quisque ſuam repetebant. Sueci contra ardentiſſime urgebant reſtitutionem exulum Proteſtantium in Bohemiam & Auſtriam. Iidem poſtulabant tantam pecuniæ ſummam pro ſumtibus bellicis, ut ei ſolvendæ impar haberetur univerſa Germania. Jeſuitæ inter hæc criminabantur Legatum Cæſaris, *Trautmansdorfium*, tanquam hominem malæ fidei, multumque faventem Proteſtantibus, quorum religioni antea fuerat addictus. Moram etiam paci tot votis expetitæ afferebat diſputatio de decem Imperialibus civitatibus Alſatiæ, imperio Regis Galliæ ſubtrahendis, itemque de Duce Lotharingiæ ex hac pacificatione non excludendo. Libri *XXXII §. 2 & 5* docetur, Gallos pariter ac Suecos agnoviſſe, non eſſe ſe pares diutius gerendo bello, ſed pacem ſibi utrisque eſſe neceſſariam; ideoque, omnibus ſalutem ſuam a pace expectantibus, rurſus omnium animos converſos eſſe ad bellum componendum. Quæ res cum non ſuccederet, ſuſpicio (*§. XI*) injecta eſt animis Proteſtantium, quæ argumentis nonnullis confirmabatur, Cæſareos Legatos non agere ex animi ſententia, ſed ſtudioſe protrahere negotium irenicum. Ac notum fiebat, ab Hiſpanica aula ſubinde accendi Cæſarem ad bellum ducendum. Urgentibus tamen acriter Legatis Evangelicis, (quos inter Luneburgicus, *Lampadius*, ita affari Cæſareos Legatos *p. 808* ſuſtinebat: *Satis diu illuſiſtis nobis: aut pacem nobis date, aut bellum,*) ut rediretur ad conſultationes pacificas, & bellum perduceretur ad

exi-

exitum, Cæſarei Legati negotium hoc denuo aggreſſi ſunt. Ipſe tamen Imperator ſerio expetebat pacem: id quod manifeſtum facit Epiſtola ejus (*p. 815 ſeq.* inſerta) ad Legatos ſuos Osnabrugenſes. *P. 861 ſeq.* exhibetur Innocentii X *Breve Apoſtolicum* ad Nuntium ſuum, *Fabium Chiſium*, in quo ei *mandat, nihil ut in pacis conſtitutione decretum firmatumque velit, quod divino cultui, Chriſtianæ fidei, atque Eccleſiaſticæ immunitati, periculum damnumve conſlare ullo modo poſſit.* In Libro *XXXIII*, eodemque hujus Tomi poſtremo, deſcripta legimus acta menſis Januarii & Februarii anni 1648. Quo temporis tractu ſemper fit difficilius pacis negotium: cujus rei culpam in Cæſareos Legatos conferunt non ſolum Sueciæ Legati, ſed etiam Herbipolitanus, *Vorburgius*, qui *p. 932* multis documentis id confirmat: quod idem faciunt Moguntinus & Bavaricus Legati *p. 936* & *937*. Ejusdem, quem diximus, *Vorburgii* conſilio & opera ſecretum colloquium de pace facienda habent inter ſe ex Evangelicis Legatis Electoralis Saxonicus, Brandeburgicus, Altenburgicus, Vinarienſis, duo Brunſuicenſes, & Argentoratenſis, ex Catholicis Moguntinus, Trevirenſis, Bavaricus, Bambergicus, & Wurzburgicus. Verum ipſi Evangelici Legati cum haud manerent concordes, illud colloquium fuit abruptum, adeoque ſperatus ſucceſſus evanuit. Laudari hic meretur *Vorburgius*, vir pacis ſincere ſtudioſus, tamque bene animatus erga Evangelicos, ut *p. 977* a Cancellario Moguntino inſimularetur alieni a Catholica religione animi. *Pag. 980 ſeq.* Legatis Cæſareis Evangelici Legati objiciunt, quod novas moras nectant, quodque irrita eſſe velint ea, quæ præſtari oporteat, ſi vinculum humanæ ſocietatis ſalvum eſſe velint, itemque fidem Imperatoris publicam. Conf. *p. 1000. Pag. 993* a Saxonicis Legatis per ſuum Legatum poſtulat Elector Brandeburgicus, ut appellatione *Evangelicorum* comprehendantur & Reformati, cum Elector iſte ſit Auguſtanæ Confesſioni addictus. Sed quieſcimus nunc, brevi recenſituri *Tomum quintum*, qui, jam *ſextum* e carceribus typographicis exitum moliri, habemus exploratum.

JO. FLO-

JO. FLORENTIS RIVINI, PAND. P.P. IN Acad. Lipſ. Facult. Jurid. Aſſeſſ. Capituli Numburg. & Wurz. Canon. hujusque Senioris, Programmata, ex vario Jure collecta, nunc junctim edita. Acceſſit Index rerum & materiarum.

Lipſiæ, ex officina Langenhemiana, 1735, 4.
Plag. 14.

Jam dudum communibus flagrantibusque votis expetiverunt viri docti, vt minutula illa ſcripta, quæ in Academiis ſolenni Programmatum nomine inſigniuntur, in unum faſciculum colligerentur, & uſui commodoque Reipublicæ literariæ traderentur. Continent enim ea utplurimum multa nova, ſingularia, frugis plena, & apprime utilia futura ſtudioſis hominibus. Præbent ſalutaria conſilia, & nullam doctrinæ partem ſine illuſtribus acceſſionibus prætermittunt. Sed neſcimus, quo fato factum ſit, ut Programmatum, præſertim Juridicorum, collectio pæne inter deſiderata Reipublicæ literariæ pertineat. Nihil dicimus de antiquioribus Jurisconſultis. Hi enim mirifice lætabantur, ubi unam plagulam (ultra enim adſcendere nefas erat) quisquiliis & allotriis ſuis repleverant. Sed de noſtræ ætatis Jurisconſultis loquimur, ex quibus nonnullorum Diſſertationes Academicæ adeo bene atque erudite conſcriptæ ſunt, ut, eas ætatem laturas eſſe, non infeliciter ſperare queant. Hi cur reformident ſecundas operum ſuorum curas, non videmus, niſi ipſi vel deſidiam ſuam, nimium corpus curandi ſtudium, ignavum timorem, vel, quæ ſæpe tot præclaros hominum literatorum labores impedit, inſanam libellionum ditefcendi cupiditatem, accuſare velint. Quapropter, ſi a Programmatibus *Thomaſianis* diſceſſeris, nullum ſcimus, qui has Academicas ſuas delicias commodiore & meliore habitu evulgaverit. Inſignem ergo laudem meretur Magnificus *Rivinus*, qui aſſiduis libellionis, qui ſumtus editionis præbuit, precibus ſe permoveri paſſus eſt, ut Programmata, quæ ſigillatim exſcribenda & diſtribuenda curaverat, in unum volumen cogeret, & novo hoc beneficio ſibi mirifice devinciret omnes, qui veram & non ſimulatam Jurisprudentiam religioſo venerantur cultu.

Continet hoc Opusculum Programmata, quibus Cel. Autor vel Jurisconsulti spartam solenni ritu in se suscepit, vel supremorum in Jure honorum Candidatos commendavit, vel publicas Dissertationes suas in Pandectas, more a majoribus recepto, indicavit. Argumenta sunt selecta, in foro obvia, singulari cura elaborata. Reperiuntur in iis egregia Jurisprudentiæ consultatoriæ specimina, quibus conscientiosi Jurisconsulti partes ubique implet, & rebus judicatis novissimis, tanquam totidem pretiosissimis gemmis, decus & ornamentum iisdem conciliat Cel. Autor. Opus magno cum fructu ab iis, qui in foro vel judicis, vel causidici, vel scribæ, munere funguntur, legendum. Id quod ut magis cognoscant Lectores nostri, en accuratum Opusculi indicem. Programmate I *de Præjudiciis ex abusu interpretationis oriundis,* II *de jure, quod domino directo intuitu laudemii competit,* III *de emendandis nova lege subhastationibus,* differit; IV Quæstionem excitat, *an, debitum conjugale denegando, causam adulterio dans, divortium nihilo minus ob adulterium petere possit?* V *singularia quædam Processus judicii Mercatorii Lipsiensis, contra emendatam Ord. Proc. Sax. retenta, & sanctione Pragmatica abolenda,* commemorat; VI *ex literis cambialibus, quarum solutio nundinis Lipsiensibus sine adiectione diei promissa, contra neminem ante diem quintum posterioris septimanæ (der Zahl-Woche) elapsum agi debere,* probat; VII *res inter desponsatos donatas, nuptiis sine culpa ejus, cui donatum, non secutis, repeti non posse,* rerum judicatarum fide confirmat; VIII *arduum munus Jurisconsulti, ex fide, præsertim in causis criminalibus, gerendum,* explicat; IX quæstionem, *an avus paternus indistincte, an vero in subsidium tantum, matre egente, alere spurium teneatur?* pertractat; X *Juramentum relatum, si facta aliena concernat, nunquam de veritate, sed de credulitate tantum, præstari debere,* asserit; XI *de jure Tributorum, orto concursu,* agit: XII dispicit: *An reus, qui interrogatoria ad articulos probatoriales exhibuit, postea in reprobatione super iisdem capitibus articulis reprobatorialibus repetitis ad juramenti delationem admittendus sit?* XIII *modum computandi geradam, si pater eandem filiæ vi Const. El. XI P. III in legitimam*

impu-

imputare velit, exhibet; XIV *Examen testium extra processum* improbat; XV disquirit, *an substitutis in locum testis demortui aliis testibus liceat, etiam additionales, vel novos, articulos offerre*; XVI *Pœnam fractæ Urphedæ in eos, qui revertuntur, ex præscripto legum Saxonicarum omnino statuendam esse*, decernit; XVII *varios abusus circa examen testium* notat; XVIII *pœnam capitalem jure Sax. El. ex rescripto speciali etiam tum, cum ob levius furtum torturæ subjectus, aliud furtum, quod, una cum illo computatum, summam capitalem attingit, sponte confessus est, irrogandam esse*, affirmat; XIX *quatenus hodie de ineundo, vel non ineundo, matrimonio valide pacisci liceat*, disquirit. Jam specimina quædam proferemus in medium. Graviter invehitur Cel. Autor in eos, qui interpretatione nimium abutuntur, & sub fucatæ & cerebrinæ æquitatis involucro tot clades generi humano afferunt. Pag. 4. 5.
Ex qua inæquali juris interpretatione tot infelicissimos Collegiorum juridicorum dissensus originem suam trahere, recte statuit. *Adeo*, justo zelo permotus inquit, *tempora nostra in Epocham juris incerti inciderunt, ita, ut sæpius vita, fama, & bona miserorum pendeant ab arbitrio & suffragiis judicantium. Nec enim studium novitatis & prava dissentiendi cupiditas permittit generalem consonantiam.* Egregie miras & improbas illas, quæ in subhastationibus occurrunt, fraudes recenset, & operose severeque damnat. Neque minus 13. 14.
salutaria sunt, quæ suppeditat, consilia. Sic dies subhastationis definitus servari quidem, sed non statim post horam XII auditam res adjudicari, deberet; sed denuo tribus vicibus, cum 15.
aliquo laxamento, per præconem aut Actuarium proclamanda res erit, donec omnes diffluxerint, qui majus aut pinguius priore emtore pretium offerre velint. Tum vehementer optat, ut omnes res pignori captae præsente pecunia, Romanorum more, distraherentur, aut, si hoc fieri non posset, 16.
nullus ad licitationem admitteretur, nisi alteram partem pretii in actu adjudicationis, alteram singulis annis, solutione tamen ultra sex aut octo annos non dilata, una cum intermedii temporis usuris, numeraret. Postea consultum ducit, ut illi, qui confestim nummos exsolvere paratus est, unum aut duo,

duo, pro centenis, præmii loco cederent. Deinde reticeri jubet fundi vendendi pretium, remque emtorum potius relin-
Pag. 17. quendam arbitrio esse, prudenter monet. Denique judicibus & officialibus, quos leges Romanæ plane arcebant a licitationis jure, non aliter facultatem licitandi indulgendam esse, suadet, nisi, dimisso loco, & sede judiciali, se coronæ extraneorum jungant. Quæ, ut salutaria sunt, & in Reipublicæ insigne commodum excogitata, consilia, ita maximam partem suffragium tulerunt sapientissimi Principis nostri, gravissimaque hujus lege inde ab aliquo tempore in usum publicum abierunt.
23 - 31. Singularem attentionem merentur ea, quæ de abusibus, qui contra intentionem Serenissimi Legislatoris in judicio mercatorio Lipsiensi adhucdum vigent, non minus vere, quam cordate, differit. Neque minori sollicitudine versatur in enarrando ar-
48. duo, quod Jurisconsulti in rebus criminalibus observare debent, munere, & sapienti admodum consilio vovet, ut lectio & relatio Actorum in caussis sanguinis duobus e Collegio juridico demandaretur, & singuli sententiam subscribere tenerentur. Præclare quoque abusus, qui in examinibus testium a judicibus committuntur, reprehendit, & optimas saluberrimasque contra judicum, qui vel jurisjurandi sui religionem negligunt, vel sportulis amplificandis nimium student, improbas sceleratasque fraudes, cautiones suppeditat. In fine libri amplissimus rerum & materiarum Index conspicitur.

SELECTA JURIS ET HISTORIARUM, tum anecdota, tum jam edita, sed rariora. Tomus III. Accedit Præfamen, Bibliothecam Historicam Hassiacam, & varias Observationes Juridico-Historicas, exhibens, cum Indice; obstetricante HENRICO CHRISTIANO SENCKENBERG, JCto, et Consiliario Rhingravico.

Francofurti ad Mœnum, sumtibus Jo. Frid. Fleischeri, 1735, 8. Alph. 2 plag. 3½.

Cum voluptate legimus, lectosque commendavimus, priores *Tomos Selectorum*, grate numeramus nunc & *Tomum III*, varie-

varietate rerum utilissimum. Scriptus est Hassiæ, quæ per XVIII annos studiorum causa tenuit Editorem, multisque antiquis documentis liberaliter auctum dimisit. Genealogiam Hassiacam *Schminckius* molitur instructissimus; confidit tamen noster, se allaturum Historiographis Hassiæ invisa. Ostensurus in Præfatione copiosa, quam non illotis manibus ad hanc Historiam accedat, primo contra *Winckelmannum* probat, *Rugrafios* non ex Hassia, sed e pago Wormacensi, oriundos esse. Deinde solvit dubium, ex quo eruditissimi viri expedire se non potuerunt, cur *Joannes* Landgravius de Feudis Imperii solus fuerit investitus, excluso fratre prioris matrimonii, *Ottone*; quia nempe Feuda Hassiaca A. 1292 Imperio oblata, liberis secundi matrimonii acquisita censebantur; *Ottoni*que neglecta investitura simultanea deinde impedimento erat ad successionem. Denique recenset, qui circa Hassiaca aliquid conati sunt, & quædam aliis indicta profert. Inde partes hujus Tomi hoc ordine sequuntur. I *Flores ad Historiam Germanicam & Gallicam sparsi in demonstratione originis Ludovici Barbati, Thur. Comitis Carolingico-Francico-Staufensis.* Hoc Opusculum omnino accuratissime confectum, quod tanquam primævum ingenii sui partum exosculatur Autor, IX Capitibus absolvitur. Priora VI agunt de *Ludovici* hujus origine, ab aliis aliunde & perperam deducta, nimirum de Lotharingica, Arelatensi & Aurelianensi, Wetteravica & Suevica. Capite VII & VIII non dilucide veram demonstrare originem conatur Autor diligentissimus, quod ne fieri quidem posse agnoscit, sed tamen id, quod magis verisimile, sequi constituit: nempe, *Ludovicum*, putat, ex Familia Suevica Staufensi oriundum, referre genus ad *Conradum I* Regem, *Arnolfi* Imp. ex filia *Glismut* nepotem. In quam rem schema Familiæ Augustæ Franconicæ, inde ab ultima ductum origine, diversis tabulis proponitur, sed emendatius atque auctius. Traduntur autem firmanturque testimoniis ea solum, quæ aut plane non, aut minus recte, ab aliis dicta. Unde etiam *florum sparsorum* appellatio. Durius vero accipitur *Eccardus*, scilicet ut amicitiæ cum *Schannato* quadantenus fiat satis. Caput ultimum docet, *Ludo-*

Præf. p. 9 seq.

52 seq.

14.

Ludovicum Barbatum Conradi II beneficio *Comitatum Hassiæ* accepisse, quem *Conradus* ante regnum ipse ab Imperio tenuerat. Moguntino nullum in Hassia tunc nisi ex procuratione vicaria jus fuisse putaverat Autor; qua in re tamen se errasse postea profitetur. Neque sane mirum, labi subinde homines, etiam prudentes, in rebus tam vetustis, tantoque scriptorum silentio. Strenue luctatur Autor cum tenebris, quas discutere studet conjecturis probabilibus. Quoque magis suo hoc Opusculo Juri & Historiæ patriæ communi prosit, illustrationis causa varias immiscet Observationes plane novas, v. g. nullum civem Imperii imperialis feudi acquisitione clypeum honoremque suum minuisse olim, quia non æquali se subjiceret. Lætatur hic CL Autor, sibi omnium primo occasionem affulsisse, quo, Imperii beneficia, nunquam honori noxia judicata, demonstrare potuerit. II *Chronicon Genealogicum Nivellense*, & III *Petri de Thymo Historica Excerpta ex Chronico Brabant.* Ediderat *Jo. Jac. Chifletius* A. 1659, 4, subnexa libro: *Le faux Hildebrand relegué aux fables.* Repetere hic placuit, tum quod Hassiæ Principum progenitores recensentur, tum quod liber est rarissimus. Adjiciuntur e Codice MSto variæ lectiones. IV *Franc. Guillimanni de vera origine & stemmate Conradi II Imp. Salici Syntagma.* In cujus fine *Conradi Constitutio de Beneficiis*, a *Guillimanno* ex MSto emendata, & notulis illustrata. Prodierat miræ raritatis, & magnis etiam viris nomine solum notus, libellus A. 1609, 4, non Mediolani, (ut *B. Gundlingio* videbatur,) sed (ut titulus præfert) Friburgi Brisgojæ. Copiam ejus fecit Vir Cl. *Jo. Dav. Kælerus.* De vita *Guillimanni*, & scriptis ejus, quædam præfatur Cl. *Senckenberg.* V *Consuetudines & Observantiæ Juridicæ circa successionem & retractum in Hassia receptæ & autoritate publica collectæ Seculo XV finiente. Germanice.* Describuntur illæ vicatim per præfecturas, & multa monent lectorem: 1) quid sinceri sit Juris Germanici; 2) quantopere variare soleant mores circa eandem rem in una provincia, imo brevi locorum intervallo; 3) quantæ sit molis, colligere, quod uspiam juris morisque est in Germania; 4) quam difficile

Præf. p. 173.

168.

le dictu sit, aliquam esse consuetudinem generalem totius regionis, nedum universæ Germaniæ, &c. VI *Chronicon Germanicum, Thuringicum, & Hassiacum, ab A. 1479, cum Notis juridicis & historicis.* Autor Hersfeldia (ut videtur) oriundus, vixit medio Seculi XV. Multa quidem scribit vulgaria, sed non raro etiam, quæ ad locupletandam Hassiæ Thuringiæque historiam pertinent. Exemplum suum cum aliis contulit Editor, priora capita resecuit, in notulisque dixit strictim, quæ ad rem faciebant, aliisque nondum dicta erant. VII *Tres Decades Diplomatum, Hassiam & vicinas terras spectantium, ex Seculo XIII. & seq. cum Notis juridico-historicis.* Notæ hic pro instituti ratione satis copiosæ, usum demonstrant Diplomatum in Jure Privato, Publico, & Feudali. E. g. de waranda, sive evictione Germanica, dicitur: *Immota nititur veritate, possessorem per annum & diem confirmatum fuisse in possessione* zu besserem rechten, *certo indicio, in petitorio* melius jus *docere licuisse, etiam anno & die elapsis.* Item A 1323 *Otto* Landgravius Hassiæ Ecclesiam filiam cum consensu Parochi a matrice separat ex jure sui Patronatus. Quem actum CL. Editor non vult cum aliis ad exercitium juris territorialis sacri ante Reformationem referre, putatque, Diœcesani præcessisse consensum.

Pag. 407 & 418. 545. Conf Præf. p. 50. 559 seq.

Apparet, quanto studio publicam rem agat doctissimus *Senckenberg*, & quanta spes sit bonarum rerum, cum nunc otio fruatur Academico. Habebimus brevi *Tomum IV Selectorum*. Expectamus etiam avidissime, quam promittit, *Themidem Germanicam*, ubi jura patriæ universa, eorum fata, aliaque, tractabuntur, ubi & ordinationes, statuta, legesque provinciales, proponentur. Promittit idem Tractatum de *Condominio* aliumque *de Sagittariis medii ævi*, spondetque id agere se, acturumque in posterum, non ut farraginem scribat rerum notissimarum, sed ut dicat proferatque incognita.

Præf. p. 86. 360. 525. 345.

ISTORIA DELLE PIANTE, &c.

h. e.

HISTORIA PLANTARUM, IN LITTOribus Venetis nascentium, Opus posthumum JO. HIE-

HIERON. ZANNICHELLI, auctum a JO. JACOBO, Filio, Instituti Academici Scientiarum Bononiensis Sodali.

Venetiis, sumtibus Editoris, apud Antonium Bartoli, 1735, fol. Alph. 1 plag. 14, cum Fig. æn. 311.

Adriatici maris littora, uberrimo plantarum proventu luxuriantia, ignotam hanc exteris habitura erant gloriam, nisi animum ad condendam rei herbariæ patriæ historiam appulisset Pater, sumtuum laborumque prodigus fuisset Filius. Dispartiuntur uterque inter se partæ hinc famæ gloriam. Cum titulum legeremus, illas saltem plantas habituros sperabamus, quæ maritimæ, aut littorales, audiunt, quarum scilicet ea nascendi conditio est, ut nisi in sabulosis locis, quos undæ maris alluerent, crescere nolint, prout sunt quidam ex *Tithymalis, Asteribus, Halymi, Crithma, Kali, Gnaphalium,* quod unicum est *Tournefortii*, viginti a littore passibus vix crescens, aliaque. Habent ejusmodi plantæ non levem, crassitie aut colore foliorum & sapore ad muriaticum accedente, diversitatem. Verum omnem spem longe exsuperavit eventus, cum splendidissimo Opere non littoris tantum, sed & omnium circa Venetias locorum, plantæ, littorales, palustres, montanæ, arenariæ, saxatiles, aliæque, contineantur. Alphabetico equidem ordine seriem recensendorum pertractat; verum nihil impedit, quo minus methodici titulos sibi vindicare possit, ex quo in Præfatione professus est, se magni Viri, *Tournefortii*, rationem plantas in genera classesque dispescendi secuturum. Agnoscit characterum dignitatem, qui ex flore fructuque desumantur, &, quamvis cum Principe suo, quem sequitur, non omnino convenire videatur, quod embryonem vocaverit fructus intra florem primordia, quem ovarium potius appellant alii, quo ova, embryones suos concludentia, id est, semina, continentur; maluit tamen regiam sequi viam, quam a tramite deflectere, ne videretur nimis audacter contradixisse. Florem quoad partes essentiales, sine quibus fructificationis negotium peragi nequit, descri-

ſcribens, preſſe ſecutus analogiam quampiam generationis organorum, id, quod piſtillum audit aliis, embryones vocat, tubis ſuis concluſos, ſtamina vero ab activa magis eorundem parte, apicibus puta, definit, quorum potiſſimum, ſi Cel. *Vaillantium* audiamus, officium eſt, prolificum ſemen in uteros, quos circumſtant ſtamina, mittendi. Singularis omnino res viſa fuit conſiderantibus, ſtamina florum Opuntiæ, Helianthemorum, Parietariæ, aliorumque, leviter tacta elaſticum exercere motum, & farinam ſuam quaquaverſum ſpargere, quem motum plaſticum eſſe, difficulter omnino negabitur. Quæ floris centrum ambiunt petala, accidentales Autori dicuntur ejus partes, quandoquidem integro fructificationis negotio defluere eadem poſſint, habeanturque apetali flores, nudo piſtillo vel ſtamine, quo, ad eſſentiam floris non pertinere ejus foliola, doceatur. De Calyce cum *Tournefortio* prorſus ſentit, quem hinc inde pro charactere aſſumens, flores alios apetalos, alios petalodes, alios ſimplices, alios compoſitos, appellans, uniuscujusque plantæ hiſtoriam eleganter omnino condit. Perplacet, eundem in verba magiſtri non omnino juraſſe, ut, meliorem *Vaillantii* & *Pontederæ* ſententiam hinc inde adoptaſſe, ipſum puduerit, qui duo rei herbariæ lumina *Tournefortii* methodum correctam, & plurimis acceſſionibus perpolitam, effecerunt. Terminos regularitatis & irregularitatis, quo formæ florum rite definirentur, admiſit, quod, quamvis a *Tournefortio* omiſſum videatur, nihil tamen impedit, quo minus τὸ ὅμαλον & ἀνόμαλον præclari iſtius Autoris æquivalere prædictas notiones poſſit, ſicut perinde eſſet, ſi quis cum aliis uniformitatis & difformitatis vocabulis, prout in *Rajana* & *Dilleniana* methodo, delectaretur. Facile apparet legentibus, in Autorum, qui pro principibus rei herbariæ ſuo quisque tempore exſtiterant, evolutione ſolertem fuiſſe Cl. Autorem, quandoquidem id, quod cuique opinioni præſtantiſſimum ineſt, in ſuos uſus convertere tentavit. Inde terminos quosdam genericos, latisſimum ſignificandi valorem habentes, ſuæ methodo inſeruit, leguminoſas plantas ex antiquitate ſcivit ſub eadem claſſe collocandas eſſe, prout easdem jam ſuo tempore *Hippocrates* ef-

fectus etiam nomine cognatas judicavit, πάντα τὰ ὄσπρεα φυσώδεα, omnia leguminosa flatulenta esse, sibi persuadens. Umbelliferas ex *Morisono* habet: Verticillatas *Caesalpino*, primisque methodi conditoribus, debet. Passim in singularum plantarum declaratione, quarum nomina ex ipsis fontibus depromuntur, plurima affert curiosa, ad subtiliorem florum anatomen pertinentia. Exemplo esse potest flosculorum & semiflosculorum in floribus compositis uberior declaratio, quos diverso a recepta hactenus consuetudine modo definit, semiflosculos appellando, non eo, quod deficiant in altero sui hemisphaerio, sed quod staminibus, vaginula sua inclusis, destituantur, adeoque steriles sint, prout in quibusdam radiatis. Flosculi autem perfecti eidem sunt, qui hac plastica parte, apicibus scilicet staminum, gaudent. Quicquid de eorundem vel perfecta vel imperfecta rotunditate statui possit. Non negandum, hac flosculorum definitione quasdam evitari posse anomalias, quas habemus in Hieraciis, Sonchis, aliisque, ubi flosculi semiflosculis mixti deprehenduntur; cessaret dubium, quod est, aliam petasitidem flore albo radiatam esse, aliam non radiato flore donari, quandoquidem steriles in radio albae flosculi pro flosculis non habentur. Vaginulam hancce, qua flosculorum in compositis apices includuntur, adeo inseparabile flosculosorum florum signum occasione Dipsaci declarat, ut exinde cum *Vaillantio* arbitretur, eandem ab hoc genere ob hanc solam causam eximendam esse, utpote qui Echinopum, eo, quod Vaginulis hisce gaudet, utut ceteroquin perianthio communi destituatur, flosculosis accenset. Addi posset alia ratio, flosculi scilicet in Dipsaco ad sensum barbati, prout Verticillatarum flores esse solent, fructificatione a flosculosorum semine magnopere diversa, utpote quae semina quatuor nuda ad normam Verticillatarum ferat. Studiosissimus sane est passim Doctissimus Autor variarum sententiarum inter se conferendarum aut conciliandarum, prout fecit occasione Borraginis, quam hexapetalon fecerat *Tournefortius*, apetalon *Vaillantius* & Celeb. *Michelli*, quorum omnium tamen inter se adeo magna discrepantia non est, dummodo *Tourne-*

for-

fortius calycem pro petalis numeraſſe reputetur. Neque vero ſpeculationi tantum, ſed & uſui, ſtudet, ſiquidem de efficacia uniuscujusque plantæ diſſerens, ex principiis chymicis decidit ad mentem Præceptoris ſui, qui in Schola Botanica de acido oleisque plantarum judicandi artificium nos docuit. Enixe gaudemus, induſtrium & felicem Editorem ſic patriſſare, ut, quos ille imperfectos reliquerat labores, ſuo tempore prodituros ſpondeat. Expectamus productiones ſubaqueas plantasque marinas, in Præfatione promiſſas, quas ſi quantocyus produxerit in conſpectum noſtrum, in rei herbariæ inſigne incrementum, & *Zannichelliani* nominis gloriam, id ceſſurum, perſuaſum nobis certiſſime habemus.

Schauplatz der Mühlen-Bau-Kunst, ꝛc.

h. e.

THEATRUM MACHINARUM MOLArium, a JO. MATTHIA BEYERO & conſortibus ita elaboratum & collectum, ut pro Parte nona Theatri LEUPOLDIANI haberi poſſit.

Lipſiæ, apud Wolffgang. Deer, 1735, fol. Alph. 4 plag. 12, cum Tabb. æn. 43.

Opus molendarium, a B. *Leupoldo* cogitatum, & ab alio Autore, morte prævento, affectum, ita tandem perfecit *Jo. Matthias Beyerus*, Vir harum rerum plane peritus, ut non immerito pro aliqua parte ipſius Theatri *Leupoldiani*, cujus iterum & ſæpius a nobis facta mentio eſt, haberi poſſe videatur. Methodum enim *Leupoldi* ſequens *Beyerus*, omne genus molendinorum, & quæ ad illa pertinent, diligenter deſcribit, multisque accuratis ſchematiſmis illuſtrat. Agit de declivitate fluminum & rivorum, de foſſis molendariis, de libellatione, de quantitate aquæ, quam fluvius dato tempore fundit, de fundamentis molarum aquariarum, de aggeribus, de rotis directis & retrogradis, earumque conſtructione & pro-

portione, de molis alatis, jumentariis, manuariis, frumentariis, ferrariis, acuminariis, oleariis, multisque aliis: quibus postremo etiam de horologiis oscillatoriis nonnulla addit. Et, quoniam complura de his rebus a *B. Leupoldo* in Theatro machinarum generali jam sunt exposita, ea non repetenda, sed alleganda, in præsenti Opere, Autor existimavit. Adjuncta est, tanquam altera libri Pars, ab Anonymo Jurium perito ampla & luculenta tractatio, de jure molendinorum: ubi & pleraque Edicta atque Ordinationes Principum ac Statuum S. Rom. Imperii, aliarumque provinciarum, quæ ad res molendarias spectant, & integra Dissertatio Celeberrimi JCti, *B. Jacobi Bornii*, de eo, quod justum est circa molendina, ex Latino sermone in vernaculum conversa, atque Annotationibus illustrata, exhibentur.

LETTRES D' UN OFFICIER INGENIEUR &c.

h. e.

ARCHITECTI CUJUSDAM MILITARIS Epistolæ duæ, de rebus nonnullis, ad artem muniendi & Geometriam practicam spectantibus.

Berolini, apud Naudeum & Viduam, 1734. 4.
Plag. 11, cum Tabb. æn. 2.

In una harum Epistolarum id agit Autor Nobiliss. *Humbertus*, Centurio & Architectus militaris Potentissimi Regis Borussiæ, ut partim methodum muniendi *Rimplerianam*, a nemine adhuc recte perceptam, luculenter exponat, partim vero ostendat, scriptores Gallos, & inprimis *Vaubanum*, pleraque sua ex Germanorum fontibus hausisse. *Rimpleri* vitam, opera, adversarios, & defensores, recenset. Nobilissimum *Herlinum*, a quo ante aliquod annos *Rimpleri* scripta edita sunt, collaudat: de cetero neque ipsum, neque *Suttingerum*, *Sturmium*, *Landsbergium*, novam *Rimpleri* methodum, quam is studiose celavit, vere comprehendisse arbitratur. At sibi denique, declarat, tam felici esse licuisse, ut

sche-

ſchema detegeret, vivente adhuc *Rimplero*, a quodam ejus diſcipulo, haud dubie ad mentem præceptoris, delineatum. Id ipſum igitur ſchema hic exhibet, ſimulque varia *Rimpleri* principia illuſtrat, eos falſe ridens, qui de re incognita & perperam ficta, tanto huc usque conatu, in utramque partem diſputarunt. In altera Epiſtola methodum proponit, aream quamcunque in campo datam, ope pyxidis magneticæ, facillimo negotio in charta deſcribendi. Hujus methodi autorem laudat *Grunebergium*, oſtenditque, *Philippum Naudæum*, ſeniorem, de ea aliquid in Miſcellaneorum Berolin. Continuatione II tradidiſſe, ſed nomine inventoris penitus ſuppreſſo. Addit, eundem *Naudæum* etiam aliam exhibuiſſe methodum, ingenioſam illam quidem, ſed minus expeditam: quam ipſam quoque, poſt priorem demonſtratam, ex ſcheda Autoris manu exarata ſiſtit.

THE MOTION OF FLUIDS &c.

id eſt,

MOTUS FLUIDORUM NATURALIS ET artificialis, inprimis aeris & aquæ, familiari & perſpicua methodo explicatus, multisque accuratis experimentis & ſchematiſmis illuſtratus, Autore CLARIO, A. M.

Londini, apud Eduardum Simonem, 1735, 8 maj. Alph. 1, cum Tabb. æn. 9.

Non pauca hoc libro continentur, ſcitu omnino digna & præclara. In quibus pertractandis ita verſatur doctiſſimus Autor, ut non facile a ſcriptis magni *Newtoni*, aliorumque ſuorum civium, diſcedat. Cum a motu fluidorum, inprimis aeris & aquæ, infiniti naturæ & artis effectus dependeant, facile judicari poteſt, quam amplum ſit libri præſentis argumentum. Methodus ita facilis, ſimplex, & perſpicua eſt, ut pleraque etiam ab indoctis capi poſſe videantur. Sermone Autor maxime familiari utitur, &, quæ non penitus evitare po-

tuit vocabula ſcientiarum & artium, ſub finem explicat. Nec ſchematiſmi omiſſi ſunt, ad illuſtrandas varias machinas & naturales experientias accommodati. De cetero, ut ex ipſa inſcriptione patet, duas potiſſimum Partes liber comprehendit, *Hydroſtaticam* & *Pnevmaticam*. In priori Parte agitur de natura, motu, gravitate, attractione, cohæſione, & reſiſtentia talium fluidorum, quale eſt aqua; de principiis & paradoxis hydroſtaticis; de variis ſiphonum & antliarum generibus; de acceleratione gravium delabentium, de motu projectorum parabolico, de jactu aquarum ſalientium, denique de ſpecifica corporum gravitate, tam fluidorum, quam ſolidorum, ope hydrometri & libellæ hydroſtaticæ exploranda. Alterius Partis hæc ſunt præcipua capita: de proprietatibus aeris; de barometro; de antlia pnevmatica; de effectibus, qui a preſſione aeris dependent; de arte urinatorum; de motu muſculorum; de corde & ſanguinis circulo; de animalium digeſtione, nutritione, ſanguificatione, reſpiratione, & ſuctione; de vi aeris elaſtica; de methodo ſcarificandi; de adſcenſu ſucci in plantis; de thermometro; de hygrometro; de ortu & progreſſu ventorum; de cauſa naturali fulminum, tonitruum, & meteororum; de adſcenſu vaporum in aere, & quo illi pacto in nubes coeant, & in pluvias reſolvantur; de origine fontium; de grandine, nive, & congelatione; de ſonis; de tuba ſtentorea & acuſtica; de formatione echus; ac poſtremo loco de æſtu maris. Cum in his explicandis rebus nihil dicat Autor novum ſibique proprium, ſed illud ſaltem laboret, ut, quæ ab aliis præclare dicta atque inventa ſunt, in clariori lumine collocet, perſpicuoque ſermone proponat; non eſſe hujus loci atque inſtituti noſtri arbitramur, ut plura afferamus. Commendandus tamen liber utique videtur.

JO. CHRISTIANI STOCKII, PHIL. ET Med. D. P. P. & Acad Cæſ. Nat. Curioſ. Collegæ, Exercitationes Phyſicæ, diſtributæ in capita, quibus Philoſophiæ naturalis principia conciſe pertractantur.

Jenæ,

Jenæ, sumtibus Christ. Henr. Cuno, 1735, 4.
Plag. 20 ½.

Nobilissimus Autor has Exercitationes, de quibus in Academia Jenensi publice disputavit, nunc forma justi Tractatus physici, in capita distributi, edidit. Schematismis & demonstrationibus mathematicis non utitur: ceterum pleraque succinctis thesibus exponit, atque etiam passim experimentis illustrat, Autores clarissimos secutus, inprimis socerum suum, *Teichmeyerum*, *Hambergerum*, *Wideburgium*, *Wolffium*, *Muschenbrœckium*. Sed & propria placita interdum addit, neque *iis, qui jam nomen aliquod inter perspicacissimos* (ipsa ejus verba sunt) *& experientissimos Physicos affectant, imo, si fieri potuisset, in primis cunabulis affectassent*, hæc se scripsisse profitetur, sed ut suum pariter & auditoris ingenium exerceret. Corpus id esse definit, quod partes, quarum una extra alteram existit, certo modo invicem unitas habet, & vi agendi instructum est. In legibus adhæsionis explicandis a Cl. *Hambergero* non discedit, putatque, fluida adhærere tum solidis tum ipsis etiam aliis fluidis, specie gravioribus, vel saltem pari gravitate præditis, non vero minus gravibus; vim scilicet adhæsionis, ut videtur, inter corpora cohærentia haudquaquam reciprocam esse, statuens; quippe cum alias, si minus gravia gravioribus adhærescant, etiam hæc illis adhærere, fatendum foret. Negat, sibi adhuc persuaderi potuisse, omnem corporum soliditatem ab elemento terræ dependere: nam & aquam solidescere. In theoria æstus marini Cl. *Bachstromium* sequitur. Strias lucidas, sive virgas solares, tum apparere docet, cum series vaporum, versus nubes, in pluvias jamjam abituras, recta adscendentium, a sole illuminatur. Meteora lucida, ipsaque lumina borealia, a vaporibus, materiam phosphorescentem constituentibus, & in aere passim condensatis, deducit. Ad fulgura, & tonitrua formanda, vapores calidos, salino-sulphureos, turmatim adscendere narrat, versus nubem densiorem & frigidiorem, sub qua (nescimus, an semper necessarium illud frigus suum servante,) congregari eos, atque sensim adeo incalescere,

lescere, necesse esse, ut etiam incendantur. Parhelia & paraselenæ, juxta ejus sententiam, existunt, cum vapores, in superiore aere hærentes, non sunt æquabiliter explicati, sed pluribus locis, ubi solem vel lunam respiciunt, plana diversa (ut fit in polyoptris) constituunt. Faculas solares nihil aliud esse vult, quam ipsas maculas, seu nubes solis, a quibus radii per refractionem condensantur. De cometis, ex Astronomorum celeberrimorum observationibus, præter cetera, hæc notat: lunam plenam, ubi cometæ directe opponitur, obscurari: & cometas, post longum temporis intervallum redeuntes, eandem servare viam, in qua priscis temporibus sunt observati. Quod ita interpretandum est, cometas nonnullos, recentius visos, eandem viam satis accurate tenere, quam alii olim tenuisse leguntur. Ex quo non sine ratione colligi solet, antiquiores illos rediisse, &, quando iterum redire debeant, subductis rite calculis, prædici posse: tametsi istos calculos necdum ulla observatio atque experientia comprobavit: sed comprobabit fortasse in posterum. Et hæc ad præsens sufficere non dubitamus.

C. PLINII CÆCILII SECUNDI PANEGYricus, tum aliunde, tum ex Observationibus V. C. CHRISTIANI GOTTLIEB SCHWARZII, emendatus a JO. MATTHIA GESNERO.

Gottingæ, apud Abrah. Vandenhœck, Typographum Academiæ, 1735, 8.

Plag. 7.

Postquam Celeberrimus *Gesnerus* ad Eloquentiam & Poeticen in Academia Gottingensi nova publice docendam Lipsia evocatus est, nihil prius & antiquius sibi existimavit esse, quam ut sibi delatam spartam pro virili parte ornaret. Cujus rei cum multa jam atque erudita exstent documenta, tum hic ipse Panegyricus, a *Plinio* quondam *Trajano* dictus, a Cel. *Gesnero* autem non paucis in locis emendatus, specimen præbet

bet clariſſimum. Nam, cum conſilium cepiſſet, ſtudioſis ejus facundiæ, cui in aulis & inter homines politiores hodie etiam locus relictus videtur, facem præferendi, nullum cenſuit librum *Plinii* Panegyrico huic inſtituto accommodatiorem. Ac, ne quis difficultate libelli ipſius nanciſcendi a fructu recitationum excluderetur, recudendum eum ea, qua nunc comparet, ratione curavit. Qua in re hoc ſibi ſumſit, ut eas reciperet legendi rationes, quæ ipſi maxime probarentur, & quas ad *Plinii* ſententiam accommodatiſſimas, & rebus ipſis, de quibus agitur, maxime convenientes, judicaret. Hinc factum eſt, ut plerisque in locis, ubi variatur, aſſumeret, quæ Celeb. *Schwarzius* in Diſſertationibus quatuor, ad Panegyricum *Plinii* editis, vel primum protuliſſet, vel argumentis probaſſet. Ne vero nihil de ſuo attuliſſe videretur Cel. Editor, in nonnullis, licet paucioribus, locis ſeparatim ſentire auſus eſt. Nos eos primum indicabimus locos, in quibus Cel. *Schwarzii* lectionem approbavit: deinde ad eos etiam deveniemus, quibus ipſe Cel. *Geſnerus* medicam manum admovit. Sic Cap. XI, 1, cum Cel. *Schwarzio* legit, ***ut majeſtatis crimen induceret***, rejecto vulgari ***numen***. Cap. XI, 4, recepit ſupplementum, ex copiis *Schwarzii* ſuppeditatum: ***quoniam imperabat is, cujus pulſi fugatique*** &c. cum antea, omiſſis illis, ***quoniam imperabat is***, legebatur ***cujus pulſi fugatique***, ſcilicet ***imperii***. Et ſane dubium nobis omnino videtur, utra ſit lectio præferenda. Nam primo codex, ex quo ſupplementum hoc hauſtum eſt, hoc in loco mancus reperitur. Deinde recte Cel. *Geſnero* durum non eſt viſum, omiſſis vocibus, ***quoniam imperabat is***, dicere, pulſi fugatique imperii Romani indicium fuiſſe, Romæ ſi triumpharetur. Nam, licet teſtimonia, quibus probatur, ***imperium*** quoque ſonare ***exercitum***, nulla ſint adjecta in Annotatione, nec ejus rei veſtigia in *Fabri Theſauro* reperiantur, tamen non adeo rara hæc nobis notio verbi ***imperium*** videtur, quin hinc inde ea obſervetur. Quid enim *Nepoti* Timol. II, 3, ***imperium dimittere*** aliud notat, niſi ***exercitum dimittere?*** Eodem ſenſu vox ***imperium*** accipi poſſe videtur apud *Juſtinum* II, 3, 1.

M *Livium*

Livium IX, 17, &c. Et quis ignorat, ſolennem illam Romanorum formulam, *cum imperio eſſe*, ſeu *mitti*, idem ſignificare, quod *cum exercitu eſſe*, ſeu *mitti* in provinciam. Vid. *Cicero Fam*. VIII, 8, 21. Itaque tantum abeſt, ut incongruens loquendi formula nec ſatis Latina, ut Cel. *Schwarzio* videtur, dici debeat *imperium pelli fugarique*, ut in hoc ipſo *Plinii* loco tanto ſtudioſius retinenda, quo minus fidendum videtur codici mutilo ac manco. Cap. XIV, 1, pro *Parthorum*, eodem duce, ſubſtituit *Geſnerus Barbarorum*, & Germanos intelligit. Cap. XXXIII, 3, pro vulgato *ſpectator ſpectaculum*, jam eſt, *e ſpectatore ſpectaculum*, & Cap. XXXV, 3, pro *ſpectent*, *expectent*. Approbat quoque lectionem *Schwarzianam* Cap. XLIX, 6, *plenus ipſe & ructans*, quæ antea eſſet, *plenus ipſe eructans*, nec non Cap. L, 4, *quod aliquando ceperint eſſe domini ſcientis*; LIII, 1, *& alioqui nihil non parum grate ſine comparatione laudatur*; LIII, 5, *Quare ego, Trajane Caſar, muneribus omnibus tuis comparo, quod licet* &c. LIX, 6, *cum Principem quam ſimillimum eſſe privato, Conſulem quam diſſimillimum eſſe deceat*; LXI, 6, *& collegam te non uni dares*. Atque in his quidem & aliis Cel. *Geſnerus* in hac Panegyrici *Pliniani* editione ſecutus eſt cogitata Doctiſſ. *Schwarzii*; nihilo tamen ſecius in non paucis etiam diſceſſionem fecit, ſuo fretus ingenio. Sic Cap. V, 9, vulgatum, *ex adverſis ſecunda naſcantur*, retinet, & illum pro *naſcantur* legentem *noſcantur* relinquit. Cap. XXIV, 2, pro vulgari, *eademque omnia* &c. exhibuit, *eadem*, *quæ*, ſcilicet *fortuna*; Cap. XXXI, 1, *tuam vigilantiam ſpectari voluiſſe*, pro *expectare*. Cap. XXVI, 4, conjectura *Lipſii* retinetur, *tribunal excogitatum principatui*, pro *cruciatu*. Cap. LI, 1, in verbis, *ſatis eſt tibi nimiumque*, *cum ſucceſſeris frugaliſſimo principi*, *magis rejicere aliquid & amputare* &c. Vir doctiſſimus in locum *magis* ſurrogavit *mavis*. Forſitan *Pliniano* ingenio legi convenientius poſſet *majus*, ut ex antecedenti repetatur, *eſt tibi*. Cap. LII, 2, eleganti conjectura, pro vulgato, *adeptus*, repoſitum eſt, *adpetas*, quamvis ſpernenda non videatur emendatio *Lipſii*, *adoptes* legentis. Cap.

LIV,

LIV, 5, lectio est vulgaris, *tua moderationis hac laus, constantia nostra, & tibi obsequimur*, quæ sic exprimenda curavit *Gesnerus: tuæ moderationis hæc laus, an constantiæ nostræ: tibi obsequimur.* Jam *Lipsius* legendum censuit, *non constantia nostra.* Sed forsitan vulgaris scriptura tolerari posset, si verba ita collocarentur: *tua moderationis laus hæc constantia nostra.* Nam ita sententia & plana est, & Autoris opinioni satis accommodata. Cap. LXIV, 3, pro *stanti præbuit jusjurandum*, eleganter restitutum est, *praivit.* Cap. LXX, 5, Editor Doctiss. verba, *vides enim*, ideo uncis coercuit, quod ea existimet nata ex *videlicet*, glossæ instar apposito. Cap. LXX, 9, recepit *Lipsii* conjecturam, *Bene suffragiis consularium virorum urbes - - - inseruntur.* Vulgati referunt, *na suffragiis - - - - - inserantur.* Si conjecturæ locus esset dandus, legeremus, *ne - - - inserantur*, sublata tamen interpunctione; nam illud vulgatum *na*, ortum videtur ex *neü*, quod librarius ideo huc traxit, quia antecedit ellipsis particulæ *ut.* Cap. LXXI, 7, dedit *Gesnerus, qui ornari quam se, non illos magis, quos laudabas, lætabatur*, pro vulgari, *ornarique se*, &c. Quemadmodum Cel. *Schwarzio* consentit in pronomine *qui* recipiendo, sic addidit de suo, *quam*, qua particula oratio ægre ipsi carere posse videbatur, id quod tamen Cel. *Schwarzio* relinquimus considerandum. Cap. LXXI, 8, *nam si profuerint*, legendum præcipit Cl. Editor pro *præfuerint*, & Cap. LXXIII, 2, legi optat, *instinctu quodam & impetu*, non *imperio.* De cetero Panegyricus hic *Plinii* non solum eleganter, & satis curate, exscriptus, verum etiam Indice copiosissimo instructus est.

ELOGIUM GOTTLOB FRIDERICI JENICHII, Philosophi Lipsiensis.

Et nobis in more id semper fuit, & poscit id pietas nostra, ut, quos laborum nostrorum aliquando socios habuimus, quos & ingenii & doctrinæ laude florentissimos cognovimus, his mortuis publicum aliquod in Annalibus nostris monumen-

tum erigamus, memoriamque eorum seris posteris commendemus. Quod genus officiorum, si cui unquam & cum dolore insigni, & lubentes, præstitimus, jam certe præstamus piis manibus præclarissimi & de patriis musis meritissimi civis nostri, *Gottlob Friderici Jenichii*, S. S. Theologiæ Licentiati, & in Lipsiensi Academia publici doctrinæ moralis ac civilis Professoris. Patriam is Eutericium, vicinum Lipsiæ pagum, natalem anni 1680 diem 26 Martii, patrem *Georgium*, in Eutericiensi pago Sacerdotem, isto munere continuo trium & quinquaginta annorum spatio cum laude perfunctum, matrem denique *Susannam Elisabetham*, *Friderici Balduini*, Medici Pirnensis, filiam, & cognominis Theologi, quem Vitemberga olim in clarissimis doctoribus suis numeravit, neptem, habuit. Privata primum *Cellarii*, *Læscheri*, & *Mayeri*, institutione usus, firmioribus annis scholam Electoralem Portensem, postea & Altenburgensem, adiit, & in hac tantos, ducibus *Frisio* & *Grossero*, intra triennium in literis progressus fecit, ut, annos vix duodeviginti natus, A. 1696 Lipsiensem Academiam salutare novus hospes potuerit. Rectam hic studiorum suorum rationem initurus, totum se dedit nobilissimis Philosophiæ studiis, hujusque præcepta ex ore *Val. Alberti*, *Jo. Schmidii*, *Adami Rechenbergii*, *Ottonis Menckenii*, *Jo. Cypriani*, &, quem præ ceteris secutus est, *Jo. Gottlieb Hardtii*, singulorum immortalis famæ virorum, hausit. Quorum scholis nondum egressus, jam A. 1697 doctam περὶ τοῦ ἀρέσκοντος, sive *de eo, quod placet*, Dissertationem, moderante conflictum *Jo. Burchardo Menckenio*, nemini, qui novit *Acta* nostra, ignoto nomine, propugnavit publice, dignus inde ab ordine Philosophorum judicatus, quem eodem anno primis Baccalaurei, & A. 1699 supremis Magistri, honoribus ornaret. Cum Philosophia conjunxit sublimiorem rerum sacrarum cognitionem, quam, præeuntibus *Güntheris*, *Schmidiis*, *Carpzoviis*, *Seligmannis*, *Ittigiis*, *Rechenbergiis*, *Pippingiis*, *Oleariis*, insignem sibi & prorsus summam acquisivit. Jam doctrinæ, ab aliis acceptæ, specimina publica, eademque omnibus se probatura, editurus, non solum ex superiori

periori Philosophorum cathedra Dissertationes duas, alteram *de Genesimantia* A. 1699, alteram *de Cultu heroinarum saga vel toga illustrium* A. 1700, sed ex ipso etiam Theologorum pulpito A. 1699 & 1700, Præside *Jo. Oleario*, ex hujus *Synopsi errorum Fanaticorum Dissertationes* quatuor, & A. 1700 *Collegii Anti-Calviniani*, a *Jo. Ad. Scherzero* editi, *Disputationes* duas, certamini Præsidium indulgente *Jo. Schmidio*, defendit. Cumque in hac ipsa Academia firmam fortunarum suarum, si ita videretur Superis, sedem figere, ipsi esset constitutum, ad locum in Philosophorum ordine obtinendum mature sibi viam. stravit Dissertationibus binis, *de Deo, in sensuum externorum œconomiis palpabili*, utraque A. 1703 edita, & adversariorum telis exposita. Nec inter publica hæc ingenii studiique sui documenta privatam *Jenichius* desiderari industriam suam passus est; quandoquidem *Concionatorio*, *Philobiblico*, & *Anthologico*, quæ vocantur, Collegiis, nunc etiam florentissimis, complures annos sedulo interfuit, & in his doctrinæ suæ aut explicandæ, aut confirmandæ, occasionem nactus est perquam commodam. Inprimis vero, ne quid deesset futuro Philosophiæ Professori, frequenti exercitatione ipsi, si qua est, docendi arti assuevit, & privatis prælectionibus Philosophiam aut universam, aut singulas ejus partes, illustravit. Satis præclara hæc in Academiam & juventutem merita *Jenichii*; sed quæ communia ei cum multis aliis fuere. Quæ jam dicemus, fere singularia sunt Nostro, certe paucis æque propria. Illud agens inprimis, ut partam eruditionis copiam quotidianis accessionibus locupletaret, & modis omnibus perpoliret, non melius prospici posse musis suis existimavit, quam si, illustri clarissimorum virorum exemplo, terras peregrinas, literarum flore cultissimas, peragraret, &, quicquid hic notatu dignum observaret, studiose in rem suam converteret. Nactus igitur itineris socium *Christianum Mich. Bohnium*, illius *Bohnii*, quem sua ætate Medicorum Lipsiensium principem fuisse constat, cujus & educandis liberis præfectus olim Noster, felicissimum se judicavit, filium, Jurium Doctorem, & in urbe patria postea Senatorem, nobilissimas primum Germaniæ civitates salutavit,

tum in Belgium, & inde in Angliam, divertit, curiosos, ubicunque locorum esset, oculos circumferens, nec ullam facile aut viros clarissimos adeundi, aut res quasque singulares & notatu dignas inspectandi, occasionem prætermittens. Si quos igitur ætas nostra magnos in literis heroas tulit, his fere omnibus notus ac familiaris fuit, horumque docta consuetudine, quantum potuit, usus est in rem suam. Antverpiæ inprimis a *Papebrochio* & *Janningio* humanissime se exceptum, & in arcanam Ordinis Jesu Bibliothecam aliquoties admissum, cum voluptate recordatus est. Præterea Londini & Hagæ Comitum inter hos, qui Lutheri doctrinis sunt imbuti, vice plus una Oratoris sacri munus sustinuit, & in Belgio cum ipsis Mennonitarum, Quackerorum, & Beckerianorum, antesignanis congressus, horum mores & vitæ rationem curioso oculo inspexit. Sub finem anni 1706 ex itinere redux inter ordinis Philosophorum Assessores statim locum obtinuit, & in pristinos musarum amplexus rediturus, non solum scholas philosophicas instauravit, sed scriptis etiam limatissimis plausum ferre orbis eruditi cœpit. Edidit enim A. 1707, forma 8, *Historiam Spinozismi Leenhofiani, publica autoritate damnati, ex authenticis documentis collectam*, gratum omnibus librum, cui materiam & instrumenta in Belgio paraverat; anno vero subsequenti *Propylæum sapientis & felicis Principis Friderico Augusto*, tunc Saxoniæ Principi heredi, nunc Poloniarum Regi, patriæ nostræ tutelari Deo, esse sacrum jussit, & A. 1710 *Operum Philosophicorum Joannis Clerici*, nuper in extrema senectute beate defuncti, editionem novam curavit, erudita de vita & scriptis *Clerici* Præfatione ornatam; ejusdemque Polyhistoris *Artem criticam*, typis Lipsiensibus A. 1713 repetitam, eleganti de fatis artis criticæ Præfatione instruxit. Fuit etiam, quod grati testamur, meritissimus de *Actis* nostris, & ad horum tuendum amplificandumque honorem cum ceteris eruditi laboris sociis annos cumplures amicissime conspiravit. Tacemus præclara multa eloquentiæ tam sacræ, quam civilis, specimina, quibus, ne gratia suorum civium excideret, effecit. Quæ dum memoramus, docendi sunt Lectores, a *Jenichio* A. 1712, ipso

ipſo Paſchatos die, in templo Academico, quod a D. *Paulo* nomen habet, primum ſermonem veſpertinum recitatum. Neque vero fieri aliter hinc potuit, quam ut induſtriam tam nobilem & ſingularem pulchra & condigna præmia conſequerentur. Exſtincto A. 1710 *Godofredo Nic. Ittigio*, Jurium Profeſſore, in minori, quod vocant, Principum Collegio, ipſa ferente ita ſorte, locum occupavit; nec ita multo poſt, anno nempe 1712, *Jo. Chriſtiano Schellio*, Viro doctiſſimo, &, ſi vixiſſet diutius, illuſtre procul dubio inter eruditos ævi hujus nomen conſecuturo, in munus docendæ doctrinæ moralis & civilis publicum ſucceſſit. Cujus, more majorum, auſpicium facturus, ſolennem *de honeſtatis, juſtitiæ, & utilitatis, fœdere arctiſſimo, velut genuino veræ & unicæ virtutis indicio*, Orationem recitavit, eidemque eleganti *de veterum Philoſophorum placito decantatiſſimo: Virtutem quoad eſſentiam & in ſe ſpectatam non niſi unam eſſe*, Programmate præluſit. Ab eo tempore totus fuit in ornanda publici doctoris provincia, nec docendo tantum, quæ ſunt præcipuæ Profeſſoris partes, ſed ſcribendo etiam, commoda promovere juventutis Academicæ ipſarumque literarum ſtuduit. Prodiere ab eo tempore compoſitiſſimæ ejus *de Fundamentis officiorum erga patriam, de ſtatu ſubditorum naturali in reliquiis ſuis ſpectato, de eo, quod juſtum ac decorum eſt circa jocos & facetias*, & *de Lapide Jacobi uncto ad Geneſ. XXVIII, 18*, Diſſertationes, quibus cummaxime adjungi meretur eruditum illud Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ recentioris ſpecimen, tum, cum ſolennes Licentiati Theologiæ honores capeſſeret, A. 1714 publice propoſitum, quo *Hiſtoriam & Examen Bullæ Anti-Queſnellianæ, d. 8 Sept. A. 1713 a Clemente XI promulgatæ*, diſerte graviterque expoſuit. Nec minus bonæ frugis plena ſunt, ab ipſo, ordinis ſui Decano aut Procancellario, quæ munera vice plus una geſſit, conſcripta, Programmata, quorum præcipua nominamus *de Socrate, & bono patrefamilias, & officioſo marito, de futilitate commercii papyracei, Gallis actiones dicti, de Zenone Cittieo*, & *de moralibus Epicuri ſententiis.* Nihil dicimus de ceteris, quibus, ipſius nomine Academiæ, publico ad id ſtipendio conductus

A. 1723,

A. 1723, aut funera nobilissimorum civium, aut solennia quæque alia, indicavit. Oratorem etiam subinde facundum & disertum audivimus, maxime tum, cum A. 1713 *Schellii*, Antecessoris sui, memoriam recoleret. His alia addimus, etsi non ita illustria, æque tamen salutaria, *Jenichii* in Academiam merita. Præposituram magnam (ita vocatur munus) pagorum veterum Academicorum bis administravit, totiesque magistratum gessit Academicum. Comitiis Provincialibus, A. 1723 Dresdæ institutis, Legatus Academiæ interfuit. Præterea & villarum Academicarum curam A. 1726 suscepit, eodemque anno Commissarius rei librariæ nominatus, & A. 1732 inter Academiæ Decemviros receptus est. In his omnibus muneribus talem se gessit, qualem & honor Academiæ, & propriæ studium famæ, posceret. Fidei vir antiquæ & incorruptæ, rei privatæ præ publica contemtor, religiosissimus Deorum cultor. In congressu familiari a morosa gravitate alienum, urbanum semper & jucundum, ad præstanda officia paratum, verbo, talem prorsus, quales esse in societate omnes cupimus, experti sumus. Forma corporis procera & venerabilis, vultus ingenuus & liberalis, hominem spondens omnibus obvium, nemini molestum, sua sorte contentum. In matrimonium duxit A. 1715 virginem prænobilem, *Joannam Margaretham Bubliam*, sed quam nimis sibi mature ereptam A. 1731 doluit. Genuit ex ea filiam, *Joannam Fridericam*, tresque filios, *Gottlob Fridericum*, *Jacobum Benedictum*, atque *Theodorum Godofredum*, singulos, præter *Jacobum Benedictum*, patri superstites. Conflictandum ipsi inde ab aliquot annis cum morbo pertinacissimo fuerat, in ipsis nervis imisque ossibus hærente, cui &, frustra adhibitis omnibus remediis, superioris anni die XVII Septembris, immaturo, quod boni omnes judicant, fato, succubuit. Ita finem dicendi facimus de fatis & virtutibus Viri inter nos clarissimi, cujus memoriam & Academia nostra justo dolore prosequitur, & nos ipsi, veteris, quæ cum eo intercessit nobis, consuetudinis probe memores, seræ commendatam posteritati cupimus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXVI.

BRITANNIA ROMANA, OR THE ROMAN Antiquities of Britain &c.

ROMANÆ ANTIQUITATES BRITANniæ, Opus tribus Libris comprehensum; quorum primus complectitur historiam gestorum a Romanis per Britanniam, cum relatione copiarum tum legionariarum, tum auxiliarium, quibus usi sunt, ac designatione stationum per lineam valli, descriptione denique copiosa Romanarum munitionum, quæ Tabulis tum Geographicis, tum Chorographis, aliisque, Geometrica ratione perfectis, exhibentur; secundo inest plena Sylloge Romanorum literatorum & figuratorum lapidum, qui ad hunc diem in Britannia reperti sunt, literis forma, quam habent, propria expressis, & servata inter ipsas pariter ac lapides suos proportione (suboctupla), subscripta denique unicuique legendi eam ratione: omnes illustrantur enarratione historica, Observationibusque exegeticis pariter atque criticis; tertius continet Geographiam Britanniæ Romanam, in qua Ptolemæi, Antoniniani Itinerarii, Notitiæ, Anonymi Ravennatis, & Tabulæ

bulæ Peutingerianæ, quæ de Britannia agunt, verba proponuntur, variaque circa ipſos Scriptores, & commemorata ab illis Britanniæ loca, tentantur. Addita Tabula Chronologica, Indicesque monumentorum, ad Gruterianos & Reineſianos conformati, itemque Geographici Latinorum & Anglicorum nominum, denique totius Operis Index generalis. Autore JO. HORSLEY, M. A. & F. R. S.

Londini, apud Jo. Osborn & Thom. Longman, 1732, fol. Alph. 6 plag. 12, cum Tabb. æn. integrarum plagularum 5, dimidiatarum 99.

Poſuimus titulum libri integrum, longiuſculum licet, & quem Germanus aliquis ſcriptor vix multum a naſo Gallico auferat; quod habet totius Operis præſtantiſſimi ideam & ſynopſin, quam, Lectoribus noſtris debitam, compendii hic facere licet. Magnum & infiniti prope laboris opus peregit Autor, quod in poſterum inter ornamenta Bibliothecarum ſuo jure referetur. Videtur certe ex aſſe ſuo propoſito, h. e. titulo Operis ſui, ſatisfeciſſe, ac nihil feciſſe reliqui, ne quid incognitum aut obſcurum, certe indictum, maneret, quod ad argumentum nobiliſſimum pertinet: quemadmodum neque ſumtibus pepercerunt librarii, ad Tabulas aeri incidendas neceſſariis. In Libro primo, ſeu hiſtorico, damnatis initio monachorum commentis, neque *Venerabilem Bedam* ſibi ſequendum putavit, niſi ubi illi convenit cum Scriptoribus Græcis & Latinis, aliisque monumentis exceptione majoribus: a quibus proinde ſolis hiſtoriam geſtorum per Britanniam Romanorum petit atque illuſtrat. Accuratiſſimæ Autoris diligentiæ ubique veſtigia apparent. V. g. *Itius portus* (Græce *Ἴκιον*) *Caletum* Pag. 11. eſſe (*Calais*), demonſtrat inprimis ex computatione *Hallejana*, qui, trajectum illum breviſſimum menſus, deprehendit XXVI milliaribus Anglicanis conſtare, quæ ipſe *Hallejus* efficere

cere ait Romana XXVIII cum dimidio, Noster autem æquiparat ipsis XXVIII. Sed addit in Præfatione, XXX milliaria ideo numerari a *Cæsare*, quod is non, quantum litus a litore absit, sed intervallum inter ipsos portus interjectum, definierit. De *Gessoriaco* in ambiguo relinquere videtur, utrum pro *Bononia* hodierna (*Boulogne*), an pro *Gravelino*, an denique pro *Dunkerka*, habendum sit. Sed in Præfatione *Eumenio* præsertim Autori credere se dicit, *Bononiam* esse, qui *Gessoriacense litus* & *Bononiensis oppidi litus* eodem intellecta dicat. Sed ista copiosius accuratiusque jam disputaverat *Cellarius* noster, cujus immortali opere plane usus non videtur *Horsleius*. Quantum certe ad hanc de *portu Icio*, ac de *Gessoriaco*, disputationem, pleniora omnia & accuratiora noster, dignus proinde, cujus hic ratio haberetur. Verum in ipsa Britannia sua securius forte neglexit Germanum. Ingeniosa certe ratiocinatione conficit, appulisse *Cæsarem* in septentrionali litore promontorii ad Doveram. Tum de itineribus reliquis ac rebus gestis *Cæsaris* accuratissime disputatur, & tandem ratio quasi subducitur, neque lucri multum a Britannica expeditione illum retulisse, neque damno magno auctum, sed sumtus fere præda reparatos, voluptatem ex novo quasi orbe aperto laboribus ac periculis pensatam. Certe ab isto ævo ad *Claudium* usque Imperatorem neque præsidium in Britannia Romanum, neque stationem, fuisse, satis constat. Hic, quod notum est, Insulæ illius meridionalem partem, ut serio Romanis pareret, effecit. Quas res summa cura enarrat Autor, & observat inter alia, nunquam animum induxisse Romanos, ut ultra isthmum, inter Glotæ & Bodotriæ æstuaria interjectum, aliquid possiderent: si qua ultra murum *Antonini* monumenta supersunt, rara illa quidem, ea potius stationes temporarias, itineraque adeo, indicant, quam præsidia diuturna. Finis Romani per Britanniam imperii incidit in medium Seculum V, non historia tantum teste, sed numis etiam monumentisque reliquis, quorum nihil ultra *Valentiniani III* imperium descendit. Caput VI habet enarrationem Legionum Romanarum & auxiliarium in Britannia, quæ utilissima esse potest historiam

Præf. pag. V.

65.

riam rei militaris Romanorum tractantibus. Habetur enim
Pag. 78 seq. hic notitia satis copiosa v. g. *Legionis secundæ Augustæ, Legionis sextæ victricis, Legionis XIV, vicesimæ, secundæ adjutricis, quintæ Germanorum, decimæ.* Apparet, ab invasione inde *Claudiana* per XXV circiter annos quatuor fuisse Legiones in Britannia, tres autem a *Vespasiani* initiis ad finem opum Romanarum. Occurrunt hic observationes quædam oppido
83. utiles; v. g. ubi invenitur nomen cohortis cum numero, nulla regionis vel alia definitione addita, probabile est, intelligi legionarias, non auxiliares: idemque de centuriis notandum.
87. Jucundum est observatu illud: potest ostendi, X fere cohortes auxiliarium adjunctas fuisse legioni: &, computatis cohortibus, quæ in Britannia fuisse undecunque discuntur, quo tempore tres fuere legiones, conficiuntur XXXI, quarum VIII nomina tum in Inscriptionibus occurrunt, ab Autore primum publicatis, tum in notitia imperii; XIV in solis Inscriptionibus; in sola autem notitia IX. Quod si quis excipiat, non eodem omnes tempore commemorari; at illud quidem certe efficitur, non multum inferiorem debuisse numerum esse, cum eædem diu ibi legiones fuerint: adde, quæ supersunt monumenta, tabulas modo ex naufragio esse: neque mirum, in notitia pauciores commemorari; tum quod raro omnes simul plenæ fuerunt eodem in loco vel legiones, vel auxiliarium copiæ, tum quod aliis nominibus, *vigilum, exploratorum, defensorum*, potuere quædam cohortes comprehendi; tum quod scripta est notitia ultima ætate, ubi jam consenuerant opes per Britanniam
94. Romanæ. *Alarum*, quæ hic equitum auxiliarium corpora denotant, nomina supersunt VIII. Divisæ erant in *turmas*, quæ tamen etiam in Inscriptionibus *cohortes equitum* vocantur. Suspicatur Autor, sex alas fuisse tribus legionibus adjunctas, ut binæ ab utroque latere complecterentur denas in medio cohortes, qui modus erat auxiliarium, singulis legionibus addita-
95. rum. *Numerum* non certi corporis aut generis militum nomen esse, inprimis probat ex l. 2 § 1 *ff. de his, qui not. infam. Exercitum non unam cohortem, neque unam alam, dicimus;*
96. *sed numeros multos militum.* *Vexillarios* fuisse arbitratur sele-

selectum numerum optimorum & agillimorum in legione militum, quos comparat cum pyrobolariis hodiernis (*Grenadiers*), qua in re ab interpretibus *Taciti* aliquantum recedit, cujus locis utitur *Hist. II, 10 & 66*, item *III, 6*, *Ann. IV, 73*, *Agric. XVIII.* Fuisse numero DC, decem nimirum ex unaquaque centuria, vexillo illius tuendo alioquin attributos. Non fuisse veteranos ab omni alio, quam pugnandi, labore immunes, (quod *Lipsius* volunt & *Salmasius*;) inde probat, quod etiam vallo illi Scotico adhibitos esse, ex Inscriptionibus appareat. *Vexillarii* etiam unius legionis vocantur *vexillatio*. Illud, quod summum & capitale in Libro primo videtur, tractat Autor Cap. VII, ubi ponit 1) initio castella constituta modicis intervallis inter Glotæ & Bodotriæ æstuaria (*from the frith of Forth to the frith of Clyde*) ab *Agricola*, quæ deinde, quantum ejus fieri potuit, muro junxerit *Antoninus Pius*; 2) similes stationes ab eodem *Agricola* positas inter Itunæ æstuarium (hodie *Solway frith*) & Vedræ ostia (hodie *Tine*), quas deinde vallo conjunxerit *Hadrianus*: post illas munitiones posteriores, castella primum posita dicta *stationes per lineam*; 3) a *Severo* Imperatore murum lapideum ductum vallo *Hadriani* fere parallelum, sed magis septentrionalem: ita quidem, ut & ipse castellis prioribus uteretur, quantum ejus fieri posset, & eorum causa sæpius de via recta aut terreno commodiore deflecteret. Igitur de Autoris sententia, quod in *Cellariana* tabula est *Severi* vallum, secundum Nostrum est vallum *Antonini*: *Hadriani* autem vallo, in quo utrique convenit, parallelus fere est, & ad septentrionem proximus, secundum *Horsleium*, murus *Severi*: qua ratione vallum, quod ducit *Cellarius*, *Antonini*, quodque angulum truncatum 60 circiter graduum ad Orientem divaricantem cum *Hadriani* vallo efficit, plane evanescit. Eam porro positionem & rationem apertis rerum gestarum monumentis pedetentim quasi persequitur, ita, ut primo stationes per lineam valli meridionalis, *Hadriani* & *Severi* munitionibus deinde comprehensas, enarret, &, quomodo notitiæ imperii *Antonini* & Itinerario cum Inscriptionibus hodieque exstantibus conveniat, diligenter exponat: deinde Cap. VIII

Pag. 97.

 ipsum

ipſum *Hadriani* vallum & murum *Severi* perluſtret, &, quæ
Pag. 124. prima ipſius ratio fuerit, quantum poteſt, indaget, ubi v. g. obſervat, ab occidente cœptum opus, & verſus orientem productum. Cap. IX hodiernam utriusque operis faciem ſolicita induſtria, tabulis etiam pictis, ob oculos ponit. Cap. X non minori cura de *Antonini* muro agit Autor; hujus enim eſſe, non *Severi*, indubiis monumentis demonſtrat. Deinde obſervat, non procurriſſe eum ad occidentale, quod nunc eſt, litus, cui ſcilicet adjectum ab eo tempore putet alluvione maris: comparat deinde menſuras veteres & novas, efficitque ex Inſcriptionibus, quibus docetur, quantum quæque cohors aut vexillatio perfecerit, eandem prope longitudinem, quam vel veteres ſcriptores commemorant, vel novæ dimenſiones ſubji-
173. ciunt. Perſequitur deinde omnia veſtigia, & tandem obſervat, hodie vocari rudera hujus valli *Grime's dike*, ſeu *Graham's dike*, origine nominis aut fabuloſa, aut oppido tamen incerta. Hæc fere Libro primo. Secundus Liber continet recenſum Inſcriptionum ſculpturarumque omnium Romanarum, quotquot per Britanniam repertæ ſunt, ne omiſſis quidem fragmentorum minutiis, quarum ſcilicet uſum non minus eſſe poſſe conſtat, quam quæ librorum hinc inde colliguntur laceræ reliquiæ. Habentur itaque hic æri inciſa monumenta ad CCCXL, in quibus CXL circiter primum nunc producuntur: vix autem ultra VIII, eaque minus emendate expreſſa, habentur apud *Gruterum*. Et ſane in reliquo etiam numero multa ſunt, quæ pro recens editis haberi poſſint, cum ad hunc diem ita fuerint publicata, ut pro non cognitis haberi poſſe videantur. Quo in genere diligentiſſime a ſe elaboratum confirmat Autor noſter, ut ad ipſa monumenta quam diligentiſſime conferret ſua apographa: neque pœnituiſſe, eum laborem, ſi quis præſertim ſcrupulus oriretur, repetere. Servavit etiam hoc, ut omnibus monumentis non ipſorum tantum lapidum literatorum aut figuratorum forma exprimeretur, ſed proportio etiam, quæ inter ipſum literarum modum & lapidem ſuum intercedit, ita, ut (paucis locis exceptis, ubi id indicatum eſt,) monumentum unumquodque intelligi debeat

octu-

octuplo majus esse, quam hic indicatur. Quantum intersit, Pag. 179.
a quo vulgentur id genus monumenta, & quanta cautione ad eam rem opus, (forte etiam quantum hic campum, in quo se jactet, inveniat Pyrrhonismus historicus,) declarabimus uno exemplo, ab Autore proposito. Anno 1702 ad *Rookby* in Eboracensi agro inventam dicit *Galeus ad Antonini Itin. p.* 42 aram cum hac Inscriptione:

DEAI NIMPHAI
NEINBRICA * ET
IANVARIA X ET
IBINVS MV
IOSONIRVN

Eandem Inscriptionem ita exhibet postrema *Camdeni* editio:

DEÆ NVM
ERIÆ NV
MINI BR
IG ET
IAN.....

In ipso lapide autem, fide Autoris nostri, hæc sunt:

DEAE NYMPELAV
NE INEBRICA X ET
IANVARIA: FIL
LIBENTES EX VO
TO SOLVERVNT.

Eamus nunc, & argumenta magnarum rerum petamus ex talibus monumentis! Sed gratias potius agamus Autori nostro, & si qui sunt illius similes, qui nulli suæ operæ, sumtui, molestiæ, parcunt, ut habeat sequens ætas, cui tuto, quantum fert conditio humana, fidem habere possit. Præmisit Autor ipsis Inscriptionibus notitiam regionum, locorum, hominum, temporum, tabulas, quæ literarum, tum simplicium, tum conjunctarum implicitarumque, figuras, quales in lapidibus visuntur, ob oculos ponunt: tabulam item unam, in qua separatim sacrificiorum instrumenta & apparatus proponuntur. Jam incipit 192.

cipit recensere atque explicare locorum ordine, quicquid ad hunc diem inventum est monumentorum Romanorum, initio a septentrionibus facto, & vestigiis ruderibusque viarum militarium persequendis, ita quidem, ut omnes atque singulæ Inscriptiones, prout opus est, ab illo conferantur cum editis, lectio vera, quantum ejus fieri potest, constituatur, & interpretatione, ex ipsa Britannicorum monumentorum inter se comparatione sæpissime, nonnunquam & aliunde, petita, illustretur. Harum specimina afferri facile possent, sed supersunt pluscula de ipsa libri conformatione dicenda. Multa esse, quæ hinc disci possunt nova, vel uno exemplo declarabimus, positis nominibus Numinum aut geniorum, quibus hic sacra aut vota fiunt. Non est opus locis adscribendis chartas occupare, cum ea facile volentibus Index suggerat. Videas igitur lapides positos *Apollini Granno, Belatucadro Deo*, vel *Deo Aranti Belatucadro, Brigantiæ, Campestribus matribus, Cocidi Deo, Deæ Setlocenia, Deabus matribus Tramarinis, Deæ Nymphæ Elaunæ, Deæ Tertianæ, Deo Ceaijo, Deo Matunb, Deo Mogonti, vitæ restitutori, Deo Mogti, Deo Vitiri, Divo rustico Vitiri, Dui, Matribus Alatervis, Jovi Tanaro, Verbajæ*, de quibus omnibus vel erudite disputatur, vel breviter, nihil præterea de iis constare, indicatur. Tertius Liber, qui totus Geographicus est, primo Capite *Ptolemaicam* Britanniæ Geographiam Græce & Anglice proponit, ac deinde observationibus multis & doctis illustrat, quibus tum errores *Ptolemæi* emendantur, tum ratio ostenditur inveniendi loca, quibus nomina *Ptolemæi* respondeant, subjecto catalogo locorum omnium a *Ptolemæo* memoratorum, elementari ordine disposito. Cap. II De *Antonini* Itinerario eodem fere modo agitur, ejusque pars, quæ Britanniam spectat, copiose post *Galeum* illustratur, tanto magis, quod plura ex hoc libello ad notitiam locorum per Britanniam Romanorum peti possunt, quam ex reliquis, quotquot supersunt, scriptoribus simul sumtis. Eodem modo Cap. III tertium antiquitatis monumentum, notitiam dignitatum utriusque imperii, in quantum ad Britanniam ea pertinet, & Cap. IV eadem pars Ravennatis Geographi multa luce perfunditur.

Cap.

Cap. V, a Nob. *Wardio* ſcriptum, *Peutingerianæ* Tabulæ ſimili ratione illuſtrandæ impenſum eſt. Verbo, nihil, ut ſupra diximus, prætermiſſum videtur, quod ad ſuſcepti operis perfectionem ullo modo pertineat, niſi forte illud aliquis expectarit, ut numorum etiam veterum præſidia adhiberentur, ac proponerentur ectypa, qua ratione decus quoddam conciliari Operi potuiſſet. Sed forte abſtinuit volens Autor diligentiſſimus, & ratione quadam nobis incognita. Non debet certe ea res gratiam egregiæ operæ, non Britannis tantum ſuis, ſed in univerſum omnibus antiquitatum Romanarum ſtudioſis, præſtitæ, imminuere: quæ novum eadem ſpecimen eſt ſolertiæ illi Anglorum genti propriæ, quæ exactiſſima minutarum etiam, ut primum intuentibus videntur, rerum perquiſitione ea efficit, quæ admirationem potius deinde, quam contemtum, mereantur.

THE HISTORY OF THE PURITANS, &c.

h. e.

HISTORIA PURITANORUM, SIVE PROteſtantium Nonconformiſtarum, inde a morte Eliſabethæ usque ad initium belli civilis, anno 1642 geſti; Autore, DANIELE NEAL, M. A.

Volumen II.

Londini, apud Rich. Hett, 1733, 8.
Alph. 1 plag. 18.

Quo loco fuerint res Puritanorum, *Eliſabetha* diem obeunte ſupremum, dictum fuit, cum primam Operis hujus partem perluſtraremus. Jam, *Jacobo I* regnum capeſſente, erigere ſe quodammodo ac confirmare videbantur Puritani, quando is, quoad Scotiam moderabatur, omnibus ad bene ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtulerat. At enim, ſive, qua mente ſit, callide occultaverit, ſive novum ſub alio cœlo induerit ingenium, mox eum oſtendiſſe certum eſt, quantopere a Puritanis ſit abalienatus, cum ſubinde in ore haberet: Sine Epiſcopo Rex nullus. Sed nos ſingula perſequemur. A. 1603 Puritani offerebant ſcriptum, *the millenary petition* dictum, Cap. I.

eo quod 1000, vel potius 800, nominibus ſubſcriptum erat; in quo ſupplices rogabant, ut quædam cerimoniæ atque abuſus tollerentur. Rex igitur Hamptonicuriæ colloquium inſtitui jubebat, cui ex una parte novem Epiſcopi, ex altera quatuor Puritanorum doctores, intererant. Ipſe autem ab Epiſcopis occupatus, non moderatoris, ſed reſpondentis, perſonam ſumere, regia ſeveritate ac minis miſeros exterrere Puritanos, ac ſæpius interpellatos Epiſcopis auliciſque ridendos propinare. Res totum triduum acta. Primo die Rex, cum Epiſcopis ſententiis collatis, in libro precum publicarum, frivolarumque excommunicationum cauſa, pauca, eaque perexigui momenti, mutabat. Altero, admiſſis Puritanis, D. *Raynoldus* quatuor capita in controverſiam adduxiſſe legitur; 1) doctrinam verbo Dei convenientem intemeratamque introducendam eſſe: at ſemel iterumque a *Bancroftio* Schiſmatici elogio oneratus, interpellabatur; præterea *Raynoldus* novam catecheſin, Bibliorumque translationem, deſiderabat, utcunque a Rege conceſſam; 2) cœtibus ſacris paſtores præficiendos eſſe bonos diſputabat, quibus etiam ſermones ad populum habere liceret: de quo capite Rex decernebat nihil; 3) librum precum publicarum pietati promovendæ convenientius informandum eſſe: ſed hic ſurdis auribus loquebatur, Rege abſolutum in æqualitate ſtabilienda obſequium flagitante; 4) frivolas Epiſcoporum excommunicationes e medio tollendas, reſtituenda *exercitia* ſacra, diſſidia nationalibus Synodis finienda eſſe. At vero, multis diſputatis, Rex atrocibus huic diei minis finem faciebat. Tertio denique, juramento ex officio antea confirmato, advocatis Puritanis renuntiabatur, in libro precum nonnulla eſſe mutata; ceterum ſtare ſententiam, diſciplinam, ac ritus, ad eandem formam effingendos, immorigeroſque ſevera animadverſione excipiendos eſſe. Ita vero tumultuario hoc colloquio finito, acquieſcere nolebant Puritani, cauſamque ſuam ſcripto tuituros recipiebant, ſed non auditi, horrido uniformitatis Edicto proſternebantur. Parlamento iterum convocato, *Jacobus* eccleſiam Romanam matrem agnoſcere, multaque elate loqui. Diſceptabantur coram eo variæ cauſæ, ſed irrito plurimæ ſuc-

ſucceſſu. Quin imo Canones ſtatuebantur a Rege confirmati, quorum multi ad perniciem erant Puritanorum comparati. *Bancrofto* Cantuarienſi ſedi præfecto, novæ ſubinde atrocesque vexationes, quibus affligebantur Puritani, conſecutæ. Quamquam vero a nimio rigore ob inſignem eorum, qui canonibus ſubſcribere nolebant, multitudinem identidem aliquid remittebatur; multi tamen in Belgium ſecedebant, novosque ibi cœtus inſtituebant. In his non pauci Browniſtæ, qui tamen, uti turbulento plerique omnes erant ingenio, ſe ipſi conficiebant. Inprimis magna inter eos erat diſſenſio, utrum ſeparatio ab eccleſia Anglica ſit *neceſſaria*. Negabant Puritani, corruptam illam quidem, attamen veram, dicentes. Affirmabant illi, ac pertinaciter pugnabant. Interim ii, qui media ſatius putabant via incedere, urgebantur ab Epiſcopis, ac ad novam de ritibus veſtibusque diſputationem nequicquam provocabant. Lincolnienſes vero ſcripto cauſas exponebant, quam ob rem libro precum articulisque nomina ſubſcribere non poſſent, quandoquidem multa verbo Dei contraria continerent. Tali modo jam longius procedebant, ac cerimonias, olim inconvenientes pronuntiatas, nunc plane abrogandas cenſebant. Hoc tempore, anno nempe 1605, *Bradshawi* Puritaniſmus Anglicus evulgabatur, in quo ratio doctrinæ Puritanorum uberius exponitur, cujus ſumma capita Autor excerpſit. Ceterum Cæſarea & Garneſeja Inſulæ, nunc *Bancrofto* inſtigante, uniformitatis laqueis implicabantur. Parlamentum multa contra ſuprematum regium, aliaque crudelitatis fomenta, diſputabat, ac in Scotia Epiſcopatus formula introducebatur. Moriebatur tandem A. 1606 *Bancroftus*. Excipiebat eum *Abbotus*, vir gravis, pius, moderatus, Puritanisque amicus. Tranſimus, quæ de nova Bibliorum translatione a ſeptem & quadraginta Theologis ſuſcepta, ac A. 1611 typis expreſſa, tum de reformatione Hibernica, in qua Puritanorum Epiſcopaliumque cauſæ conjungebantur quodammodo, fuſius exponit Autor, nec non quæ de Synodo Dordracena, Epiſcopatuque in Scotia confirmato, diſſerit. Notamus tantum illud, *Henricum Jacobum*, Leydæ adhuc commoratum, novam diſciplinæ formam conſtituiſſe, Cap. II.

cœtusque hujus membra nomine *Independentium* postea innotuisse: præterea Regem A. 1618, ut ludicræ actiones animi recreandi causa die solis perpetrentur publice, rationibus male subductis, permisisse. Puritanorum independentium, venia a Rege impetrata, multi in Americam sese recipiebant, variisque jactati casibus, novi Flymouthi sedem fixisse leguntur. Arminiani hoc tempore apud Regem perquam gratiosi magnis admovebantur muneribus; sed hinc nova scissio orta. Pars enim Puritanorum, legibus provinciæ justum statuens pretium, arbitrario autem Regis imperio adversa, Puritanorum *civilium*; pars, de cerimoniis ambigens, ac *Calvini* doctrinam adoptans, Puritanorum *ecclesiasticorum*, nomine distinguebatur. Horum numerus, in se exiguus, mox illorum accessione admodum augebatur, ut Rex iis Arminianos, cum Papistis conspirantes, objiceret, unde A. 1622 infinitarum contentionum materia. Hinc Puritani, variis modis afflicti, prohibebantur doctrinam *Calvini* publice proponere. Hac tum via ad summos grassabantur honores, qui contra *Calvinum* clamitabant, ac Regis absolutam evehebant potestatem. Hoc qui facere nolebant, Puritanorum *doctrinalium* nomine discreti. Quanto autem magis *Puritani* premebantur a Rege, tanto hi magis plebem faventem experiebantur, ac in dies majora capiebant incrementa. Quodsi in rationes inquiras, consideres 1) Puritanos a legibus provincialibus ne latum quidem unguem recedere voluisse, qua re omnes ex curia inferiori, aliisque provinciis, ad suas pertrahebant partes, qui, suam in eo salutem positam esse, recte judicabant, ut aulæ instituta nova minime obtinerent; 2) ab interpretationibus ac commentis *Arminii* ejusque asseclarum in doctrina de gratia & prædestinatione eos sese longissime removisse, & *Calvinum* Synodique Dordracenæ placita perpetuo secutos esse; 3) rigidiores, quam seculum erat, censores morum, corruptissimorum omnino, fuisse, eosdemque, doctrinas vita factisque ut exprimerent, curasse, multorumque adeo sibi conciliasse animos, indigne ferentium, optimos homines, integros vitæ, scelerisque puros, invidiosis proscindi nominibus, ac veluti nescio quid mali machinantes, opprimi;

4) mite

4) mite *Abboti* ingenium, qui, dum doctrinæ, quam cerimoniarum, studiosior erat, iis plurima indulgebat. Quanquam negari non potest, *Laudi* furore permotos fuisse complures, ut complecterentur homines tantopere exagitatos, ac tandem iis sese adjungerent. *Jacobo Carolus I* succedebat, Papæ amicus, eique ob matrimonium, cum *Henrica Maria*, *Henrici III*, Galliarum Regis filia, initum, addictior, magnus cerimoniarum amator. Deteriore vix loco esse poterant res Puritanorum. Rex equidem, Parlamento primum convocato, optima quæque pollicebatur, at, non stare promissis, regium putabatur. *Bukinghamus* atque *Laudus*, penes quos fere summa erat imperii, *Arminianis* faventes, eorum scripta vulgari, Puritanorum contra supprimi, jubebant. Habebant hi quidem Lincolniensem Episcopum defensorem, sed a tribunali stellato ac supremæ commissionis haud leviter propterea divexatum. Plurimas de causis civilibus ac sacris mixtas controversias studio omittimus, ad ea solum animum attendentes, quæ Puritanos propius attingunt. Ex his *lectores* quosdam exstitisse novimus, non prorsus sese conformantes Regis voluntati, adeoque a meridie solum veluti extra ordinem sermones ad populum habentes. De his quidem *Carolus* decreto sic satis leni statuebat, at *Laudi* severitati complures succumbere, ac ad colonias Americanas confugere, cogebantur. Quasi vero libidinem suam explere nunquam posset, occasione ludorum die solis concessorum, exortæque de moralitate Sabbathi controversiæ, haud paucos opprimebat. In libro precum in gratiam Pontificiorum, ac ut ægre faceret Puritanis, mutabat nonnulla, mensis substituebat altaria, magno apparatu ornamentorum convestita, qua de re *Clarendonius*, ac qui Historiam Ecclesiasticam illorum temporum contexuerunt, adeantur. Ex quibus condoceri poterat, si locus pateretur, quam multa ambitiose crudeliterque fecerit homo, ipsius, cui se totum devovisse videri volebat, Regis autoritati sæpenumero adversus. Nihil igitur dicimus de Articulis 39, Hiberniæ obtrusis, nihil de dispersione Gallicorum cœtuum, amplissimis privilegiis communitorum, nihil de Canonibus in Scotiam illatis, conversa tota ecclesiæ facie,

Cap. III.

Cap. IV. V. VI.

cie, nova introducta liturgia, tota ad Papisticos ritus conformata, motibusque primo, mox turbis ac seditionibus, ex ea re coortis ac difficulter repressis, de quibus omnibus commentantem Autorem legi volumus. Magis ad rem facit notare, Parlamentum, A. 1640 convocatum, ac post integros duodeviginti annos demum sublatum, stupendarum in utraque republica, tum sacra, tum civili, mutationum autorem, Puritanisque haud paulo, quam alia, olim coacta, propensius fuisse. Hoc igitur primum omnium, curia inferiore inprimis hæc, uti alia fere omnia, urgente, Canones nuper conditos abrogabat, *Laudum*que ipsum, concurrente Scotia, multorum criminum reum judicabat, mox in custodiam datum; ipsis etiam Brownistis non adversum erat. Non alienum erit ab hoc loco percensere, quænam fuerit ratio controversiæ celebratissimæ de jure divino Episcoporum, ab *Hallio* nuper in scenam revocatæ, ac peculiari scripto, in quo tamen *Laudus* quædam immutarat, explanatæ. Confirmabat mox novis demonstrationibus, ad Parlamentum institutis, *Hallius*, quæ non ita pridem disputaverat. Respondebatur ei scripto, sub nomine *Smectymnuus* evulgato, in quo *Stephanus Marshallus*, *Edmundus Calamy*, *Thomas Young*, *Matthæus Newcomen*, & *Wilhelmus Sparstow*, primis quisque designati literis, latebant. Hi mox ab *Hallio* novum ferebant responsum, nec ipsi silebant. Summa autem controversiæ hæc erat. Primo decertabant de liturgiarum antiquitate. Episcopus certas hac voce precum denotabat formulas, publice ex mandato prælegendas. Has inde a Mose ad nostram usque ætatem serie haud interrupta ducere conabatur. Negabat tantam earum antiquitatem *Smectymnuus*, contrarium probans ex *Tertulliani* Apol. Cap. 30, *August.* Ep. 121, libertatem utendi precibus, quas velis, demum post *Arii Pelagii*que tempora sublatam esse. Concilii Laodic. Can. 18, ac ne tum quidem formulam ubivis locorum eandem, atque a Clerico, consultis sociis, compositam fuisse, disputabat. Anno demum 416 in Concilio Milanensi decretum fuisse, nemo ut uteretur precibus, præterquam a Synodo approbatis. Servatorem formulam non eo præscripsisse consilio, ut hac sola,

Cap. VI.

VIII.

la, exclusis aliis, uterentur sui: Liturgias exempli causa adductas, *Jacobi*, *Basilii*, ac *Chrysostomi*, spurias esse, vel interpolatas, docebat. Provocat Episcopum, ut producat liturgiam, ante tertium post natum Servatorem Seculum consignatam. Speciatim autem Episcopo, Anglicam liturgiam commendanti, respondet *Smectymnuus*, provocando ad Edictum *Eduardi*, in quo quatuor diversarum mentio fit, quas quidem suis non privandas laudibus, imperfectas tamen, esse contendit. Optandum modo fuisset, ut *Hallius* suam de precibus mentem tam commode ac ingenue, atque nunc faciebat, maturius explicuisset. Altera controversia ad superiorem Episcoporum ordinem, ejusque a Presbyteris discrimen, pertinebat. *Smectymnuus*, Episcopum olim tantum pastorem fuisse parochialem, affirmabat, fratribus suis collegisque non inferiorem. Episcopus autem, nomen idem fuisse largitus, re ipsa inter illos discrimen intercedere, pugnabat; quoniam penes Episcopos tantum jus consecrandi, ac spiritualis jurisdictio, sit. Contra *Smectymnuus* pervincebat, consecrationem a Presbytero factam æque efficacem esse, ac ab Episcopo profectam; Chorepiscopum etiam, qui tamen Presbyter erat, jus manuum imponendarum ac consecrandi habuisse, autoritate *Ambrosii* atque *Augustini* comprobabat. Quantum ad jurisdictionem spectat, convenit inter *Hallium*, ejusque adversarium, Episcopis olim sine consensu cleri quidquam suscipere integrum non fuisse, imo in causa excommunicationis ac absolutionis ne quidem sine consensu totius cœtus. Negat autem, Anglicos Episcopos de ejusmodi rebus unquam communicasse cum suis. Seculo III vel IV Episcoporum ordinem a Presbyteris distinctum fuisse, concedit, sed, hodiernos Angliæ Episcopos a priscis illis mirum quantum diversos esse, disputat. Componi facile potuisset controversia, si omnes ea, qua *Hallius*, mente fuissent. At Episcopi, quoad ab aula fovebantur, ne tantillum quidem remittere volebant. Interim de hierarchia non minus operose disputabatur, tota propemodum Anglia in partes advocata. Quidam eam prorsus abolendam censebant, quorum scriptum 15000 civium Londinensium nominibus signa-

guatum erat. Quidam, clero cum iis faciente, reformationem ejus flagitabant, 700 hominibus sacri ordinis, plurimisque aliis subscribentibus. Non minor erat numerus rogantium, ut eo loco, quo nunc erat, relinqueretur. Res ad curias delata in utramque partem disceptabatur. Ceterum observare licet, eas Papistis, quantumvis amarentur a Rege, maxime fuisse infensas. Hinc fatales illæ de rebus civilibus maxime, at sacris etiam, subinde agitatæ concertationes, quibus tandem, inferiori maxime curia annitente, efficiebatur, ut autoritas episcopalis evilesceret primum, mox ægre sese sustinens, suppresso judicio stellato summoque tribunali, prosterneretur penitus. Civiles causas in curia disceptatas, cum ad institutum non faciant, præterimus consulto, atque illud tantum monemus, Puritanos, id quod acta horum temporum consideranti liquido constabit, non tam de introducendo presbyterianismo, quam de Episcoporum autoritate, in superbiam, fastum, atrocitatemque degenerante intolerabilem, vel infrigenda, vel, si fieri posset, auferenda, laborasse.

Cap. IX. XII.

QUINTI CALABRI PRÆTERMISSOrum ab Homero Libri XIV, Græce, cum versione Latina, & integris emendationibus LAURENTII RHODOMANNI, & Annotamentis selectis CLAUDII DAUSQUEJI, curante JOANNE CORNELIO DE PAUW, qui suas etiam Emendationes addidit.

Lugduni Batavorum, apud Joannem van Abcoude, 1734, 8.
Alph. 2 plag. 14.

Non dubitamus, quin gratum fecerit eruditis Cl. *Pauw*, quod *Quintum Calabrum* denuo typis submiserit, & nova editione emiserit. *Laurentius Rhodomannus* quidem multum jam operæ studiique in perpurgando hoc Poeta posuit; sed multa tamen adhuc supererant, quæ lima indigerent. Forsitan & hæc a Viro doctissimo perfecta essent omnia, si ipsi

ipsi ad manus fuisset editio nostri Poetæ *Aldina*. Cujus vero cum solas lectiones variantes habuisse videatur, & in sua editione Basileensem, graviter sæpe aberrantem & corruptam, secutus sit, hoc magis venia est dignus, quo plures nihilo minus emendationes protulit, quæ non modo ab *Aldina* illa lectione confirmantur, verum etiam ipsum Autorem mirifice illustrant. Itaque recte omnino fecit Cl. *Pauw*, quod *Aldinam* maxime editionem consulendam sibi duxit & sequendam. Neque tamen Basileensem penitus omisit, sed subinde etiam in partes vocavit, libris MStis & editionibus aliis plane destitutus. Quod ad Annotationes, ipsis Poetæ verbis subjectas, attinet, præcipuum suo jure in iis locum occupant laudati *Rhodomanni* emendationes, quæ integræ unaque serie hic comparent, iis, quæ Vir doctissimus vel addiderat ipse postea, vel correxerat, ad suos locos revocatis. Ex Cl. *Dausqueji* Annotamentis ea tantummodo hic exhibere placuit Editori, quæ ad correctionem verborum pertinent. Et, quemadmodum *Dausquejus* in *Rhodomannum* sæpe præter meritum invectus est, sic in Cl. *Pauw* invenit, qui par ipsi referre susceperit; siquidem in paucissimis locis ejus vel emendationes vel illustrationes sine censura, sæpius justo acriori, deprehenduntur, quibus nihil putidius, nihil ineptius, nihil absurdius, &c. esse, hinc inde dicitur. Quod quidem jure, an perperam, sit factum, jam non interpretamur, præsertim cum unicuique, hanc editionem perlustranti, integrum sit, de hac ipsa judicare. Nos potius ad ipsius Cl. *Pauw* emendationes accedimus, de quibus etsi iis forsitan satis dictum videri posset, qui Autores ab eodem editos evolverunt, si dixerimus, earum Autorem hic omnino sibi similem comparere, tamen nostri fert instituti ratio, ut quædam specimina hic proferantur. Generatim de his ipsis emendationibus Cl. *Pauw* monemus, eas, si paucissimas, nec momenti gravioris, exceperis, vel nimis audaces esse, vel non necessarias, quin etiam non raro falsas. Statim *Lib. I verf. 2* pro κεκάνται *Rhodomanno* legendum videtur κέκαυτο, cui *Dausquejus* præfert κέκευθε. Ipse vero Cl. *Pauw* legendum arbitratur τέθανται. Sed quid opus est emendatione, ubi locus per se sanus est? Neque *Rhodomannus* sua emendatione quidquam indicasse aliud

liud videtur, nisi hoc loco præteritum perfectum pro plus quam perfecto positum esse. Quod si considerassent, qui post eum in hunc locum commentati sunt, nunquam in ea avia delapsi fuissent. Nec videmus, quorsum illa Cl. Editoris observatio *Lib. II vers. 324* spectet, quando pro Νῦν δὲ σὺ μὲν μάλα πάγχυ μέγ' εὔχεαι, mavult, scripsisset *Quintus*, Νῦν δὲ σὺ μὲν μάλα πάγχυ ἐπεύχεαι. Nam quo jure ab ipso *Cantabro* postulare potest Cl. Editor, ut non suo, sed sui editoris, ingenio scribat accommodate? Nec profecto opus videtur admonitione Cl. *Pauw* ad *Lib. IX vers. 952*, pueros videre, rotundius & exasciatius legi, Ἁρπάξας μιν ἔθηκε, quam, quod *Quinto* placuit, Ἥρπασε καί μιν ἔθηκε. Nam non tam de elegantia Autoris, quam vera sententia & genuina lectione, solicitum oportet esse Editorem. *Lib. VII vers. 649* ita legitur: Ὅπως φήσασκεν ἰδὼν, ἑνὸς αἵματος ἐσμὲν, quæ Cl. *Pauw* non placent ita scripta: nam primo ὅπως pro ἵνα non recte jungi cum φήσασκεν indicandi modo: & dein, ἐσμὲν verba reddere perplexa, existimat. Hinc legendum putat, ὅλως φήσασκεν ἰδὼν, ἑνὸς αἵματος ἔμμεν, vel εἶναι. Sed melius sibi & Autori consuluisset, si ad hunc locum plane tacuisset. Nam, ὅπως pro ἵνα cum indicativo jungi, ipsum, si ignorat, ut est, docebunt *Budæus*, & Lexicorum reliqui consarcinatores. Non magis audiendus est ad *Lib. IX vers. 499*, quando minus aptum censet πυκναὶ, & rectius scripsisse *Quintum* putat στειναὶ, propterea quod *Calaber* non solum de viarum conditione, quod Nostro videtur, verum etiam de earundem multitudine, loquitur. Illud denique non est prætermittendum, in addendis & corrigendis legi *Josephi Scaligeri* emendationes, quas cum Cl. Editore communicavit Cel. *Havercamp.*

HENRICI CANNEGIETERI DISSERTAtio de Brittenburgo, Matribus Brittis, Britannica herba, Brittia, Procopio memorata, Britannorumque antiquissimis per Galliam & Germaniam sedibus. Huic accedunt ejusdem Notæ atque Observationes ad ABRAHAMI

HAMI MUNTINGII, V. C. Dissertationem Historico-Medicam de vera antiquorum herba Britannica, ad GERARDUM VAN LOON, Historicum eximium.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1734, 4 maj. Alph. 1 plag. 6, cum Tab. æn. 1.

Ex literis ad *Gerardum van Loon*, celeberrimum Operis lectissimi, quod numismaticam Belgii historiam complectitur, architectum, nata est hæc Dissertatio eruditissimi *Cannegieteri*, qui, monumenta Romana antiqua Bataviæ finitimarumque terrarum in conspectum aliquando producturus, atque illustraturus, si quid obscuri complectantur, specimine hoc, quid de instituto hoc ejus polliceri sibi Respublica literaria possit, declarandum bonis auspiciis duxit. Constat ea tredecim Capitibus, quorum primo evincit, Brittenburgum, præsidiarium quondam Romanorum castellum, ad Rheni ostia situm, cujus tamen hodie ne vestigia quidem, utpote maris æstu & litoralibus arenis obruta, supersunt, ab Romanis esse conditum, variisque ejus nominibus, quibus castrum Britannicum, arx itemque turris & domus Britannica, vernaculo item sermone *Britton, die Bruch te Britten, t'Huis te Britten*, vel *Brittheim*, dicitur, percensitis, Brittos, unde illi nomen, non alios esse, quam Brittones & Britannos, qui uni iidemque, a consuetudine colore inficiendi corpora dicti, ostendit. Capite II in locum, quo Brittenburgum stetit, inquirit, suspicaturque, vicum ibi, nomine *Britten*, fuisse, tractumque omnem eum, qui Rhenolandia hodie appellatur, *Britanniam* dictum esse. Qua conjectura sua, haud aliena a vero, fretus, Brittenburgum nomen suum ab ipsis incolis suis Britannis, non vicinæ Insulæ, Britanniæ, populis, obtinuisse, contra *Junium* in Historia Bataviæ defendit, negatque, navium Britannicarum, & negotiatorum, frumentum ad præsidia Romana deportantium, stationem ad hanc arcem fuisse, persuasus, non ostio illo Rheni, ad quod Brittenburgum situm fuit, sed Helio, quo Vahalis & Mosa exit,

Cap. I.

Cap. II.

exit, Rhenum subiisse nautas, ex Britannia pariter & Gallia venientes, atque inde Deæ *Nehallenniæ* in lapide, qui in Zelandia inventus est, tanquam *Helii nymphæ ac præsidi*, ob merces recte conservatas votum solvisse Britannicianum negotiatorem. Negat item, Britannos huic arci, prout *Lhuydo* visum, præsidii causa impositos, quippe cui Batavos præfuisse, ex lapide ibi invento colligit, cujus hæc sunt verba:

I M P
C A E S
A N T O
A V G
C O H
B A E T
O R V.
P E

Ubi *Batos* Batavos interpretandos censet Cl. *Cannegieterus*, qui parum moratur lateres ibidem repertos tegulasque, in quibus VEX. BR. h. e. VEXillatio BRitannorum, legitur, quas aliunde huc allatas suspicatur, in *Nicolai Chevalier*, qui eas in libro Gallico: *Description de la Chambre des Raretez de la Ville d'Utrecht*, produxit, ineptias imposturasque haud injusta censura invectus. Si quis vero miretur, unde in his partibus Britanni vel Britti, unde Brittenburgo nomen hæsisse Clarissimus Vir statuit; Capite jam tertio docet, iisdem temporibus alia eos quoque Galliæ Germaniæque loca insedisse. In Germania quidem huc spectant castra vetera, ubi inventi lapides, qui *Matres Brittas* commemorant, hoc est, Brittonum seu Britannici populi ad Rhenum Nymphas ac tutelares Deas. Inscriptioni a *Gisberto Cupero* in libello, Apotheosi *Homeri* subjuncto, allatæ accedit alia:

Cap. III.

M. BRITTIS MAX - -
ACISLANDAC - -
M LXXX VV - - -
CN PREPVR - - -

Matres illæ Brittæ similes Matribus Suevis, Gallaicis, Vediantiabus,

tiabus, Frisavis, Quadruburgensibus, Hludanis, de quibus erudite Cl. *Cannegieterus*, qui sollicite eas secernit a Matribus, quæ in magna aliqua gente multis populis communes fuere, cujusmodi Ausaniæ Matronæ apud *Gruterum*, ut ille arbitratur, qui *Tamsanam* apud *Tacitum* inde *Tausanam* vel *Ausanam* legi mallet, cui *Tamsanæ* tamen vetus Inscriptio patrocinatur, ex schedis *Ligorianis* nuperrime inter Inscriptiones *Gudianas* juris publici facta. Prioribus vero accedunt Matres Treveriæ, itemque Augustæ, ab Lugduno, urbe, quæ & Augusta dicta, id nominis adeptæ. Ob cultas itaque ad Castra vetera Matres Brittas si quæras ibi populum Brittorum, ad vicum *Birten* vel *Berten*, qui & *Bertheim*, vel *Brittenheim*, non longe hodie distantem ab oppido *Santen*, quod olim Castra vetera, provocat Cl. *Cannegieterus*, itemque ad *Bretten*, urbem Palatinatus inferioris, patriam *Philippi Melanchthonis*, quam & ipse ille communis literarum in Germania instaurator a Britannis derivavit. Sed & Britannos eas partes incoluisse, Capite IV ex nomine herbæ, Britannicæ dictæ, quam *Plinius* H. N. Lib. XXV Cap. 3 commemorat, colligit Cl. *Cannegieterus*, ubi & locum, quo provenit quondam, & nominis rationem summa diligentia investigat, ratus, a Britannis inter Frisios, qui Romanis eam, *Plinio* teste, monstraverunt, sive ad utriusque ostii Rhenani ripam, ubi & Brittenburgum, sive in remotioribus a Rheno locis in Germania habitantibus, eam appellationem esse derivandam. Certe Britannos multa ad oceanum loca Galliæ & Germaniæ insedisse, haud vanis evincit argumentis, eaque ratione Cl. Autori Historiæ Landgraviatus Thuringiæ, Thuringos in Anglia, Britannia, & Frisia, a mari expulsos scribenti, lucem affundit: Angliam enim Britanniamque transmarinam ibi intelligi non posse, res ipsa satis loquitur. Atque eodem spectat Caput V, ubi de Britannis cis Rhenum sedes habentibus agitur, quales illi cumprimis, qui pago Gessoriaco & Ambianis vicini *Plinio* Lib. IV Cap. 17 recensentur, quanquam iis Briannos substituit *Cluverus*, quem Cl. *Cannegieterus* pluribus confutat, qui & montes in Hannonia Picardiæ finitima *Bretten*, ab incolis Britannis ex virorum doctorum senten-

Cap. IV.

V.

tia dictos, obiter hoc loco commemorat. Neque vero mirum, Britannos tot locis extra Insulam suam atque oceanum sedes fixisse; migrationes quippe in alias terras ab institutis eorum non alienæ, id quod Vir doctissimus Capite VI uberius demonstrat, tametsi inficiari non potest, plures memorari, qui ex vicinis populis atque e continente in eam Insulam commigrarunt, quam qui inde egressi alia sibi domicilia quæsivere. Cujus quidem rei causam ut rejicit in paucitatem eorum, qui simul egressi novam sibi patriam quæsiverunt, ita observat, majores etiam migrationes, quales illa, cum Britanni, ab Anglis & Saxonibus expulsi, amplissimum terrarum ad Ligerim Oceanumque in Gallia tractum, qui hodie minoris Britanniæ nomine designatur, occuparunt, a scriptoribus silentio præteriri. Sed non tantum a migrationibus, verum & a cohortibus alisve Britannorum, quod eæ inter Romanorum auxilia stipendia fecerunt, in Galliæ Germaniæque locis indita cognomina esse, haud invitus largitur. Ut enim a Breucorum cohorte, in Pannonia conscripta, quam veteres Inscriptiones haud unæ commemorant, Breucomagum ad Rhenum, ita Brittonum cohortem in Bavaria & in oppido Carinthiæ reperias apud *Gruterum p. CIII n. 13*, ubi CHORI. FL. BRIT. quæ posteriores voces FLAVIA BRITTONUM, quemadmodum & ad Viennam Galliæ ALAI. FLA. BRIT. *p. DXLI n. 8* occurrit, ut taceamus ORD. BRITON. *p. XCI n. 6* in eodem Opere *Gruteriano*, quod alii ORDinem BRITOnum, Cl. *Cannegieterus* autem verosimilius longe ORDovicem BRITOnem, interpretatur. Ordovices enim populus Britanniæ, de quo *Tacitus* & *Ptolemæus* videndi. Ceterum, ut Britti ac Britanni extra Insulam Britanniæ in Batavia utique admittendi, ita, Brittiam *Procopii* Bataviæ partem, cui Brittenburgum caput, non esse, Cl. *Cannegieterus* Capite VII pluribus demonstrat. Locus *Procopii* exstat *Libro IV Bell. Goth. Cap. 20*, ubi Britanniæ nomine Hiberniam, Brittiæ autem Insulam, quam Albiona Græci, Britanniam Romani, nos Angliam nominamus, appellari, adeo manifestum reddit doctissimus Vir, ut dubitandi locus nullus superesse videatur.

Cap. VI. — VII. (marginal notes)

deatur. Inde ad Brittenburgum suum Capite VIII redit, a qua distinguendam esse observat turrim Phari, a *Caligula*, unde & turris Callæ dicitur, in vicinia Brittenburgi exstructam, victoriæ jocularis monumentum, ex quo ignis in usus navigantium emicuit, quam in Morinis non quærendam esse, prout *Cluverio* visum, rationibus longe pluribus adductis evincit, eaque occasione plurimum lucis affundit locis, ad quæ provocat *Cluverius*, *Suetonii*, *Dionis Cassii*, & *Orosii*. Brittenburgum vero a Romanis originem ducere, prout monumenta ad Brittenburgum inventa, quemadmodum Capite IX docet Cl. *Cannegieterus*, neminem dubitare patiuntur, ita, a quo, aut quibus Consulibus, exstructum sit, non æque constat. Famæ quidem & aræ in ruinis ejus inventæ argumento ductus Vir Clarissimus, conjectat, a *Claudio* Imperatore arcem hanc esse fundatam, a Caninefatum Rege, *Brinione*, dirutam, reparatam a *Septimio Severo*, atque a *Caracalla* iterum dedicatam. Digna hoc loco sunt Lectorum studio, quæ de aris, quibus veteres terminos & fines vel expeditionum suarum, vel imperii, designarunt, collecta Cl. *Cannegieterus* congessit, qui Capite X, postquam sub initium docuit, destinatam hanc ipsam, quæ conjecturæ de arce occasionem præbet, aram a *Caligula* quidem, sed perfectam demum a *Claudio*, fuisse, uberius ostendit, quo pacto illa una cum Brittenburgo & Romburgo disjecta a *Brinione*, *Septimii Severi* & filii ejus, *Caracallæ*, temporibus, ex ruderibus, in quæ collapsa fuerat, surrexerit. Non unam hac occasione antiquitatis partem illustratam, non unum Autorum veterum locum, ut Inscriptiones taceamus, explicatum dedit Cl. *Cannegieterus*, qui Capite XI jam indagat, quo tempore Britanni in eam Insulæ partem, in qua Brittenburgum stetit, commigrantes, ei nomen commodaverint, id quod sub *Caligulæ* tempora, quibus *Adminius*, *Cynobellini*, Britannorum Regis, filius, cum exigua manu ad eundem *Caligulam* perfugit, factum esse, haud improbabili conjectura tuetur. Quod ad fata jam arcis hujus attinet, minus verosimile censet Capite XII, a barbaris illam vastatam, sed eadem illa calamitate, quæ tot olim turres, arces, vicos, & oppida, oceano mersit,

Cap. VIII. IX. X. XI. XII.

ſit, dudum ante *Caroli M.* tempora, Chriſtiana religione nondum introducta, undis primo circumdatam, deinde *Hungeri*, undecimi Trajectenſium Epiſcopi, qui *Ludgero*, anno Chriſti DCCCL exſtincto, ſucceſſit, obrutam fuiſſe, arbitratur. Utcunque autem fluctibus hauſta, aliquoties tamen ab ea ætate apparuit, ita, ut ruinæ veteres ſpectari poſſent, & auferri inde varia antiquitatis λείψανα, ex quibus pretioſiora primo, deinde, creſcente antiquariæ Romanorum ſupellectilis ſtudio, viliora etiam, conquiri atque extrahi cœperunt. Ceterum Brittenburgi & Romburgi mentione *Nicol. Collinus* in Chronico Rhytmico ſubjungit verſum, quo docet, prope arces eas ſtetiſſe *Barden garven*, id quod de ſcholis Bardorum exponit Cl. *Cannegieterus*, de quibus jam agit Capite XIII, quod ut ordine, ita non

Cap. XIII. ſelectu obſervationum bonæ frugis, poſtremum eſt, quandoquidem de Bardis, de eorum inſtitutione literaria, de ſcholis Romanorum apud barbaros in genere, & ſpeciatim apud Caninofates, inque regione Batavis proxima, de aure Batava apud *Martialem Lib. VI Epigr. 82*, de numis Doreſtatenſibus, in quibus MADELINUM monetarium cum Rege *Elino*, aſininis auribus prædito, viri docti confuderunt, & alia his plura, quæ non vulgarem Viri doctiſſimi eruditionem produnt, complectitur. His ſubjunctæ ſunt notæ atque obſervationes ad *Abrahami Muntingii* de vera antiquorum herba Britannica Diſſertationem Hiſtorico-Medicam, quæ anno ſuperioris Seculi octogeſimo primo exiit, anno inde ſequenti in his *Actis* laudata. Eas cum Diſſertatione hac qui contendent, ut lapſus *Muntingii* multiplices, a Cl. *Cannegietero* modeſte indicatos, perſpicient, ita Britannicam herbam, quam is deſcriptam dedit, haud parum diverſam ab ea deprehendent, quam veteres ſcriptores indicarunt, cujus radicem, folia, cautem, flores, & florum tempus, in alia omnia abire, Cl. *Cannegieterus* luculenter oſtendit.

CODEX GERMANIÆ DIPLOMATICUS,
Collectore JOANNE CHRISTIANO LÜNIG.
Pars II.

Fran-

Francofurti & Lipsiæ, apud hæredes Friderici Lanckisii, 1733, fol. Alph. 14 plag. 15.

Nondum deferbuit in Cl. *Lünigio* nostro laudatissimum illud publicis commodis inserviendi studium, quin in dies amplissimas suas, & in secula ituras, Collectiones novarum accessionum mole amplificet, & splendore collustret. Nec minus, quam cetera ejus omnia, hæc Codicis Diplomatici altera Pars diligentiam Viri prorsus insignem, laboresque in colligendis publicis, ad Germaniam nostram spectantibus, documentis, omnium exempla supergressos, comprobavit. Est enim in eo ingens Diplomatum & monumentorum veterum & recentiorum apparatus, quibus Augustissimæ Domus Austriacæ provinciarum, tum Germanicarum, tum Belgicarum, status quasi tot luminibus illustratur. Auspicatur vero Cl. Collector hoc Volumen *Capitis I Sectione* V, rerum Moravicarum documentis, præsertim ad historias Seculi XIV spectantibus, referta. Succedunt his Silesiaca primum generalia, tabulæ nimirum pacis, fœderum, aliæve, ad res Ecclesiarum & commerciorum spectantes. Inde ad singulos principatus, imo & illustres ac liberas Silesiæ dynastias, deflectens, multa præsertim de terris Monsterbergensibus & Olsnensibus congessit. Excipiunt hæc Austriaca, & in eorum fronte antiquissimum illud cimelium, Diploma nimirum *Thassilonis*, Bavariæ Ducis, quo Cremifanensis Monasterii fundatio continetur. Sequitur *Friderici I* Imp. membrana celebratissima, in qua Austriam, avulsam a Bavaria, Ducatus dignitate, variisque aliis juribus & immunitatibus, ornat, quæ & ipsa unicuique probare poterit, quam scrupulosa Noster diligentia hæc documenta recensuerit. Neminem enim latere potest, in quanta varietate versentur, qui insigne hoc Augustissimæ Domus Austriacæ privilegium publicæ luci exposuerunt, adeo, ut non in verbis tantum & lectionibus quibusdam discrepent, sed & integras periodos, quas nonnulli omittunt, alii adjiciant. Primo igitur loco Diploma ex *Tentzelii Colloquiis menstruis A. 1689 p. 559* descripsit, qui, cum ipse ex Chronico *Hasselbachii* Austriaco depromta sua fateatur, nec tamen ejus lectiones

exacte cum textu *Hasselbachiano*, qualem in *Tomo II Scriptorum Austriacorum* recensuit S. R. P. *Pezius*, conspirent, consultum duxit *Lünigius*, ex ista hujus Chronici editione idem denuo repetere. Postea ex Chronico Augustali, a *Marquardo Frehero Tomo I Scriptorum* edito, ob insignem a ceteris diversitatem descriptum legitur; inde lectiones, in quibus *Guillimannus* in Habspurgiacis ab editione *Goldastiana* recedit; ac denique loca bene multa, in quibus *Tolnerus*, *Vitus Arenpeckius* in Chronicis Austriacis & Bojoaricis, ut & Autor *der Historischen Anzeige von den Privilegiis von Oesterreich*, ab eo exemplo, quod ipse *Lünigius Archiv. Imp. Part. Spec. Contin. I pag.* 4 secutus est, abeunt, annotantur. Jam, quid de ceteris Austriacis, quid de illis monumentis dicamus, quæ ad res Stiriæ, Carinthiæ, Comitatuum Tyroli, Carniolæ, Goritiæ, & Hohenbergi, nec non Judicii provincialis Suevici & Nellenburgensis, spectant? Nempe, ut multa in illis præclara continentur, ita & numero superiora, & in variis præstantiora sunt, quæ ad provincias Belgicas, Brabantiam, Limburgum, Luxemburgum, Geldriam & Zuphaniam, Flandriam, Hannoniam, Namurium, Mechliniuin, denique & Antwerpiam, pertinent. Ex quo thesauro optima quæque annotare, non tam nostrum est, quam Lectorum Juris publici & historiarum noscendarum cupidorum, inter quos nullum fore confidimus, qui non candidissimo Seni longam annorum seriem apprecetur, ad pertexendam telam, Germaniæ nostræ decori, seris posteris utilitati, *Lünigiano* vero nomini, quod dudum per ora virum volitat, maximo ornamento, jure meritoque futuram.

LEÇONS DE PHISIQUE &c.

h. e.

LECTIONES PHYSICÆ, COMPLECTENTES Elementa Philosophiæ naturalis, per solas leges mechanicas determinata: Autore JOSEPHO PRIVAT. DE MOLIERES, Regio Professore Philosophiæ, Acad. Reg. Scient. & Soc. Angl. Membro.

Tomus


Tomus I.

Parisiis, apud viduam Brocas, & Josephum Bullot, 1733 & 1734, 12 maj.
Alph. 1 plag 12, sive plag. 18 dupliciter signatæ, cum Tab. æn. 7.

Quod in Geometria ab *Euclide* effectum est, ut, accurate connexis hujus scientiæ elementis, veluti catena quædam existat, unde discedere deinceps non liceat, idem in Physicis præstare conatur Clarissimus atque ingeniosissimus præsentis libri Autor. Qui, cum videret, quanta etiamnum, post tot egregias experientias, & solertissime subductos calculos, in explicandis naturæ effectibus, & ad vera principia reducendis, inter summos viros esset dissensio, non alia re certius hanc labem ex pulcherrima disciplina tolli posse judicavit, quam si primæ & maxime communes, solisque legibus mechanicis innixæ, sive jam olim, sive recens, inventæ, veritates, cum iis, quæ per justissimas rationum conclusiones inde demonstrari possunt, non interrupto nexu exponerentur, & in perpetuum stabilirentur. Id autem potissimum traditis a se Elementis favere existimat, quod & bene cohæreant, & duorum principum Philosophorum, *Cartesii* & *Newtoni*, præcipuis repertis æque congruant. Quanquam enim cum *Cartesio* & vortices struit, & vacuum negat, tamen rem potius, quam singulares *Cartesii* opiniones, amplexus, ea sibi videtur afferre, quibuscum etiam ipsius *Newtoni* demonstrata quam commodissime connecti queant. Et primum quidem, quod nunc recensemus, Operis Volumen in quinque Lectiones divisum est. Quarum una agit de legibus generalibus motus æquabilis secundum lineam rectam: altera de legibus motus generalibus secundum lineam curvam, & de proprietatibus vorticis: tertia de vorticibus inter se comparatis, & de vortice ex minoribus vorticibus composito: quarta de motu accelerato & retardato, itemque de phænomenis gravitatis: quinta denique de æthere, quem omnis soliditatis & gravitatis, ideoque etiam resistentiæ, expertem Autor introducit; substitutis scilicet, cum *Malebranchio*, pro globulis perfecte duris secundi elementi *Cartesiani*, vorti-

cibus minutis, quos ut rurſus ex vorticibus magis minutis, & hos denuo ex minoribus, componit, ita materiam ſubtiliſſimam, qua & ipſi vortices conſtant, & anguli eorum replentur, pro primo elemento numerat. Præclarum ſine dubio, & plurima laude dignum, Viri doctiſſimi inſtitutum eſt: qui, etiamſi propoſitum fortaſſe ſuum non omnino tenuiſſe videatur, magnis tamen excidit auſis: neque, ſi *Euclides* Phyſicorum dici nequit, idcirco non inter viros de Philoſophia naturali optime promeritos collocandus eſt. Atque ipſe eam præ ſe fert ingenuitatem atque modeſtiam, ut, accuratas ubique demonſtrationes pollicendo, nil aliud ſe agere teſtetur, quam ut legentes excitet, ne quid non evidenter verum, & attentiſſime examinatum, admittant, & per ſe ipſos quærere pergant, quæ ſuam forte diligentiam præterierint. Motum certe, in mundo pleno, conſtare ac perennare poſſe, niſi vorticoſum, jure negat. A *Carteſio*, cum in aliis capitibus, tum in eo, rectiſſime diſcedit, quod is materiam ſubtilem corporibus quibusvis propterea non reſiſtere opinatur, quia particulæ ejus minutiſſimæ ac ſolutiſſimæ poros corporum liberrime permeare, quacunque directione, queant. Gravitatem corporum ab æthere ſuo, propter naturam vorticum minorum, quibus conſtat, majori vi centrifuga prædito, quam quæ competere corporibus ſolidis poteſt, etiamſi pari velocitate in vortice majori circumferantur, admodum ingenioſe deducit. Vires centrales ſuccincte demonſtrat. Ut alia multa prætereamus, quibus approbationem Academiæ Scientiarum ſuo jure promeruiſſe videtur. Sunt tamen quædam, eademque maximi momenti, in quibus veremur, ne parum firma ſit catena ejus. Omittimus, quod vires corporum motorum, non ſecundum quadrata celeritatum, ſed ſecundum ipſas celeritates ſimplices, æſtimat, tanquam hoc per ſe clarum & extra controverſiam poſitum eſſet. Duo ſaltem, exempli cauſa, breviter attingemus, quibus, veluti certiſſime demonſtratis, pleraque ſuperſtruit: de vorticum vi centrali, undique eadem, & de æthere, defectu gravitatis non reſiſtente. Aſſumit ejusmodi vorticis motum, ut, in pari a centro diſtantia, par

ſit


Fig. II
Y
I
E

ſit ubique celeritas, ita, ut prope polum X vel Z, in circulo, cum æquatore AMN parallelo, ſed millies (exempli cauſa) minori, revoluta particula, nihilo tardius moveatur, quam ea, quæ ipſum æquatorem deſcribit: hac ſcilicet ſemel, illa millies, eodem tempore, orbem ſuum abſolvente. Quo poſito, facile demonſtrat, vim, qua particula quævis, ſive in æquatore, AMN, ſive in quolibet circulo parallelo, C*mn*, revoluta, ſuperficiem ſphæræ urget, plane eandem eſſe. Quanquam enim vis abſoluta, qua particula C a centro ſui circuli I recedere conatur, ad vim particulæ A ſe habet, ut AO (ſive CO) ad CI, tamen, cum directio particulæ C ad ſuperficiem ſphæræ obliqua ſit, ideoque vis ejus centrifuga abſoluta, ad vim, quam contra ſuperficiem commemoratam exerit, ſe habeat, ut CI ad EI, ſive ut CO ad C; manifeſta omnino eſt enuntiati veritas. Atque hinc concludit, quod videlicet & *Carteſium* & *Newtonum* præteriiſſe arbitratur, vim, qua materia vorticis ſe expandere, & a centro O recedere, conatur, undique æqualem, & nihilo ſub ipſis polis, quam ſub æquatore, minorem eſſe. Non eſt hujus loci, multis verbis exponere, quæ contra dici queant. Unum quærere libet, cum vis IC in duas reſolvatur vires componentes, IE & EC, & vis IE contra ſuperficiem ſphæræ directa ſit, quid fieri debeat de vi EC? Si enim hæc particulam C verſus æquatorem pellit, ſimiliterque omnis reliqua vorticis materia a polis ad medium vorticem urgetur, ſequitur profecto, quod minime vult Autor noſter, vim vorticis centralem, a polis ad æquatorem usque, continua ſumere incrementa, & ſuperficiem vorticis quamcunque ſphæricam, etiamſi perfectiſſime æquabilis & polita fingatur, tamen inæquali vi pulſari debere. Sed progrediendum eſt ad alterum exemplum, quod paulo ante poſuimus. Statuit Vir inſignis, corpora gravitatis expertia ad reſiſtendum omnino eſſe inepta, quæcunque eorum denſitas, magnitudo, & celeritas, fuerit: neque aliam ob cauſam ætherem non reſiſtere, quam quia ipſe gravitate deſtitutus ſit, tametſi omnem gravitatem corporum efficiat. Magna ſemper quæſtio fuit, cur

Tab. III Fig. 1.

non omne genus corporum æque motui obſiſtat, vel, quod idem eſt, cur corporum, magnitudine & celeritate æqualium, inæqualis tamen vis ſit? Qui vacuum defendunt, hanc rationem in promtu habent, quod alia corpora plus vacui inter partes ſuas, atque adeo minus materiæ, complectantur, quam alia. Qui vacuum non probant, ætherem, ſive materiam ſubtilem, pro vacuo ſubſtituunt: quam materiam nonnulli talem introducunt, uti ad nihil aliud valere videatur, quam ne ſit vacuum; nonnulli talem, ut modo nihil valeat, modo plurimum, prout uſus eſt. *Carteſius* vias, per omne genus corporum ætheri patentes, in ſubſidium vocat. Alii ſummæ liquiditati materiæ confidunt. Autor noſter in eo ſolo acquieſcit, quod æther gravis non ſit. Ad quæſtionem, quo pacto igitur gravitatem & motum corporum efficere æther queat, ſi vis & reſiſtentia a gravitate demum naſcatur, in hanc ſententiam reſpondet: motum corporum, ab æthere profectum, initio non alium, quam infinite parvum, eſſe, ſed continuo repetitis ictibus augeri. At, ſi vis corporum ſine gravitate nulla, & æther gravitatis expers eſt, conſequi certe videtur, non ut infinite parvus, ſed ut nullus plane, motus impulſusque corporum ab æthere oriri poſſit. Denique, ſi libere profitendum eſt, quid ſentiamus, inter principia naturæ prima, minime dubia, & in perpetuum valitura, nihil minus numerandum arbitramur, quam illud Autoris pronuntiatum, quod vis & reſiſtentia corporum, præter maſſam & celeritatem, adhuc a gravitate dependeat. Gravitas enim, cum in niſu & impulſu conſiſtat, verſus centrum terræ, cur iſtiusmodi impulſus plus, quam quivis alius, aliam directionem habens, imo cur quivis alius ſine illo nihil valeat, non ſane perſpicimus. Directe inter ſe concurrant duo quæque corpora, in ſuperficie immota collocata, quorum definita ſit celeritas & maſſa: accedat nova vis, quæ corpora ad perpendiculum verſus ſuperficiem commemoratam urgeat: non ſane ob eam rem magis vel minus valide corpora ſe mutuo percutient; ſive magna iſta vis fuerit, ſive parva; ſive ad centrum terræ dirigatur, ſive alior ſum reſpiciat; dummodo motum

motum corporum non mutet. Manifestum igitur est, vim corporum motorum, etiam detracta gravitate, superesse, atque, si æther non resistit, hunc resistentiæ defectum aliunde, quam a defectu gravitatis, deducendum; de cetero vero cavendum esse, ne corpus non resistens iners, & ad sequendas motuum leges ineptum, porroque & penetrabile, & incorporeum, & postremo nihil, fiat; a vacuo saltem *Epicuri* & *Newtoni*, seu, si mavis, a mero & nudo spatio, quod ipsum *Cartesius* pro corpore habet, nullo discrimine secernendum.

BASIS ASTRONOMIÆ, SIVE ASTRONOMIÆ Pars mechanica, in qua describuntur Observatoria atque Instrumenta Astronomica ROEMERIANA Danica; simulque eorundem usus, sive methodi observandi ROEMERIANÆ, in usum publicum, & præsertim in gratiam una prodeuntis valde insignis Tridui Observationum Tusculanarum ROEMERI, ex fundamentis exponuntur a PETRO HORREBOWIO, Philos. & Med. D. in Universitate Havniensi Astron. Prof. & Societatis Paris. Membro.

Havniæ, apud Viduam B. Hieron. Christiani Pauli, 1735, 4 maj. Alph. 1 plag. 7, & Tabb. æn. 11.

Quod ante aliquot annos promisit Cl. *Horrebowius*, (vid. *Act. A. 1729 p. 65*) & tum quidem luctuosissimum urbis Havniensis incendium interrupit; Opus insigne Astronomiæ mechanicæ *Rœmeriana*, nunc tandem absolutum prodit: adjecto Triduo Observationum Tusculanarum, tanquam reliquiis, ex amplissimo & inæstimabili Observationum Astronomicarum thesauro, quem, simul cum aliis *Rœmeri* Operibus, quorum editionem successores & amici ejus procrastinarunt, fatale illud incendium absumsit. Præmissum est Programma Academicum, in obitum Viri summi conscriptum: ex quo constat,

ſtat, eum Aarhuſii in Cimbris A. 1644, parentibus honeſtis, mercaturam facientibus, prognatum, & A. 1710 Havniæ exſtinctum eſſe. A. 1671 illuſtris Mathematicus *Picardus* eum Lutetiam duxit: ubi ſtudiis mathematicis Sereniſſimi Delphini præfectus, & in Academiam Scientiarum cooptatus eſt. A. 1681 e Galliis Havniam revocatus, Profeſſoris Regiique Mathematici dignitate auctus, poſtea in Angliam, Galliam, & Belgium, ablegatus, tandemque Conſiliarius Status, Juſtitiæ, & Cancellariæ, itemque Conſul urbis primarius, & Politiæ director, conſtitutus, cum omnibus ubique propter integritatem, prudentiam, & doctrinam, admirationi fuit, tum de cultoribus Aſtronomiæ prorſus immortaliter meritus eſt. Librum ipſum in duodeviginti Capita Cl. *Horrebowius* diſtribuit. Quorum uno de turri Aſtronomica Havnienſi, deque inſtrumentis Aſtronomicis Danicis veteribus: reliquis de magni ſui præceptoris, *Olai Ræmeri*, inventis, de methodo ejus obſervandi, de horologiis, de tubis & pinnacidiis, de diviſionibus inſtrumentorum, de machina æquatorea & azimuthali, de obſervatorio domeſtico & Tuſculano, de perpendiculo correſpondentium, de parallaxi orbis annui, de tubo cancellato, de amphioptra, ſive tubo reciproco, de micrometro, de machina planetarum & Jovialium, de rota meridiana Obſervatorii Tuſculani, ac denique de inſtrumento æquinoctiorum, exponit. Obſervationes, quas magno numero, & ſingulari cum diligentia, in Tuſculano ſuo *Ræmerus* per triduum celebravit, ſcilicet die 21, 22, & 23 Octob. A. 1706, ad Caput ſeptimum decimum, poſt rotæ meridianæ deſcriptionem, annexæ ſunt. Nunc ſeparatim nonnulla attingemus. Et methodus quidem, quam ſecutus eſt in ſuis Obſervationibus Vir illuſtris, in eo conſiſtit, quod, neglectis diſtantiis, altitudinibus & azimuthis, unice rectaſcenſionibus & declinationibus aſtrorum inveſtigandis invigilaverit: neque has ipſas ſimpliciter determinaverit, ſed earum tantum differentias a rectaſcenſionibus & declinationibus ſolis. Horologia oſcillatoria *Hugeniana* tria adhibuit, ad motum apparentem diurnum ſtellarum fixarum accommodata; quorum unum Obſervatori maxime propinquum

quum & ante oculos positum esse voluit. Telis bombycinis, pinnacidiorum loco in tubis applicandis, reticulisque ex pluribus filamentis compositis, diligentissime usus est. Ad quæ noctu rite collustranda, ne conspectum effugerent, extremo tubo thecam addere consuevit, ab uno latere apertam, quo lumen laternæ illabi, atque a fundo, pro apertura vitri objectivi perforato, & vel speculari, si tubus major esset, vel chartaceo, si minor, ad ipsa filamenta posset reflecti. In dividendis instrumentis accuratissimus fuit. Ad evitandam vero multitudinem divisiuncularum, e re esse duxit, minores particulas ipsi manui indicis sive alhidadæ inscribere, ut majoribus singulis applicatæ rite congruerent. Transversales porro lineas in limbis instrumentorum circularibus minime probavit, nec cochleas, alhidadis affixas. Novam igitur atque utilissimam rem commentus est, ut microscopium compositum applicaret, in foco vitri ocularis reticulo bombycino instructum, cujus fila parallela tot intervallis æqualibus distarent, quot ad subdivisiones partium, in limbo instrumenti notatarum, requirerentur: ac deinceps lenticulæ objectivæ distantiam ita aptavit, ut particulam subdividendam extrema reticuli filamenta exacte caperent. Inventæ sunt post incendium, præter schediasma de parallaxi orbis annui, etiam explicationes, ipsa manu beati Viri nitide, atque, ut videtur, jam tum, cum Parisiis esset, descriptæ, trium a se repertorum instrumentorum, tubi cancellati, tubi ancipitis, sive amphioptræ, & micrometri: quas ipsas schedas Cl. *Horrebowius*, cum suis annotationibus, in præsenti libro exhibendas judicavit. Tubus cancellatus duo habet vitra objectiva, quorum prout distantia & focus mutatur, ita una eademque craticula quadrata, in plurima minora quadrata, filis decussatis, divisa, atque in foco collocanda, discos solis vel lunæ, modo majores, modo minores, semper capere exacte potest. Similem machinam, vel potius eandem, postea invenit *Philippus de la Hire*, cui *Rœmeriana* non videtur ignota fuisse. Tubus anceps, sive amphioptra, itidem duo habet vitra objectiva, & duo filorum reticula, circa utramque


tubi extremitatem immota: ita, ut oculum cum lente oculari utrinque æque commode applicare liceat. Micrometrum illud ipſum eſt, quod *Philippus de la Hire Picardo* tribuit, egregii uſus, & ſatis hodie notum. Longum eſſet, ſi ceteras *Rœmerianas* machinas, & methodum errores earum detegendi & corrigendi, ipſasque obſervationes tridui, quantumvis paucis, attingere vellemus. In libro Cl. *Horrebowii* hæc quærenda ſunt. Nobis vero in præſenti ſatis erit, ſi brevem adhuc mentionem fecerimus utriusque obſervatorii *Rœmeriani* privati, præcipuorumque, quibus in iis uſus eſt, inſtrumentorum: ex quo intelligi poterit, quam non difficili, neque admodum ſumtuoſo, apparatu opus ſit, ad ſacra Uranies rite colenda. Obſervatorium domeſticum camera fuit, tredecim circiter pedes ſupra planum plateæ elevata: feneſtra ad meridiem ſpectavit, nonnihil verſus ortum declinans, per quam meridianus, a gradu undetrigeſimo declinationis auſtralis ad quadrageſimum ſeptentrionalis patuit. Reliqua ſchematiſmus ante oculos ponit. Formam axis KI, ferrei, & validis feneſtræ muris innixi, ſitumque habentis in primario verticali exacte horizontalem, ſeparatim exhibet figura M. Per hujus annulum trajectus tubus, & rite firmatus, laminisque ferreis, duplicem conum formantibus, circumveſtitus, quam accuratiſſime ad meridianum dirigitur. Extremitati tubi ultra vitrum objectivum adjecta eſt theca, ab uno latere aperta, cum ſpeculo perforato, quod lumen, a laterna D exceptum, verſus filamenta, in foco poſita, reflectit. Circa medium axem manubrium eſt, ex laminis ferreis paratum, cujus ope volvi tubus cum axe poteſt. Præterea index declinationum, ex laminis ferreis craſſiculis conflatus, axi adhæret, geſtans microſcopium E, cum annexo indiculo incurvo. Arcus F eſt machinæ meridianus, graduum 75, conſtans arcu ferreo ſatis craſſo, & lamina orichalcica obducto; in qua lamina, per puncta exigua, exhibentur ſextantes graduum, qui deinceps per microſcopium in minuta prima dividuntur. Denique pondus Y ita machinam mediam ſublevat, ne propria mole, tubique & ceterarum rerum gravitate, ſubſidere at-

Tab. III Fig. 2.

que

Mart. p. 131.

tubi extremitatem immota: ita, ut
utrinque æque commode applicare
lud ipsum est, quod *Philippus*
gregii usus, & satis hodie no
ras *Rœmerianas* machinas, &
tegendi & corrigendi, ip
tumvis paucis, attingere
hæc quærenda sunt.
brevem adhuc menti
Rœmeriani privati,
strumentorum: ex
que admodum s
Tab. III rite colenda.
Fig. 2. decim circiter
meridiem
quam mer
lis ad o
matiss
lidis
tica
hr



que incurvari possit. Nunc ex urbe rus eundum, atque observatorium *Ræmeri* Tusculanum contemplandum est. Tugurium illud vocat Cl. *Horrebowius*, pedes 17 longum & latum, in loco paulo eminentiore patentis planitiei exstructum, & a turri Astronomica Havniensi uno minuto temporis versus occasum distans. Pavimentum ad unum fere pedem infra ipsam terræ superficiem depressum, parietes vero cum tecto, rima continua, 4 pollices lata, ita dissecti sunt, (aliquot tantum trabeculis ferreis cohærentes,) ut tubo machinæ primariæ circumvoluto totus meridianus ab horizonte australi ad borealem pateat. Machinam illam schematismus sistit. B rota meridionalis est, in cujus limbo sextantes graduum accurate notati sunt. C axis crassus, e bracteis ferreis conflatus, & utrinque in conum solidum terminatus, matricibusque orichalcicis exceptus: DA tubus 5 pedes longus, filis bombycinis & theca luminosa instructus: F microscopium. Atque hæc hoc loco ex Opere præstantissimo delibasse sufficiat. Tab. IV.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE &c.

h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERrimorum in Republica literaria Virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum, a singulis editorum, de iisque judicia.

Tomus XXIV & XXV.

Lutetiæ Paris. apud Briassonium, 1733 & 1734, 12 maj.
Tomus quisque habet plag. 18, totidemque plag. dim.

Primum in *Tomo XXIV* locum tenet Vita *Matthiæ Flacii*, m. 1575 d. 11 Martii, quam Cl. Autor more descripsit suo. Eruit scilicet memorabilia de hoc hæretico, quem vocant Romanæ Ecclesiæ addicti, e scriptis nostratium, non e libris hostium,

 atque

atque ita se gerit, ut, ipsum ἄνευ παθῶν & sine odio Theologico vitas Theologorum describere, appareat. Sequitur *Jo. Hieronymus Zannichellius*, pharmacopola Venetus, factus dein Doctor Medicinæ, Ducisque Parmensis Chymicus & Chirurgus, m. 1729 d. 11 Januarii. *Opera* ejus *Botanica posthuma* prodierunt A. 1730. Addimus his novum Opus posthumum, *de Plantis, circa Venetias nascentibus*, anno demum superiore a filio, *Jo. Jacobo*, editum, & in *Actis Mensis Febr.* hujus *Anni* laudatum. *Petrus Belonius*, Medicus Parisinus, confecto per Orientem itinere clarus, m. 1564. Noster eum defendit contra *Sammarthanum*, qui *Elog. Lib. 1 Cap. 11* ipsum egit reum plagii literarii. *Gilbertus Cognatus*, famulus prius, deinde familiaris & amicus *Erasmi*, m. 1567, cujus Opera sunt edita Basil. A. 1562. *Sethus Wardus*, Anglus Episcopus & Mathematicus, m. 1689 d. 6 Januarii. *Quirinus Reuterus*, Professor Heidelbergensis, m. 1613 d. 22 Martii. *Germanus Audebertus*, Poeta, m. 1598 d. 24 Dec. *Richardus Vitus Basingstochius*, Juris Prof. in Acad. Duacensi, m. 1612, qui A. 1568 edidit Commentarium in Bononiense Epitaphium, cui titulus: *Ælia Lalia Crispis*, ac deinde *Historiam Britanniæ*. *Angelicus Aprosius*, monachus Augustinianus, m. 1680. Inter ejus libros eminet *Bibliotheca Aprosiana*, quam nuper in Germania edidit, sed meliorem redactam in ordinem, iisque, quæ inutilia videbantur, recisis, Celeb. Hamburgensium Theologus, *Wolfius*. *Justus Lipsius*, m. 1606 d. 23 Martii. *Matthæus Polus*, editor *Synopseos Criticorum sacrorum*, m. 1679. *Thomas Muffetus*, Anglus Medicus, m. 1600. *Ægidius Corrozetus*, Parisiensis, m. 1568 d. 4 Julii. *Honoratus Racanus*, Poeta Gallus, m. 1670. *Petrus Patrixius*, Poeta, m. 1671 d. 6 Oct. *Joannes Nevizanus*, JCtus Taurinensis, m. 1540. *Nicolaus Boilæus*, Satyricus clarissimi nominis, m. 1711 d. 13 Martii: de cujus vita & scriptis percopiose hic loci agitur. *Ægidius Boilæus*, prioris frater, item Poeta, sed longe minor, m. 1669. *Jo. Baptista Valincurtius*, m. 1730 d. 4 Jan. Inter ejus scripta excellit *Vita Francisci, Ducis Guisii*. *Casp. Waserus*, Theologus Tigurinus, m. 1625 d. 9 Nov. *Hieronymus Aleander*, Nuntius Papæ in Comitiis Wormatiensibus anni

1521,

1521, & magnus hostis *Lutheri*, tandem Cardinalis factus, m. 1542 d. 1 Febr. *Hieron. Aleander*, junior, m. 1631; *Antonius Verderius*, m. 1600 d. 25 Sept. *Claudius Verderius*, ejus filius, m. 1649. Ejus *Censio in Autores pæne omnes* a Nostro habetur pro declamatione superbi juvenis, nonnihil eruditionis, perparum judicii, habenti. *Franciscus Crucimanius*, quem *Bibliotheca Gallica* nobilitavit, m. 1586, mense Novembri. *Carolus Datus*, Florentinus, m. 1675. *Joannes Boterus*, Secretarius S. *Caroli Borromæi*, cujus notæ sunt *Relationes de præcipuis Rebuspublicis*, m. 1608. *Joannes Ruxelius*, Poeta & JCtus Cadomensis, m. 1586 d. 5 Sept. *Claudius Seyssselius*, Episcopus Massiliensis, deinde Archiepiscopus Taurinensis, m. 1520 d. 31 Maji. *Jacobus Cavicæus*, m. 1511 d. 3 Junii. *Fulvius Ursinus*, m. 1600 d. 18 Maji. *Jacobus Quetifius*, qui Scriptores ordinis Dominicani recensuit singulari libro, quem A. 1721 *Jacobus Echardus* una cum accessionibus edidit suis, m. 1698 d. 2 Martii. *Amabilis Burzæus*, insignis Theologus polemicus, m. 1672 d. 2 Augusti. *Marcus Velserus*, m. 1614 d. 13 Junii. *Ludovicus Doni D'Attichi*, Episcopus Gallus, m. 1664 d. 2 Julii. *Vincentius Viviani*, m. 1703 d. 22 Sept. Observamus tamen, nullam hic fieri mentionem *Vitæ Galilæi*, a *Viviano* illo copiose & peraccurate descriptæ, quam A. 1717 in *Fastis consularibus Academiæ Florentinæ* edidit *Salvinius*, quamque Germanicum in sermonem conversam legimus in *Actis Philosophorum Heumannianis*, & quidem in tertio eorum *Tomo p. 261 seq.* Ultimum hic locum occupat *Michael Menotus*, celebris concionator Gallus, m. 1518. Extant ejus Conciones, e quibus fragmenta complura hic exhibentur, non pietatis igniculos excitatura, sed risum contemtumque.

Subsequenti *Tomo*, qui *vigesimus quintus* est, primo laudatur *Guilielmus de Catel*, *Historiæ Comitum Tolosanorum* conditor, m. 1626 d. 5 Oct. vel eo nomine singulari memoria dignus, quod primus historiam confirmavit diplomatibus. *Andreas Rossottus*, monachus Romanus, m. 1667, *de Scriptoribus Pedemontanis*, inter quos ipse est, librum edidit. *Petrus Morinus*, Professor Academiæ Vaticanæ, m. 1608, cujus Opera demum A.

1675 ſunt edita. Edidit ipſe Romæ A. 1587 *Vetus Teſtamentum juxta Septuaginta, cum variis lectionibus*, & A. 1588 hujus Græcæ verſionis verſionem Latinam, & A. 1590 *Biblia vulgatæ editionis, a Sixto V recognita & approbata.* Poſtremum opus cum propter ſphalmata typographica ſuppreſſum fuerit, nata hinc ejus raritas effecit, ut aliquando venderetur quadringentis & ſeptendecim numis Imperialibus. *Philippus Labbeus*, Jeſuita, m. 1667, d. 25 Martii. *Torquati Taſſi*, Poetæ illuſtriſſimi, vita multis hic deſcribitur *p. 43-69*, & hinc de ſcriptis ejus diſſeritur usque ad *p. 92*. Mortuus is eſt A. 1595 d. 25 Aprilis, maximos nactus Mæcenates, ſed ob ſummam melancholiam admodum infelix. Ejus *Amyntæ*, quæ Comœdia paſtoralis eſt, exſtant verſiones Latina, Gallica, Anglica, Hiſpanica, Belgica: quod idem & aliis ejus poematibus accidit. *Hermannus Buſchius*, m. 1534. *Georgius Mackenzie*, Scotus, m. 1691 d. 8 Maji, diſcernendus ab illo *Georgio Mackenzie*, qui A. 1708 & 1711 duo Volumina edidit *de Vitis Scriptorum Scotiæ*. *Gabriel Madelenetus*, Poeta Latinus egregius, m. 1661 d. 20 Nov. *Joannes Reuchlinus*, m. 1522 d. 30 Junii. De *Vita Reuchlini*, a *Majo* ſcripta, Noſter judicat, Autorem hunc ſtudioſiſſime collegiſſe ea, quæ ad *Reuchlinum* pertinent, ſed neglexiſſe ordinem, prætereaque ſcatere digreſſionibus, denique non juſtam exhibuiſſe perfectamque notitiam editorum a *Reuchlino* librorum. *Jo. Albertus Campiſtronus*, Poeta Gallus, m. 1723 d. 11 Maji ex graviore ira, quæ ipſi apoplexiam attulit. *Baptiſta Guarinus*, Secretarius Status Ducis Ferrarienſis, m. 1612 menſe Octobri, ob comœdiam Italicam, quam *Il paſtor fido* inſcripſit, notiſſimus. *Jo. Antonius Viperanus*, Siculus, non, ut *Nic. Toppius* ſenſit, Neapolitanus, Epiſcopus Juvenacenſis in regno Neapolitano, m. 1610, menſe Martio. Ejus Opera tribus maximæ formæ Voluminibus edita ſunt Neapoli A. 1606. *Conſtantinus Cajetanus*, monachus Montis Caſſini, cuſtos bibliothecæ Vaticanæ, m. 1650 d. 17 Sept. *Thomas Rhoe*, Legatus Regis Angliæ *Jacobi I* ad Mogolem magnum, ad Imp. Turcicum, ad Imp. Romanum, ad Reges Poloniæ, Sueciæ,

Suecíæ, & Daniæ; m. 1644 d. 6 Nov. Edidit *Relationem de aulis Constantinopolitana & Mogolica. Thomas Morus*, m. 1535 d. 6 Julii. *Joannes Mairetus*, Poeta Gallus, m. 1660. *Jo. Mandevillius*, Anglus, magnus peregrinator Seculi XIV, mortuus Leodii A. 1372 d. 17 Nov. *Itinerarium* edidit, quod Autor noster ait perrarum esse nullo literati orbis incommodo, cum fabulis sit refertissimum. *Jo. Jac. Chifletius*, non solum Medicus, sed etiam magnus Antiquarius, m. 1660. Tres reliquit filios, *Julium*, *Joannem*, & *Henr. Thomam:* quorum & hic vitæ librique commemorantur. Etiam de *Claudii Chifletii*, m. 1580, scriptis hic fit mentio, itemque de *Philippo Chifletio, Jo. Jacobi* fratre, facto ad ultimum Archiepiscopo Vesontino; & de altero ejus fratre, *Petro Francisco*, Jesuita, m. 1682 d. 11 Maji, anno vitæ nonagesimo. *Leonardus Aretinus*, m. 1444. *Carolus Aretinus*, æque, ut prior, Secretarius Reipubl. Florentinæ, m. 1453. *Joannes Aretinus*, Secretarius *Nicolai* V, Papæ, m. 1466. *Jo. Herbinius*, m. 1676 d. 14 Febr. *Philippus Portæus*, m. 1606 d. 5 Oct. cujus elogium *Scævola Sammarthanus* non solum inter *Elogia Gallorum* exhibuit *Lib. V Cap. 8*, sed etiam in secundo *Lyricorum* suorum libro. *Zacharias Boverius*, monachus Capucinus, Genuæ m. 1638 d. 31 Martii. *Annales* ejus *Ordinis Minorum S. Francisci, qui Capuccini nuncupantur*, in linguam Gallicam, Italicam, & Hispanicam, traducti sunt, cum tamen fabulis scateant puerilibus. *Claudius Fauchetus*, cujus notæ inprimis sunt *Antiquitates Gallicæ & Francicæ*, m. 1601. *Petrus Pomponatius*, m. 1526 d. 1 Aprilis. *Guichardus Josephus Verney*, Medicus & Anatomicus præstans, m. 1730 d. 10 Sept. anno ætatis 82. *Paulus Jovius*, m. 1552 d. 11 Dec. *Philippus Beroaldus*, m. 1505 d. 17 Julii. *Philippus Beroaldus*, non filius, sed gentilis, prioris, m. 1518. *Nicolaus Rapinus*, m. 1609, mense Februario.

Libet ex hoc *Tomo* exhibere nostris Lectoribus vitam & historiam literariam famosi nominis, *Petri Pomponatii.* Natus is Mantuæ A. 1462 d. 16 Sept. patre cive gregario, statura erat adeo parva, ut vulgo vocaretur *il peretto.* Professor philosophiæ in Acade-

Academia Patavina multum sibi comparavit famæ & existimationis, conjecta in se publicis in disputationibus tela ab *Alex. Achillino* ingeniose & perfacete eludere solitus. Eidem *Achillino*, A. 1512 exstincto Bononiæ, (nam is illuc Patavio demigrarat,) in philosophica cathedra successit. Atque in hac urbe, quicquid edidit librorum, composuit *Pomponatius*. Ex tribus uxoribus non nisi unam suscepit filiam, cui dotem dedit duodecim ducatorum millia. Vita excessit anni 1526 mense Martio, ætatis anno sexagesimo quarto, & quidem, si *Paulo Jovio* credimus, ex morbo, quem strranguriam vel dysuriam vocant Medicorum filii. Cadaver ejus vectum fuit Bononia Mantuam, ibique patrio in solo humatum solenni ritu, idque auspiciis *Herculis Gonzagæ*, Cardinalis, qui fuerat ipsius discipulus. Dicamus nunc de libris ejus. A. 1514 *Tractatum* edidit, *in quo disputatur, penes quid intensio & remissio formarum attendantur, nec minus parvitas & magnitudo*: in quo sub examen vocat ejusdem argumenti librum, a *Richardo Suisseto* confectum. A. 1515 prodiit *Tractatus* ejus *de reactione*, cum appendice *de actione reali*. A. 1516 evulgavit *Tractatum* suum *de immortalitate animæ*. In hoc primo contendit, si ducem sequi libeat philosophiam, animam utique æque, ac corpus, mortalem esse, unaque cum corpore interire: certe incertissimum esse, utrum moriatur anima hominis, an sit corpori superstes. Confert igitur hanc disputationem cum quæstione de æternitate mundi, & utramque refert inter problemata, de quibus possit utramque in partem disputari probabiliter. Addit tamen, immortalitatem animæ statuendam esse ob testimonium Dei in N. T. exstans. Cum vero *Pomponatius* esset γνήσιος *Aristotelicus*, creditus est cum suo *Aristotele* negare animæ immortalitatem. Hinc statim Venetiis vendi vetitus est hic liber, simulque carnificis manu combustus, & concionatores sacri publice declamitarunt adversus eum. Alii vero defensionem susceperunt *Aristotelis*, negantes ac pernegantes, eum hac fuisse in sententia, ut crederet, animas interire una cum corporibus. Ideo *Pomponatius* A. 1517 tribus libris constantem

emisit

emisit *Apologiam*, in qua contendit rursus, *Aristotelem* non statuisse immortalitatem animæ, addens, se tamen tanquam Christianum persuasum habere contrarium. Refert *Pomponatius*, Inquisitores Venetos librum suum Romam misisse ad *Petrum Bembum*, eumque rogasse, ut eum una cum Autore suo curaret anathemate notandum a Pontifice maximo; sed *Bembum* una cum Magistro Palatii judicasse, librum hunc non posse merito condemnari. A. 1519 *Pomponatius* edidit *Defensorium, sive Responsiones ad ea, quæ Augustinus Niphus adversus ipsum scripsit de immortalitate animæ. Niphus* scilicet superiori anno docuerat singulari libro, *Aristotelem* statuisse immortalitatem animæ. Contrariam hic sententiam tuetur *Pomponatius*, & ita in exitu libri hujus scribit: *Si Christus resurrexit, nos resurgemus. Si nos resurgemus, anima est immortalis. At, Christum vere a mortuis surrexisse, scimus ex tot sanctissimorum virorum testimonio, ex Ecclesia militante. Ergo vere anima est immortalis. Si cui vero hæc ratio non satisfacit, & existimat, esse insufficientem, fidem vilificat, neque meretur appellari Christianus. Nulla enim est efficacior.* Paulo post rogatu *Pomponatii* Theologus quidam Bononiensis Academiæ, *Chrysostomus Casaliensis, Pomponatium* pro veri nominis Christiano habens, edidit *Solutiones rationum animi mortalitatem probantium, quæ in Defensorio Pomponatii contra Niphum formantur.* Quem librum cum suo muniisset suffragio & Vicarius generalis Episcopi Bononiensis & Vicarius Inquisitoris, ac uterque pronuntiasset, *Pomponatium, posthabitis omnium Philosophorum deceptionibus, unicam & inviolabilem fidem profiteri*, tempestas illa sedata est. A. 1520 *Pomponatius* scripsit librum, quem anno demum 1556 emisit *Guilielmus Gratarolus, de naturalium effectuum admirandorum causis, sive de incantationibus.* Hoc in libro manifestum facit, se in fabellarum loco ponere, quicquid narrari solet de magis & sagis. Præterea statuit ibi, præditos esse quosdam homines virtute naturali patrandi miracula, multumque efficaciæ thavmaturgicæ tribuit imaginationi humanæ. Idem *Gratarolus*, qui discipulus

fuerat *Pomponatii*, A. 1567 edidit eundem *de incantationibus* librum una cum quinque *Pomponatii* libris *de fato*, *libero arbitrio*, *prædestinatione*, *&* *providentia Dei*. Ac A. 1525 prodierunt Venetiis *Pomponatii Tractatus mere Peripatetici de intensione & remissione formarum, ac de parvitate ac magnitudine; de reactione; de modo agendi primarum qualitatum; de immortalitate animæ; Apologiæ libri tres; Contradictoris Tractatus; Defensorium Autoris; Approbationes rationum Defensorii per Fratrem Chrysostomum; de nutritione & augmentatione.* Denique A. 1563 editæ sunt Venetiis *Pomponatii Dubitationes in quartum Meteorologicorum Aristotelis librum.* Ceterum, cum Noster *pag. 332* judicet, *Pomponatium* injuria accusatum fuisse atheismi, ejusque in libris nihil inesse, quod hanc speciem præbeat, qua in re secutus esse videtur autoritatem *Bælii*, quem tamen ipse *p. 350* ait minus accurate commentatum esse de *Pomponatio*, observamus, contrariam sententiam constabilitam esse in Cl. *Heumanni* nostri *Actis Philosophorum*, & quidem *T. II p. 336-380.*

RAYMUNDI DUELLII, CAN. REG. SAND-Hippolytensis, ibique Bibliothecarii, de Variis, iisque potissimum selectis, ad elegantiores literas pertinentibus, rebus, Lucubratio Epistolaris.

Norimbergæ, apud Jo. Ad. Schmidium, 1733, 4.
Plag. 7.

Laudem meretur singularem Cl. *Duellius*, qui cimelia, quæ vel in itineribus suis comparavit, vel in Bibliotheca, cui præest, invenit, non sibi soli servat, aliisque nefarie invidet, sed ad communem studiosorum hominum utilitatem in lucem emittit publicam, atque sic mirifice profert literariæ civitatis terminos. Comparent in hac Epistola I Monumenta antiqua Celejensia viginti novem, & triginta tres Inscri-
Pag. 9. ptiones Romanæ, ex Ungaria Viennam translatæ. Ex Inscriptione decima discimus, in marmoribus scribi plerumque *filie*,

non

non *filiæ*. Lapis ſextus, in Ungaria inventus, veram multorum opinionem, *Antonini Pii* Auguſti temporibus morem Auguſtos *Sanctiſſimos* ſalutandi introductum fuiſſe, confirmat. Cauſarum patronus, qui innocenter vivit, res fidei ſuæ commiſſas celeriter expediteque conficit, & manum mentemque a clientum opibus puram caſtamque ſervat, Pag. 16.

rara avis, nigroque ſimillima cygno,

eſt, & in tanto improbiſſimorum rabularum numero inter miracula, quæ intra unius ſeculi ſpatium redire ſolent, collocandus videtur. Singularem itaque attentionem meretur Inſcriptio, quæ Angleriæ in horto Comitum *Borromæorum* conſpicitur, quam integram huc transſcribere operæ pretium judicamus: 29.

C. METELLIO C. FIL. POMP. MARCELLINO EQ. R. EQ. P.
IVDICI EXVDEC. INTER SELECTOS II VIR
Q. FLAM. DIVI TRAIANI PATRONO COLLEGIORVM
OMNIVM PATRONO COLONIAE FORO IVLII RIENSI
VM PATRONO CAVSSARVM FIDELISSIMO OB INSIGNEM
CIRCA SINGVLOS VNIVERSOSQVE CIVES INNO
CENTIAM AC FIDEM HOMINI OPTIMO CIVI ABSTI
NENTISSIMO COLL. FABR. DERT. PATRONO OB MERITA
D. D. D.

II occurrunt Lapides quinque Milliares, in eodem Cellejano diſtrictu reperti, tres Inſcriptiones Romanæ votivæ Italicæ, Ara votiva, in Italia conſpicienda, cum tribus aliis Inſcriptionibus Romanis. Succedit III Archivum Monaſterii S. *Ambroſii*, Mediolanenſis, & varia ad rem Diplomaticam illuſtrandam facientia. In monaſterio Sanctimonialium D. *Benedicti* ad S. 32. *Antonini Variſii* membrana A. 1282 exarata cuſtoditur, in qua hæc verba leguntur: *Domina Abbatiſſa de conſenſu & affirmatione prædictarum Monialium & Converſorum.* Ex quibus conſequitur, Converſos non ſolum in eodem monaſterio vixiſſe cum Monialibus, per clauſuram tamen ſeparatis, verum etiam æque atque Moniales ipſas in faciendis ſtipulationibus concurriſſe. In charta A. 1252 data reperitur formula: *renuntiando omni exceptioni non numeratæ pecuniæ,*

quæ raro & insolenter illa tempestate in membranis occurrit.
IV de Humiliatorum ordine exstincto, & de numis quibusdam, differit. Numum, qui in Bibliotheca Bredensi asser-
Pag. 34. vatur, & adversa facie effigiem *Anniæ Faustinæ*, in aversa
Imperatorem Conjugi manum porrigentem, cum hac epigraphe: *Concordia Augustorum*, in medio Astrum *Elagabali* repræsentat, spuriis accenset, & magis fusum, quam cusum, cre-
36. dit. De numis *Vetranii*, Imperatoris, æreis observat, raros
esse, illos vero ex auro & argento rarissimis ubicunque terrarum annumerari. Affert postea Cl. Autor alium numum, rarum, &, quoad ipse scit, unicum, cujus adversa pars caput *Augusti* nudum, addito verbo: *Cæsar*, aversa vero Navim cum Victoriola & Epigraphe: *Marcus Agrippa Consul*, exhibet. Cusus hic numus fuit in memoriam victoriæ, confecto bello Siculo, opera *Agrippæ* A. U. C. 717 a *Sexto Pompejo* reportatæ, ob quam corona navali donatus fuit *Agrippa*. Illos itaque suaviter errare docet, qui, *Agrippam* ob pugnam Actiacam coronam navalem ab *Augusto* retulisse, sibi persuadent. V Idolum Ægyptiacum explicat. VI Catalogum Episcoporum Augustanorum ex MSto antiquo recitat, ritus Ambrosianos, Mediolani observatos, narrat, de prima Moralium S. *Gregorii* editione, quæ A. 1471 Noribergæ typis exscripta fuit, & aliis quibusdam Bibliorum & Patrum editionibus, Sec. XV impressis, & in Bibliotheca San-Mauriana exstantibus, agit, ac denique calicem, ex quo tempore S. *Ruperti*, Salisburgensis Episcopi, sanguinem Domini laici biberunt, describit.

ELOGIUM JO. SALOMONIS BRUNQUELLI, JCti Gottingensis.

Evolavit ad Superos, & terrenam caducamque vitam cum sempiterna incomparabilique felicitate commutavit, *Jo. Salomo Brunquellus*, JCtus pius, doctus, & insignis integritatis laude clarus, atque universæ civitati literariæ tristem nominis sui memoriam reliquit. Primum spiritum excepit Quedlinburgi die

die 22 Maji anni ſuperioris Seculi ſupra nonageſimum tertii, patre *Jo. Henrico*, ſcholæ illius doctore publico, matre *Barbara Dorothea*, nobili *Michaeliorum* in ea urbe gente oriunda. Puerum & optimus parens, & *Tobias Eckardus*, ludo illi præfectus, & perplurimis ſelectioris doctrinæ monumentis editis percelebris, liberalibus & ingenuis artibus ſumma cum cura imbuerunt. Eo quidem felicis induſtriæ ſucceſſu, ut anno hujus Seculi duodecimo eum & literis ornatum, & probatum obſequio, Jenam ad majorem ingenii cultum capeſſendum commigrantem, læti laudanteſque dimitterent. Vix cultiſſimam illam literarum ſedem ſalutaverat, cum moribus ſuis venuſtiſſimis & ad omnem ſuavitatem compoſitis amicitiam ſibi conciliaret Virorum præſtabili doctrina & fide ſingulari conſpicuorum, *Jo. Jac. Syrbii*, *Ephraimi Gerhardi, Burch. Gotthelff Struvii, Barthol. Richardi, Martini Schmeizelii*, &, quem primo loco nominare fas erat, *Gottlieb Stollii*, Viri, quod unum elogium omnes laudes ſuperat, vere ſapientis, a quorum latere nunquam niſi melior, niſi doctior, receſſit. Sed, cum Themidos ſacris ſeſe totum conſecraſſet, adiit ſanctiſſimos præſtantiſſimoſque divinæ Themidos myſtas, *Ephraimum Gerhardum, Jo. Phil. Slevogtium, Chriſtianum Wildvogelium*, *Jo. Bernhardum Friſium*, *Jo. Chriſtianum Schrœterum*, jam omnes ad meliorem vitam evocatos, &, qui unus ex iis ſupereſt, *Guil. Hieronymum Brucknerum*, Virum JCtis noſtris in exemplum proponendum, &, illorum inſtitutione adjutus, præclaras in Jurisprudentia progreſſiones fecit. Triennium exegerat Jenæ *Brunquellus*, cum, Athenarum noſtrarum fama allectus, ſe huc conferret, & ſe in diſciplinam peritiſſimorum probatiſſimorumque doctorum, *Lüderi Menckenii*, *Frid. Philippi*, & *Caroli Ottonis Rechenbergii*, Viri omni elogio digni, ſed omni majoris, traderet, & inſignem inde perciperet utilitatem. Jam in patriam revertebatur *Brunquellus*, virium facturus periculum, & per aliquod temporis ſpatium, quæ res in tanta ætatis noſtræ infelicitate rara & portento ſimilis videtur, cunctas boni, honeſti, & religioſi, cauſarum oratoris partes ſedulo atque ſtudioſe implebat. Neque tamen aureæ, uti plerisque noſtris hominibus

 vide-

videtur, praxi ſeſe adeo mancipaverat, ut honeſtam illam, quæ ex elegantioribus literis percipitur, voluptatem abjiciendam eſſe ſtatueret. Quapropter Seculi hujus anno decimo ſeptimo cum *Henrico Caſpare ab Uslar*, cujus moribus regendis præfectus erat, ad veteres ſuas delicias Jenam rediit, ſtudia ſua, quæ nunquam intermiſerat, recolenda ſumſit, & anno hujus Seculi vigeſimo pulcherrimum laborum ſuorum fructum ſupremos in Jure utroque honores retulit. A quo tempore aſſiduas recitationes in univerſam Jurisprudentiam inſtituit, & tum dicendi ſuavitate, tum quia literarum lumine prælectiones ſuas illuſtraret, veteremque Jurisprudentiam inſtauraret, magno nationum omnium concurſu, quod de *Franciſco Duareno* confirmat *Scævola Sammarthanus*, Jus profeſſus eſt. Neque defuerunt Viro bene merenti præmia. A. 1723 Curiæ Provincialis Saxonicæ Advocatis adſcriptus, & non ita multo poſt in numerum Profeſſorum, qui extra ordinem Jura docent, receptus fuit. Sequebatur munus ferendi in Scabinatu ſententias, ordinaria Juris Profeſſio, & Aſſeſſoris in Curia Provinciali honos, quibus ornamentis demum A. 1733 acceſſit Conſiliarii Saxonici dignitas. Non poterat latere ampliſſima Viri eximii virtus, ſed fama ejus ad ipſas Auguſtiſſimi Magnæ Britanniæ Regis aures penetrabat, qui inter primos novæ Academiæ Gottingenſis Profeſſores *Brunquellum* ſeligebat, Conſiliarii Regi Aulici dignitate condecorabat, Juris Canonici Profeſſorem, & JCtorum ordinis Primicerium, eſſe jubebat. Paruit divino nutui, & Regis ſapientiſſimi voluntati, *Brunquellus*, non eapropter, quæ malevolorum inſignis calumnia eſt, quaſi præreptam ſibi altioris dignitatis acceſſionem doleret, ſed ut corpus nimiis laboribus fractum reficeret, vitam minus laborioſam ingrederetur, & ſcribendo prodeſſet politiorum JCtorum cohorti. Venit itaque Gottingam ipſis Calendis Martii ſuperioris anni, frequenti & inuſitato Gottingenſium procerum & literatorum juvenum comitatu ſtipatus, & nono Aprilis die novæ Academiæ gubernacula regenda ſuſcepit. Sed o lubricæ ſpes! o vanæ hominum cogitationes! Vix admotus erat ſplendidiſſimo huic muneri, cum omnes quaſi morborum catervæ in eum furere inciperent, corpus annuis & continuis morbis fractum peni-

penitus enervarent, & Virum longiſſima vita digniſſimum uno ante completum annum ſecundum atque quadrageſimum die, h. e. die 21 Maji ſuperioris anni, mortalitati eriperent. In matrimonium A 1720 duxit *Sibyllam Catharinam, Guil. Hier. Bruckneri*, cujus ſupra mentionem fecimus, filiam, quod & prole fœcundum, & indivulſo animorum conſortio fortunatum atque ex omni parte beatum, fuit. Vir fuit ſanctiſſimis moribus, ſupra modum diligens, in dicendo jure caſtus atque integer, & veriſſimus viduarum, liberorum parentibus orborum, & cunctorum oppreſſorum, parens. Eo vehementius dolemus immaturum incomparabilis JCti obitum, quo inſigniorem cladem & bonæ literæ & univerſa Reſpublica literaria ex eodem ſentiunt. Sed ſolabimur mœſtitiam noſtram, & luctui noſtro in vivis ſpirantibusque ingenii *Brunquelliani* monumentis allevamentum quæremus. Scripſit nimirum incredibilis Vir induſtriæ Diſſertationes *de criminum abolitione, de Codice Theodoſiano, ejusque in Codice Juſtinianeo uſu*, quarum unam Præſide *Ephraimo Gerhardo*, alteram conflictus moderatore *Guil. Hier. Brucknero*, defendit, *de Conditione, ſi non nupſerit, ultimis voluntatibus adjecta, de Proceſſu Arreſti ad effectum ſiſtendi, de Proceſſu inhibitivo in foro Saxonico, de acquiſitione dominii ex lege, quæ fit ipſo jure, de diverſo Patroni eccleſiaſtici & laici jure, de variis juris Patronatus acquirendi modis, de ratione dicti teſtium, de uſufructu mariti in rebus uxoris, moto ſuper illius bonis concurſu creditorum ceſſante, de jure Patronorum bonorifico primario, nimirum jure repræſentandi, de pictura famoſa, & de ſpecie juris Germanici, pacto nimirum, quo majores noſtri ſub pictura famoſa ſeſe obligarunt, de Feudo Keminatæ, de utilibus Patronorum juribus ex corrupto eccleſiæ ſignificatu natis, parum vel plane non utilibus.* Inter *Programmata* eminent *Proluſio von dem allgemeinen Staats-Rechte, und deſſen höchſtnützlichen excolirung, de diligenti comparatione omnium ejusdem inſcriptionis in Digeſtis Capitum capienda, deque hujus artificii inventoribus & promotoribus, de Sectis & controverſiis Juris Juſtinianei interpretum, quos Gloſſatores appellamus, de retractationibus veterum JCtorum,* quo-

quorum fragmenta in Digeſtis ſuperſunt, de JCtis Erciſcundis ſive Miſcellionibus, quorum fragmenta in Digeſtis ſuperſunt, de præcipuis ſolidioris Jurisprudentiæ impedimentis, de variis veterum legibus ſuis ſanctitatem autoritatemque conciliandi modis, de ſolennibus in executione ſententiarum capitalium a Romanis adhibitis, de pictura honeſta & utili, de privilegio Saxonico de non appellando etiam querelam nullitatis, ſupplicationem, ſimiliaque remedia ad ſumma tribunalia excludente, de uſu linguæ Germanicæ veteris in ſtudio Juris Feudalis Langobardici, de juribus Patronorum utilibus ſpuriis, de Digeſtis ſecundum Indicem legum Jacobi Labitti aliorumque κατὰ πλάτος, & verbotenus excudendis, & *Proluſio, qua in pugna Juris Germanici & Romani illud huic, inprimis in cauſarum illuſtrium deciſionibus, præferendum eſſe, niſi hujus receptio probetur, oſtenditur.* In quibus omnibus luculenta variæ multiplicisque doctrinæ ſpecimina deprehenduntur. Erat enim eo animo *Brunquellus*, ut non aliorum commenta & portenta unice referret, ſed ut plura ex ingenio ſuo ſcriberet, & ad communem transferret uſum. Quapropter potius paucis plagulis, ſed quæ oleum & lucernam redolent, quam magnis & horrendis voluminibus, in quibus ipſe bonus Homerus dormitare ſolet, conſulere voluit Reipublicæ literariæ uſibus. Nihilo minus expreſſam doctrinæ ejus imaginem veneramur in elegantiſſimo libro, cui titulum fecit: *Hiſtoria Juris Romano-Germanici, a primis Reipublicæ Romanæ atque Germanicæ initiis ad noſtra usque tempora ex ſuis fontibus deducta*, quæ A. 1727 Jenæ primum prodiit, & A. 1730 Amſtelodami, novis, neque vulgaribus, adaucta acceſſionibus, iterum excuſa fuit. Præterea *Iſagogen in univerſam Jurisprudentiam* typis mandare cœpit. Denique *Innocentii Cironii Obſervationes Juris Canonici* A. 1726 prelo ſubjecit, & elaboratiſſima Diſſertatione, *de utilitate ex Hiſtoria atque Antiquitatibus in Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ ſtudio capienda*, mirifice exornavit.

Exterorum cauſa iterum ſignificamus, jam ante aliquod tempus *Indicem generalem Decennii Actorum* noſtrorum *quinti* prodiiſſe.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXXVI.

DESCRIPTION GEOGRAPHIQUE, HISTOrique, &c. de l'Empire de la Chine, &c.

h. e.

DESCRIPTIO GEOGRAPHICA, HISTOrica, Chronologica, Politica, & Physica, Imperii & Tartariæ Chinensis, Mappis Geographicis generalibus specialibusque harum terrarum, nec non Thibethi, ac Coreæ, illustrata, multisque Figuris æri incisis exornata, ab Autore JO. BAPT. DU-HALDE, S. J.

Tomi IV.

Parisiis, apud P. G. le Mercier, 1735, fol. maj. Tom. I Alph. 5 plag. 22, cum Mappis 17 & Tabb. æn. 7, Tom. II Alph. 7 plag. 20, cum Tabb. æn. 8, Tom. III Alph. 6 plag. 4, cum Tabb. æn. 5, Tom. IV Alph. 5 plag. 15, cum Mappis 25.

Ita vero in lucem nunc exiit Opus insigne splendidumque, a plurimis rerum in remotissimis orbis terrarum partibus gestarum curiosis diu multumque desideratum, eruditissimique Autoris cura incomparabili atque industria ita elaboratum, ut spem de se conceptam multis omnino modis superet. Sive enim Mapparum, molestissimis eam in rem per vastum Imperium susceptis itineribus, incredibili confectarum solertia,

ac, *d'Anvillio*, Geographo Gallico, dirigente, æri nitidiſſime inciſarum, elegantiam; ſive gentis Chinenſium, artium literarumque amantiſſimæ, ingenii præterea, ſapientiæ, virtutumque laude inprimis celebratæ, accuratam deſcriptionem, ſpectes, nihil erit, quod Operi tanto, numeriſque ſuis, quoad humana patitur imbecillitas, abſoluto, adjici poſſit. Ac, quod ad Mappas quidem attinet, Imperator *Cang hi* Miſſionariis hoc negotii dedit, ut, quicquid terrarum ditioni ſuæ ſubjectum eſſet, accuratiſſime dimetirentur, poſtquam Mappam, confinia urbis Peking ſiſtentem, ab iisque ſtudio ſummo elaboratam, non ſine voluptate eximia viderat. Hinc A. 1708 *Bouvetus*, *Regis*, & *Jartoux*, ſitum muri magni, Chinam a Tartaria ſeparantis, una cum caſtellis portisque omnibus, in Mappa 15 pedum longitudinem ſuperante delineabant. Hi, ab Imperatore vehementer probati, anno ſequente cum *Fridellio*, in locum *Bouveti*, morbo conflictantis, ſuffecto, ultra murum progrediebantur, ac orientalem Tartariam, fines Coreæ ſeptentrionem verſus, adeoque terras Tartarorum *Mantcheoux*, & *Yu pi ta ſe* dictas, dimetiebantur. Vix reduces, provinciam *Pe tche li*, permagnam, multisque urbibus ſuperbientem, A. 1710 autem terras maximam partem deſertas, verſus *Saghalien oula* fluvium, peragrabant, ac geographice delineabant. A. 1711, operis diviſis, *Regis* ac *Cardoſo* provinciam *Chan tong*, *Jartoux* autem, *Fridelli*, & *Bonjour*, provinciam *Hami*, ultra murum ſitam, terrasque Tartarorum *Kalka ta ſe*; poſtea A. 1712 *Cardoſo* cum *le Tartre* provincias *Chan ſi*, *Chen ſi*, *Kiang ſi*, *Quang tong*, & *Quang ſi*; *Mailla*, & *Henderer*, cum P. *Regis*, *Ho nan*, *Kiang nan*, *Tche kiang*, & *Fo kien*; denique *Fridelli* & *Bonjour Se tchuen*, & *Yun nan*, emenſi ſunt. Mortuo P. *Bonjour* A. 1715 *Regis* ac *Fridelli*, *Koei tcheou* & *Hou quang* provincias reſiduas, dimetiendo abſolvebant, ac A. 1718 Mappas omnes in unam collatas, Imperatori, de fauſtis hiſce ſucceſſibus lætiſſimo, offerebant. Dici vix poteſt, quanta cura, in re tam difficili, in qua facillimi ſunt lapſus, verſati fuerint optimi homines, adeo, ut, repetitis ſemel iterumque obſervationibus, quarum modum fuſius deſcripſit P. *Regis*, rationibusque

caute

caute ſubductis, ſi quid forte erratum erat, emendaverint. Ceterum Mappæ, *Tomum I* ornantes, numero ſunt XVII, quarum una Chinam, Tartariam, & terram Thibetanam, conjunctim, altera Chinam ſeparatim, reliquæ XV provincias Chinenſes exhibent, quibus delineationes ichnographicæ urbium primariarum adjunctæ ſunt Tabulis VII. In Hiſtoria ipſa condenda uſus eſt Autor ſtupendo apparatu MStorum Chinenſium, ex quibus, quanquam ceteroqui multa continebant ad inſtitutum parum aut nihil prorſus facientia, hoc ſaltem profecit, ut de veritate earum rerum, in quibus deſcribendis exactiſſime inter illorum Autores conveniebat, certior redderetur. Præterea autem cum Miſſionariis, in Europam reverſis, ſententias diligenter contulit, dubias cauſas, quamplurimas perquiſivit, commerciumque literarum cum Miſſionariis, per Chinam omnem divagantibus, viginti quatuor annos & amplius continuavit; denique, toto jam opere perfecto, cum P. *Contancino*, 32 annos in China commorato, ac commodum Pariſios reduce, quicquid in literas retulerat, communicavit, ejusque monitis ſuam in rem egregie uſus eſt. Tali modo mediam ingreſſus viam, nec omnia, nullo habito diſcrimine, probavit, quæ a Chinenſibus, rerum ſuarum magnopere prædicandarum ſtudioſis, conſignata erant, neque uni tantum cauſæ, relictis aliis omnibus, intentus, plura memoratu haud indigna præteriit. Quo autem & iis ſuus conſtet honor, qui in momentis permultis ab oblivione hominum vindicandis deſudarunt, age, nomina Miſſionariorum apponamus, quorum ſcriptis, ſive manu exaratis, ſive typis expreſſis, uſus eſt Autor. Sunt igitur hi fere: *Mart. Martini*, *Ferdin. Verbieſt*, *Phil. Couplet*, *Gabr. Magalhans*, *Jo. de Fontaney*, *Joach. Bouvet*, *Jo. Franc. Gerbillon*, *Franc. Noel*, *Lud. le Comte*, *Claud. Visdelou*, nunc Epiſcopus Claudiopolitanus, *Jo. Bapt. Regis*, *Joſeph. Henr. de Premare*, *Franc. Xaver. d'Entrecolles*, *Jul. Placid. Hervieu*, *Cyr. Contancinus*, *Petr. de Goville*, *Jo. Arm. Nyel*, *Dominic. Parrenin*, *Petr. Jartoux*, *Vincent. de Tartre*, *Joſ. Anna Maria de Mailla*, *Jo. Alex. Gollet*, *Claud. Jacquemin*, *Lud. Porquet*, *Emeric. de Chavagnac*, *Ant. Gaubil*, *Jo. Bapt. Jacques*,

ques. Sed, ne in limine diutius moremur Lectores, summa libri elegantissimi capita indicemus. In tanta enim rerum memorabilium copia versamur, ut, eas singulatim persequi, instituti nostri ratio haud patiatur. Primo igitur loco Chinense, qua patet, imperium generatim describit Autor, nihilque omittit, quod eo valet, ut naturæ divitias, larga manu dispersas, contueamur propius, ac pro eo, ac par est, admiremur. Sequitur descriptio ampla magni muri, Tartariam a China sejungentis, dehinc populorum *Si fan*, aut *Tou fan*, suis olim legibus utentium, at intestinis bellis adeo debilitatorum, ut tandem a Chinensibus subjugati fuerint. Tartarorum *Coconor*, nationumque *Lo los* & *Miao sse* res fuse accurateque ob oculos ponit. Tum itinera *Bouveti*, *Fontanei*, *le Comte*, & *Visdelou*, separatis temporibus per provincias complures instituta, adeo jucunde eleganterque enarrantur, ut non legere, sed ipse comes itineris esse, atque tuis cuncta oculis usurpare, videaris. Porro quindecim provincias, una cum primariis, quas continent, urbibus, depictas magis, penicilloque adumbratas, quam descriptas, videre potes. Postremum occupant locum Annales Chinenses, Imperatorumque in XXII dynastiis vitiis virtutibusque conspicuorum, res prave laudabiliterque gestæ. Convenit in eo inter optimos Chinensium Historicos, prima Monarchiæ fundamenta jacta esse ab *Fo hi* Imperatore, atque ab eo usque ad *Yao* sex Imperatores summæ rerum præfuisse. At, quo tempore *Fo hi* vixerit, quotve anni ad *Yao* usque elapsi sint, hoc illud vero perquam incertum esse, ipsi non diffitentur. Etenim *Yao* primus est, a quo Imperatorum ordo, tempus imperii, rerumque gestarum historia, serie haud interrupta computari cœpit. Hunc anno ante C. N. 2357 vixisse, constat inter eos, adeo, ut ludibrium deberet, sibique periculum haud leve conciliaturus esset, qui originem imperii propiorem facere auderet. Neque vero hæc computandi ratio male subducta est. Sibi enim constat, nihil fabulosi habet, præterea multis eclipsibus innititur, quæ cum iis apprime coincidunt, quas nostri posteris temporibus Astronomi scienter explicarunt. Nec parum ad fidem facit, Imperatorum historias ab homi-

hominibus æqualibus consignatas esse; *Confucium* Chronologiam hanc nunquam revocasse in dubium, *Menciumque*, magnæ autoritatis Philosophum, ac 400 fere annos ante C. N. viventem, affirmare, a *Chun*, socio imperii *Yao* usque ad *Ven vang* plus quam 1000 annos elapsos esse; a *Ven vang* autem usque ad N. C. 1100 amplius annos effluxisse, quo ipso numerus antea fixus, parum abest, quin conficiatur. Quanquam autem hæc chronologia cum *Vulgata versione* difficulter conciliari potest, cum ea tamen, quam LXX interpretes sunt secuti, belle conspirat. Nam secundum hos a diluvio usque ad Christum sunt anni 3258. *Yao*, a quo chronologia, uti diximus, non interrupta incipit, regnabat anno ante C. N. 2357. A diluvio itaque ad *Yao* usque plus quam 900 annorum intervallum esse, apparet. Quodsi igitur *Noæ* posteri vel 300 annis post diluvium Chinam intraverint, satis tamen annorum est, quos imperio *Fohi*, ac sex ejus successorum usque ad *Yao*, assignare possis. Unicum restat dubium, quid nempe sit, cum eclipses aliæ, tum ea inprimis, quæ sub Imp. *Tchong kang* observata est, nostro cum calculo tam pulchre conveniant, quod ante Principis hujus regnum nullius mentio facta sit. Bene respondent Chinensium eruditi, moris tum fuisse, progressiones tantum artium, legum rogationes, regnorumque vicissitudines, regulas regnandi, aliaque momenta moralia atque politica, memoriæ prodere. Denique & hoc notandum est, annum, quo mortuus est Imperator, annis imperii ejus accenseri, ac, novo quamvis regnante, mandata nomine defuncti promulgari. Autor noster cyclum sexagenarium a *Yao* inchoat, quanquam a multis *Choang ti* ejus inventor perhibeatur. Primi itaque Imperatores fuere *Fo hi*, *Chin nong*, *Hoang ti*, *Chao hao*, *Tchuen hio*, *Ti co*, *Tchi*, *Yao*, & *Chun*. Post hunc ordo dynastiarum sive familiarum XXII continuatus est.

Tomo II exponit Autor de antiquitate ac magnitudine imperii Chinensis, de potentia autoritateque Imperatoris, de sigillis Imperii, atque solennibus in eorum traditione observatis, de reditibus ac expensis, de ejus palatio, apparatuque, cum ex palatio in publicum prodit. Tum de forma regiminis, de tribu-

nalibus, Mandarinis, eorum officio, poteſtate, ac honore, quo eos Chinenſes proſequuntur; de ſtatu bellico, exercitu, armis, caſtellis, munimentis, varioque majorum tormentorum genere; de ordine in urbibus, viisque publicis, obſervato, de vectigalibus, curſoribusque publicis, de nobilium ordine, educatione, vitæ genere; de terræ fertilitate, agricultura, ac amore, quo complectuntur eos, qui eidem operam dant; de artificum induſtria, nec non plebis; de genio ac indole, phyſiognomia, geſtibus, domibus Chinenſium, ornatuque earum; de ſplendore, cujus in itineribus, pontibus, arcubus triumphalibus, portis, turribus, murisque conſtruendis, ac feſtis celebrandis peramantes ſunt; de cerimoniis, quando inter ſe inviſunt, vel munera dant, in literis exarandis, feſtis, nuptiis, funebri denique pompa, conſuetis; de carceribus, ſeveraque in homines nequam animadverſione; de lacubus, canalibus, & fluminibus, navigiisque majoribus ac minoribus; de monetæ multiplici genere, de commerciis, de modo, pigmentum, *vernis* dictum, porcellanæ vaſa, ſericumque, conficiendi, cui epitome antiqui libri Chinenſis adjuncta eſt, quo docetur, quemadmodum vermes educandi nutriendique ſint, ſi ſerico abundare velis. His abſolutis, de lingua Chinenſi agit, nihilque intactum dimittit, quod ad pronuntiationem, orthographiam, noſtris nempe literis, rem grammaticam, papyrum, atramentum, penicillum, artem typis exprimendi, religandique libros, pertinet. Sequitur enarratio ampla, quo modo literis imbuantur juvenes; quot gradibus, explorationibusque factis, ad munus Doctoris eniti debeant; porro epitome libri: de felicitate ex ſcholis publicis in populum redundante; item alius ejusdem argumenti, Autore *Tchu hi*, celeberrimo doctore, ſub dynaſtia XIX *Song* dicta, florente; ſpecimen diſcurſus, in *Hio*, ſive loco conventuum a literatis celebratorum, habiti; translatio ſcripti, quo exponitur, quo modo ſocietas literatorum hominum conſtituenda ſit. Res literaria Chinenſis magnam hujus *Tomi* partem ſibi vindicat. Enumerat igitur Autor libros canonicos *primi ordinis*, *King* dictos. Sunt hi numero quinque; 1) *Y king*, opus ſymbolicum,

cum, lineas a *Fohi* inventas, variaque ratione diffectas, fiftens. 2) *Chu king*, ex quo Dialogum, veterum Regum axiomata complectentem, Orationem *Tchong hoei* ad Imperatorem *Tching tang*, præcepta ab *Y yun*, data *Tai kia* juveni, hiftoriam Imp. *Cao tfong*, & ejus Miniftri *Fou yue*, excerpfit Autor. 3) *Chi king*, totus poeticus, odas, cantica, aliaque id genus poemata, continet. Quinque eorum funt claffes. Prima fiftit odas, vel elogia hominum virtutibus illuftrium, in publicis folennibus cantata. Secunda mores confuetos, fere ad modum fabularum Romanenfium, defcribit eleganter. Tertia Comparatio dicitur, qua, quicquid comprehendit, fimilibus, comparationibusque, traditur. Quarta exhibet fublimes audacioresve meditationes, quæ admirationem, immo ftuporem, excitant in legentibus. Quinta conftat poematis fufpectis, ac a *Confucio* inter Apocrypha relatis. Autor odas aliquot, a P. *Premare* bona fide translatas, nec plane inelegantes, fpeciminis loco addidit. 4) *Tchun tfiou*, tempore *Confucii* compilatus, adeoque reliquis antiquitate ac dignitate multo inferior, variis eruditorum præterea concertationibus depreffus. 5) *Li ki* leges inftitutaque vitæ civilis decem libris, a *Confucio* collectis, tradit, quorum Autor maximam partem habetur *Tcheou kong*, frater Imperatoris *Vou vang*. Libris Canonicis *fecundi ordinis*, *Ffee chu* dictis, quos *Confucio* maxime debemus, recenfendis, præmifit Autor vitam *Confucii*. Sequitur ejus 1) *Ta hio*, five fchola adultorum; 2) *Tchong Yong*, five medium immutabile; 3) *Lun yu*, five liber fententiarum; 4) *Meng tfeë*, five liber *Mencii*, celebris Philofophi, boni imperantis ideam fiftens; 5) *Hiao king*, five de pietate filiali; 6) *Sia hio*, fchola infantum, quem fere totum tranftulit. His libris præceptisque innititur imperium Chinenfe; quibus adjuncta eft Sylloge variorum Edictorum, orationumque de optima regiminis forma, ab Imperatore *Cang hi* collecta, multisque monitis manu fcriptis locupletata, & a P. *Hervieu* translata, Excerptum ex compilatione fub dynaftia *Ming* facta, denique liber *Li nin*, five de fœminis illuftribus, qui tamen multa complectitur hoc nomine indigna, quod, five negligentiæ Chinenfium in libris fuis infcribendis,

five

five faſtui, adſcribas, quo turgidi multa magnifica habent, nobis noſtrisque moribus levia ac vana, utrinque non erraveris.

Tomo III primo loco agit Autor de religione Chinenſium, adeoque primo de cultu antiquiſſimo apud eos recepto, ſectaque literatorum, doctrinam priſcis libris comprehenſam ſequente, ac *Confucium* doctorem venerante: ſecundo, de ſecta *Tao ſſee* ſive doctorum legis, cujus Autor Philoſophus *Lao kiun* erat. Doctrina eorum moralis ad Epicureorum placita propius accedit. Chymiæ ſtudio ſe totos dedebant, lapidi philoſophorum inveniendo intenti, neque ab horrendis magiæ artibus prorſus alieni. His immenſa multitudo ſpirituum debetur, in Chinam, vel potius in mentes hominum credulorum introducta, quos ut entia a ſupremo Numine non pendentia venerantur, abominandusque ſacrificiorum apparatus. Secta tertia *Fo*, ſive *Foe*, Imperatori *Ming ti* originem debet. Hic enim idolum *Fo*, ac cum eo omnes fabularum ſordes, quibus Indorum, unde arceſſebatur, libri inquinati ſunt, ſuperſtitiones, metempſychoſin, ipſum denique atheiſmum, aliaque mala, latius ab Autore expoſita, in Chinam inferebat. Quarta ſecta eſt literatorum hominum quorundam. Hi, majus interpretationibus gloſſisque librorum canonicorum, quam iis ipſis, pretium ſtatuentes, philoſophiam ſibi effinxerunt, qua omnia ex cauſis naturalibus explicare ſatagunt. Quid de origine & ſtatu mundi ſentiat *Tchin*, celebre in iis nomen, Dialogo quodam ſingulari expoſitum legere eſt. Eruditæ Autoris noſtri ad eum notæ inprimis attente legi merentur. Excipit hæc hiſtoria religionis Chriſtianæ in Chinam introductæ, ibidemque adhuc florentis. Controverſias, poſtremis fere temporibus inter ipſos Miſſionarios ortas, breviter attingit Autor, ne extra oleas vagari, pugnacisque doctoris perſonam ſibi ſumere velle videatur, ſedulo cavens. In Philoſophia morali, quicquid eſt officiorum, ad quinque referunt Chinenſes capita; ad officia nempe parentum & liberorum, Principis & ſubjectorum, mariti & uxoris, fratris natu majoris & minorum, denique amicorum inter ſe. Optima principia omni tempore ſervata fuiſſe, apparet ex ſcriptis inſer-

infertis, altero Philofophi novi, plurimi æftimato, atque a P. *Dentrecolles* translato, altero antiquiori, regulas & exempla, ad doctrinam morum facientia, exhibente, & a P. *Hervieux* converfo. Quodfi ingentem numerum Bibliothecarum, fplendidarum omnino, quibus fuperbiunt Chinenfes, confideres, exiftimare poffis, omnium, quas orbis terrarum continet, nationum hanc effe literatiffimam. At egregie falleris. Nullam enim fpeculativarum, quas dicimus, fcientiarum ab iis excultam novimus, quanquam de cetero ab ingenii quadam vi, judicandique folertia, non plane fint deftituti. Sed neque honefta æmulatione ad magna molienda incenduntur, nec, qui id tentarent, præmiis propofitis, alliciuntur ad audenda plura. Logica ac Rhetorica tantum utuntur naturali, Mufica minime culta, ac ea, quæ aures permulceat. Arithmeticæ magis funt fcientes, & inftrumento quodam, globulis chordisque inftructo, *Souan pan* dicto, tam dextre uti norunt, ut, quantumvis celeriter numeros pronuntiantem affequantur. Aftronomiæ, unicæ fere Mathefeos partis, quæ a prifcis temporibus apud eos floruit, non funt ignari, at inftrumentis utuntur, partim incommodis, partim adeo imperfectis, ut noftra longe poft fe relinquant. Pluribus ea defcripfit Autor nofter, eruditisque obfervationibus rem Aftronomicam omnem illuftravit, ipfum denique obfervatorium Pekingenfe æri incidi curavit. Verfus qui componunt, tum eandem vocum ultimarum terminationem, tum earum fignificationem, refpiciunt, quæ vario pronuntiandi modo innititur; fæpe tamen oppofitis fententiis antithefibusque gaudent. Poetæ ab enthufiafmo non funt relicti, figurisque, quibus decus ac robur quafi accedit verfibus, commode uti norunt. Hiftoriæ Chinenfes funt ftudiofiffimi, adeo, ut folertia, quicquid memoratu dignum accidit, memoriæ prodendi, reliquas gentes omnes fuperent. Hiftoriolas etiam, narratiunculasque bonæ frugis pleniffimas, in numerato habent, quibus juventutem ad amorem virtutis accendant. Tragœdia *tchao chi cou ell*, five orphanus parvulus ex domo *tchao*, a P. *Premare* translata, perquam fingularis eft. Quid fit unitas temporis, loci, actionis, alias-

que regulas, profundiſſime ignorant. Comœdias a tragœdiis non diſtinguunt: huic autem forte nomen tragœdiæ manſit, quia re vera tragici permultum ei ineſt. Tempus plus quam viginti annorum hiſtoriæ, quæ ſpectatori exhibetur, abſolvendæ impenditur, nec tragœdia ab hiſtoria non lecta illa, ſed ab hominibus pluribus recitata, differt. Quilibet actor, ne neſciant ſpectatores, theatrum ingrediens, clara voce dicit, quis ſit, unde veniat, quid egerit, quid nunc moliatur. Unus actor plures ſæpe perſonas ſuſtinet. Affectus vehementiſſimos cantando exprimunt, reliqua loquuntur, præterea multis declamatio ipſa canticis intermixta eſt. Dividitur tragœdia in partes, quarum prima *Sie tſe* prologi inſtar eſt, reliquæ *tche*, quod *actus* ſonare poterat, dicuntur, quas in ſcenas ſubdividere nihil prohibet. Tragœdia hæc excerpta eſt ex libro *Yuen gin pe tchong*, ſive collectione centum optimorum poematum theatralium, ſub dynaſtia *Yuen* compoſitorum. Liber hic quadraginta Voluminibus conſtat, in quatuor *tao* diſtributis. In arte medica progreſſus adeo magnos facere non potuerunt Chinenſes, quandoquidem Phyſices & Anatomiæ prorſus fere ſunt ignari; admodum tamen in judicandis ex pulſu arteriarum morbis exercitati ſunt, plurimorumque ſimplicium, quæ non ſine ſucceſſu adhibent, cognitione inſtructi. Calidum innatum cum frigido radicali utramque in eorum libris medicis paginam facit. Velimus, apud ipſum Autorem legatur ſynopſis ſyſtematis medici, nec non ſcripta haud inficeta, 1) *arcanum pulſus*; 2) excerptum ex *pen tſao cang mou*, h. e. herbario Chinenſi, ſive hiſtoria naturali Chinæ, in uſum Medicinæ. Autor ejus *Li chi tchin*, ex familia *Ming*, extremam ei manum, morte præventus, imponere non potuit: hinc a filio ejus reviſum & ſuppletum, ac a tribunali rituum juſſu Imp. *Van lie* publici juris factum eſt; 3) *pen tſao ti y kiuen*, in cujus *Lib. I §. 1* agitur de origine herbariorum, omnibusque herbariis, antiquis ac recentioribus, ad noſtra usque tempora; 4) excerptum *pen tſao* Imp. *chin nong*; 5) excerptum ex *pen tſao leang tao hong king*, dicto *ming y pié lou*; 6) collectio variarum formularum medicarum, medicamentorumque, quibus

quibus utuntur, præcipuorum, v. c. planta *gin feng*, herba, granisque *the*, carne elephanti, cameli, equi marini, cancri petrificati, mufco, rhabarbara, cera alba, ab infectis facta, aliisque. Poftremo loco comparet opus Medici cujusdam Chinenfis, a P. *Dentrecolles* translatum, quo tradit arcanum, a fe repertum, vitam longævam ac valetudinem morbis haud turbatam, ope diætæ, confervandi. Infcriptum eft opus *Tchang feng*, quo nomine doctores falfæ cujusdam fectæ gloriantur, arcanum immortalitatis fe inveniffe, jactantes; at hanc impiam ftolidamque notionem voci minime fubjectam vult Nofter; rem autem omnem ita informat, ut, tam animi, quam corporis, actionumque noftrarum, rationem habendam effe, difputet. Concludit *Tomum* explicatio vocabulorum Chinenfium in tribus Voluminibus occurrentium.

Tomus IV rebus Tartarorum enarrandis deftinatus eft. Habes hic obfervationes geographicas, ad Tartariam fpectantes, ex Miffionariorum, Mappas adornantium, annotatis excerptas; tum de provinciis Tartarorum *Mantcheoux* & *Mongous;* obfervationes hiftoricas *Gerbillonii* de Tartaria magna, atque item geographicas de terris *Mongous*; exquifitas de lingua Tartarorum *Mantcheoux* obfervationes; defcriptiones duorum itinerum in Tartariam orientalem & occidentalem, P. *Verbieftii*, nec non octo itinerum in Tartariam, *Gerbillonii*, accuratiffime ac jucundiffime confectas; obfervationes geographicas P. *Regis* de *Corea*, brevemque regni hujus hiftoriam, ex tribus Hiftoricis depromptam, nempe ex *Tfien kio kiu loui chu*, five theatro mundi, ex *Quang yu ki*, five epitome Chorographiæ, & ex *Fang yu ching lio*, five Geographia univerfali; relationem fuccinctam Capitanei *Beerings* de itinere Kamtfchatkam verfus eo fine fufcepto, ut exploraret, utrum hæ terræ Americæ feptentrionali fint contiguæ, an mari eo pertingi poffit; denique P. *Regis* obfervationes geographicas & hiftoricas de regno *Thibetano*. Hifce annexus eft Catalogus quarundam latitudinum longitudinumque, ex dimenfionibus geometricis refultantium. Longitudines ad meridianum Pekingenfem conformatæ, neque ad Parifienfem revocatæ funt, quo minor

 errandi

errandi ſit materia. Latitudines ope inſtrumentorum accuratiſſimorum obſervatæ. Vocabulorum Tartaricorum & Chinenſium explicatio toti Operi præſtantiſſimo finem imponit.

CONTINUATA ITINERARII ANTONINIANI, a PETRO WESSELINGIO editi, Recenſio.

Vid. *Acta* hujus *Anni Menſ. Febr. pag. 49.*

Fidem, quam *Menſe Februario pag. 53* dedimus, liberaturi, paulo diſtinctius de meritis in novam hanc *Itinerarii Antoniniani* editionem, quibus orbem ſibi eruditum Cl. *Weſſelingius* obſtrinxit, dicemus, ſed hac lege, ut non uni Itinerario illi, quod alii jam, inprimis *Hieron. Surita*, doctiſſimis annotationibus illuſtrarunt, inhærentes, ad Itinerarium Hieroſolymitanum & *Hieroclis* Synecdemum, in quorum utroque clariſſima luce perfundendo Cel. *Weſſelingii* induſtria inprimis enituit, æque reſpiciamus, atque adeo fortaſſe potiora inde, quæ producenda erunt, ſpecimina decerpamus.

Generatim obſervandum, Virum eruditiſſimum, non contentum iis, quibus unis vulgo adhuc, contra quam primi literarum inſtauratores ſolebant, in veterum monumentis illuſtrandis doctiſſimi quique uſi ſunt, præſidiis, perſæpe ad numos veteres provocaſſe, ex iisque veteri Geographiæ, *Holſtenio* ad *Stephanum* præeunte, lucem haud mediocrem intuliſſe. Nonnunquam & numos laudat nondum deſcriptos, qui extant in gaza *Wildiana*, quam etiamnum integram ſupereſſe, merito lætamur. Ejus generis eſt numus Sebaſtes, quæ olim Elæuſſa dicta, cujus anteriore in parte CABINA ΤΡΑΝΚΥΛΛ .... & poſteriori CEBACTH. IEP. AC. AYT. NAYAPXIC. ΕΛΕΥΘΕΡΑ cum turrito velatoque capite, unde recte colligit, urbem Sebaſten in Cilicia *Gordiani Pii* ætate ſatis illuſtrem fuiſſe, & re nautica valuiſſe. Similem paulo poſt adducit ex eadem *Wildiana* gaza numum Irenopoleos in Cilicia, quæ & Neronias dicta, in quo hinc: AYTOK. KAICAP. DOMITIA ... & illinc: EIPH-

ΝΟΠΟ-

ΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ ΕΤ. ΒΜ. cum figura turribus ornatæ mulieris, rupibus insidentis, e quorum radicibus amnis emergit, æra BM, si conferantur alii eorum apud *Vaillantium* numi, in *Claudii* principatum incidente. Sæpius autem edita ab aliis numismata vetera citantur, qualia *Haymiana* in Thesauro Britannico, quibus aliquando uberiorem paulo lucem affundit. Huc spectat, quod *Haymius Tom. II p. 143* adducit, in quo e dimidiata Luna juvenile caput, Phrygia tiara ornatum, adscriptis literis: ΜΗΝ ΑCΚΗΝΟC & altera ex parte Hermus urnæ incumbit, addito nomine: ΕΡΜΟC & circa: CΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vir bonus, qui inter Symphoniacos Italos in Anglia clarus sero ad has literas accesserat, & in difficilioribus numis interpretandis aliorum fere, inprimis doctissimi Abbatis *Benedetti* & Cel. *Jo. Massoni*, ope & consilio utebatur, censet, *Deum Lunum Ascenum* appellari, quod perpetuo circumactus motu sine tentorio agat. Sed rectius utique Cl. *Wesselingius* vocem ΑCΚΗΝΟC non Græcæ, sed barbaræ, originis statuit. Simili enim ratione & ΜΗΝΟΣ ΚΑΡΟΥ apud *Strabonem Lib. XII pag. 580*, ΜΗΝΟΣ ΚΑΜΑΡΕΙΤΟΥ in numis Nysæorum in Caria, & ΜΗΝΟΣ ΦΑΡΝΑΚΟΥ rursus apud *Strabonem Lib. XII pag. 557*, appellatio non Græca, sed barbara, est, nec dubitari potest, quin ΜΗΝ ΑCΚΗΝΟC sit is, qui apud eundem *Strabonem* Μηνὸς Ἀρκαίε vel Ἀσκαίε fert nomen. Id vero jam ante Cl. *Wesselingium* observavit Collega noster in Gothæ num. *Cap. IV pag. 120*, ubi verba ejus: *Rectissime animadvertit Cl. Haymius, vocem* ΑCΚΗΝΟC *esse epitheton Dei Luni. Id vero, quod eidem non observatum, Strabo (Lib. XII pag. 557 & 577) nobis, licet corruptum, servavit, qui memorat, Antiochiæ in Pisidia* Μῆνα, *h. e. Deum Lunum, cultum, quem modo* Ἀσκαίε, *modo* Ἀρκαίε, *cognomine appellat, cum ex numo hoc* ΑCΚΗΝΟC *omnino dictus videatur.* Sed nihil facilius est, quam ut, nemine præeunte, idem postea, aut etiam ante, animadverterit Cl. *Wesselingius*, tametsi eandem Gotham numariam Thesauri Fridericiani nomine plus semel appellat. Exemplo sit numus Μυλλασσέων, quem Cap. XII §. 6.

quem Editor illius Operis profert rarissimum quidem & notatu dignissimum, sed tamen, quod ingenue fatetur, mutilum, temporisque injuria corruptum, qua de re ille sollicite lectores suos provideque monuit, *ut apud aequos judices* (verba ejus damus) *paratior ei venia esset, in descriptione ejus a vero forte aberranti.* Cl. *Wesselingius*, his insuper habitis, praeter morem suum, non nimis humane, nisi omnia nos fallunt, *numus*, inquit, ΜΥΛΑΛΑΣΣΕΩΝ *nomen praeferens — — si huc pertineret, ut Viro docto visum est, multa conturbaret; sed cave, illi fidas, aut vera opineris, quae de novem Cariae Dynastis ad eum disputata sunt; numi inscriptio alia omnia docebit, si componatur cum illis, quos Jo. Massonus memorat Vita Aristid. II, 7. Inde enim* ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ *legi oportere apparebit, & in corruptis Thes. Frider. literis* ΟΛΒΗΝΩΝ *nomen delitescere: praeterea* ΚΑΙ ΚΕΝΝΑΤ. ΔΥΝΑΣΤΟΥ *sanum esse, neque inde* ΚΑΙ ΕΝΝΑΤΟΝ ΔΥΝΑΣΤΗΝ *effici posse.* Hic si quis Editorem Thesauri Fridericiani aeque monuisset, ac Cel. *Hemsterhusius* Cl. *Wesselingium*, prout is *p. 212* fatetur, in vita Aristidis *Massoniana* numos ΚΕΝΝΑΤΩΝ recenseri, dubitandum non est, quin is conjectura sua de nono Cariae Dynasta abstinuisset. Tametsi, cum neque Eruditiss. *Massonus*, neque Cl. *Wesselingius*, de regione ΚΕΝΝΑΤΩΝ, scriptoribus prorsus ignota, nos docere quidquam possint, etiamnum ampliandum nobis, neque in alterutram partem, dum certiora erui possint, pronuntiandum, videtur. Sed tamen, cum ille huic ipsi conjecturae tam parum fidat, ut aequorum judicum in antecessum veniam sibi exorandam duxerit, opusne erat admonitione Cl. *Wesselingii*, qua cavere lectorem jubet, illi ne fidat, aut vera opinetur de
Pag. 711. novem dynastis Cariae disputata? Sed & alio loco conjecturam ejusdem Editoris Thesauri Fridericiani de literis numeralibus in Seleuciensium numis, sub *Trajano* cusis, notat, qua is dixerat, *forte* novam designari aeram, cujus initium repetendum a *Trajani* pietate, Jovi Casio in iis partibus probata. Ubi & *Wesselingius* objicit, *Beroensium & Chalcidensium numos iisdem literis notatos*, additque, *non putare se, arbitraturum*

turum Virum doctum, ad omnes Syriæ urbes eam æram pervasisse, & passim Syros ex cultu Casii apud Seleucienses Jovis annos sub Trajano numerasse: forte verius eas monetariorum notas creditum iri, nobis nunc ignotas. Sed literæ illæ singulares in Seleucienſium numis si æram forte peculiarem denotant, in Beroensium numis Chalcidensiumque iisdem literis eandem prorsus designari, quis dixit, aut quomodo id inde efficitur? An eædem literæ numerales in numis antiquis eandem prorsus epocham semper significant? Annon etiam inter vicinas urbes ad diversam æram designandam adhiberi commode potuerunt? Rationi admodum infirmæ nova, quæ subjicitur, nihilo firmior est conjectura, si tamen nova dicenda est. De monetariorum enim notis trita omnia, & nihil facilius est interpretari numos, si κηποφύγετον hoc, si quid difficultatis inciderit, placere nobis patiamur. Sed hæc hactenus. Alia sunt prope infinita, in quibus candor, eruditio, & singulare acumen Cl. *Wesselingii* elucet. Huc pertinet inprimis industria in illustrandis emendandisque occasione oblata antiquis recentioribusque Autoribus. Sic *Ovidium Metam. Lib. VIII v. 719* doctiss. Vir *pag. 667*, *Quintilianum*, qui *Lib. I Inst. Orat. Cap. 5 ambulare viam* e sermonis Latini finibus proscribit, *pag. 571*, *Plinium Hist. Nat. Lib. VII Cap. 56, pag. 329*, ex Græcis *Isocratem pag. 644*, *Libanium pag. 643*, *Eusebium pag. 683*, atque alios alibi, nova luce perfundit. Nec minus de recentioribus scriptoribus egregie meretur, quorum παροράματα modeste indicat & corrigit, ut *Jo. Harduini pag. 638 seq. Jo. Millii* ad *Cap. XXVI, 16, Lucæ Act. Apostol. pag. 651*, *Gothofr. Olearii*, clarissimi *Philostrati* Operum editoris, *pag. 577* & *697*, ut reliquos taceamus. Non raro ἀνεκδότους aliorum observationes suis inseruit notis, cujusmodi *Holstenii* ad *Stephanum* ineditæ animadversiones, a Cel. *d'Orvillio* communicatæ, *pag. 522* & *681*, ut longe plurima, quæ, purpuræ instar, late effulgent, lectorumque oculos ad se convertunt, quod ea sigillatim recensere nimis longum foret, κατορθώματα, Cel. *Hemsterhusii* liberali manu suppeditata, taceamus.

APPA-

APPARATUS AD HISTORIAM HUNgariæ, ſive Collectio miſcella Monumentorum, ineditorum partim, partim editorum, ſed fugientium. Conquiſivit, in Decades partitus eſt, et Præfationibus, atque Notis, illuſtravit, MATTHIAS BEL.

Decadis I Monumentum I & II.

Poſonii, ſumtu Philohiſtorum patriæ, typis Jo. Pauli Royer, 1735, fol.

Alph. 1 plag. 4.

Quod olim ex parte *Jac. Bongarſius* præſtitit, quod & præſtiturum ſe aliquando promiſit *Schmeizelius* noſter, id jam pleniſſime præſtare incipit carum & patriis & exterorum muſis nomen, *Matthias Belius*, Vir inter Hungaros talis, quales ſi reliquæ gentes Europææ unum aut alterum numerarent, non ſane ætas ulla clariſſima hiſtoriarum luce noſtram ſuperaret. Is, occupatus ab aliquot inde annis in magno & auguſto *Hungariæ novæ illuſtratæ* Opere, cujus *Tomum* nuper *primum* in manus noſtras traditum gaudemus, cum illud inprimis agendum ſibi intelligeret, ut, ſi quid Scriptorum Hungaricorum, aut editorum olim, ſed inventu rariorum, aut adhuc in tenebris latentium, ætas ſuperior tuliſſet, eos omnes veſtigaret diligenter, veſtigatosque in rem eruditorum communem converteret, jamque labore magno, nec minore ſumtu, illud aſſecutum ſe videret, ut veterum monumentorum apparatu inſtructiſſimo vix cuiquam eſſet ſecundus, non, quod alii ſolent, malo quodam literarum fato nati, ſibi ſoli ſervandas has divitias, aut perpetuo quodam carcere includendas, ſed, quod hiſtoriam patriam contexturis uberrimam dicendorum materiam ſuppeditare poſſent, uſibus conſecrandas publicis, exiſtimavit. Habebit igitur in poſterum, cur Italiæ, *Muratorios* ſuos, Galliæ, *Cheſneos*, *Labbeos*, & *Baluzios*, Angliæ, *Cambdenos*,

nos, *Seldenos*, *Fellios*, *Galeos*, Hispaniæ, *Schottos*, Belgio, *Grotios*, ipsique Germaniæ, tot gestorum suorum conservatores ambitiose commemoranti, unum *Belium* suum, velut omnibus parem, opponat, felix ex tanto cive Hungaria. Has curas animo volvens Cel. *Belius*, ut honesta civium liberalitate sensim incrementa caperet illustre Opus, nec immensa voluminis moles gravis esset emtoribus, eas consilii sui rationes iniit, ut singula Scriptorum Monumenta sigillatim ederet, & diverso tempore diversos velut partus excluderet, quibus paginarum numero & serie Alphabetorum inter se conjunctis, inque *Decades* distributis, justum aliquando *Scriptorum Hungaricorum* corpus sit expectandum. Præterea commodum lectoribus in edendo ordinem servabit, ut prodromi loco, quæ ad Chorographiam Hungariæ pertinent, præmittat, tum Chronologiæ rationem habeat, indeque Monumenta ea omnia, quibus Hungarorum, aut cum his conjunctorum populorum, gesta illustrantur, larga manu expromat. Erunt in his non soluto tantum, sed ligato etiam, sermone scripta, quorum selectus & utilitatem lectori, & voluptatem, spondeat. Accedent & subinde doctissimi Editoris Annotationes breves, criticæ inprimis, aut momenta notatu digniora aliorum Scriptorum testimoniis firmaturæ. Singulos Scriptores in clientelam Illustrissimi alicujus Mæcenatis tradet Epistola eleganti & polita; singulos etiam Præfatione ornabit, indicatura fontem, unde petitum sit Monumentum. In universi Operis limine Præfatio generalis comparet, exponens instituti rationem, civesque inprimis Hungaricos ad conquirenda undique & in commune conferenda, quæcunque faciunt ad illustrandam Hungariæ Historiam, monumenta exstimulans. Præ ceteris sibi dari rogat Diplomata Regum, Ducum, Archi-Episcoporum, &c. Acta publica Diætarum, Pacificationum, Legationum, Denuntiationum belli, Promulgationum Pacis, &c. Literas Regum, Palatinorum, Judicum Curiæ, Banorum, Magistrorum Tavernicalium, Ducum Belli, Legatorum; Sigilla vetera, in quibus & Regum imagines, & regnorum insignia sunt expressa; numos, inprimis memoriales; Lapides sepulchrales, vexilla funebria, & Inscriptiones

antiquas; Panegyricas in memoriam clarorum virorum aut fœminarum Orationes; Cantilenas, seu Carmina vernacula, in Hungarorum cladibus aut victoriis decantata; Templorum & Cœnobiorum fundationes, nec non immunitatum & privilegiorum tabulas; religiosorum Ordinum historias; Synodorum nationalium Acta; denique illustrissimarum domuum annales, diaria, genealogias, schedasque, factorum notabiliorum conservatrices. Qualia, cum sint ejus generis omnia; unde clarissima lux accendi antiquioribus Hungarorum gestis possit, si, quod ipsi nos vovemus, in manus venerint tam dextras, & tractandis his superiorum temporum reliquiis assuetas, nullum est dubium, in magnum eorum, qui scrutandis regionum ac populorum antiquitatibus operam impendunt, commodum, ipsamque gentis Hungaricæ insignem id gloriam cessurum. Monumenta illa bina, quæ suo jure Collectionis *Belianæ* principium ornant, sitim nostram accendunt spectandi reliqua; adeo plena sunt bonarum rerum, atque adeo digna, quæ in notitiam non Hungarorum tantum, etsi horum maxime, sed exterorum etiam, veniant. Horum *primum* sistit *Nicolai Olabi, Archi-Episcopi Strigoniensis, Hungariam, sive de Originibus gentis, regionis situ, divisione, habitu, atque opportunitatibus, Librum singularem*, a *Stephano Zitkovszkyo*, Fisci regii in Hungaria Advocato, cum Cel. Editore communicatum, jamque primum in lucem editum; cui & accessit ejusdem Autoris *Compendiarium ætatis suæ Chronicon*, ex schedis *Ostrosithianis*, quæ sunt in manibus Cel. Editoris, publicatum. Scriptorem hunc sacrum esse jussit Noster Serenissimo Principi, *Francisco III*, Duci Lotharingiæ, atque Hungariæ Locumtenenti, cujus illustrissimo nomine Operi per se satis splendido major dignitas & gratia conciliatur. Quis fuerit *Olabus* iste, quibus honorum gradibus ad summum Archiepiscopatus Strigoniensis fastigium adscenderit, quibus denique in Historiam Hungariæ meritis inclaruerit, & ipse pluribus nos docuit Cel. Editor in *Hungariæ novæ, Cis-Danubianæ, Tomo I*, nuper demum edito, & ex parte cognitum est iis, quibus jam olim Scriptoris hujus *Historiam Attilæ*, semel iterumque excusam, videre

videre & approbare contigit. Utrumque Opus *Olahus* Bruxellis in Batavis A. 1536 composuit, quod docet ipsius Autoris testimonium, adscriptum Codici horum librorum MSto, quem servat augusta Vindobonensis Bibliotheca. Mirum hinc, cum eodem tempore uterque labor sit confectus, qui factum, ut prela alter sæpius, alter nunquam, subierit. Probabilis est Cel. Editoris conjectura, cum extra patriam, nullis fere adhibitis domesticis Scriptoribus, industria quasi extemporali, scripta sit Hungariæ Historia, noluisse Autorem publicando Operi prius curam impendere, quam licuerit ipsi, in patriam aliquando reduci, illa olim scripta in meliorem formam redigere. Quorum cum nihil postea perficere per negotiorum publicorum cumulos potuerit, Opus ipsum scriniis Autoris diu abditum delituisse, nec, ut est gens illa istarum rerum parum curiosa, de edendo eo ad hunc usque diem cogitatum. Quicquid sit, præter omne suum meritum tam diuturnis vinculis detentus est liber, quippe sic satis cultus, &, sive fidem, sive diligentiam Autoris spectes, luce publica dignissimus. Multa enim hinc de Hungariæ, ut universæ, ita singularum inprimis ejus partium, Budæ, Vissegradi, & Strigonii, habitu situque, de *Corviniana* Bibliothecæ, olim per terras late omnes celebratissimæ, honore & divitiis, deque aliis Hungaricæ Historiæ momentis, singularia & scitu admodum jucunda discas, quorum notitiam vix copiosam ita, aut ita accuratam, Scriptor quisquam alius suppeditet. Generatim de Autoris instituto ita tene, actum hic *Capitibus XIX* de Scythia vetere, & originibus Scytharum, de horum bellis & propaginibus, de Hunnis, eorumque adventu in Europam, de nomine, situ, & majoribus Hungariæ fluviis, de Hungaria occidentali, regia Buda, hujusque Bibliotheca, de urbibus, castris, & oppidis, in Budæ vicinia, de reliquis ulterioris Hungariæ urbibus & opportunitatibus, de secunda Hungariæ parte, citra & ultra Savum sita, de tertia ejus parte, quæ Danubium & Tibiscum interjacet, de residua ejusdem parte, de Hungaria Trans-Tibiscana, de Moldavia, de Transsylvania, de reliqua ultra & infra Tibiscum Hungaria, de Provincia Themesiensi, & hujus vicinia, denique

 de

de variis Hungariæ opportunitatibus. Edidit Opus Cel. *Belius* ex duobus Codicibus MStis, eidemque poliendo omne, quod potuit, ſtudium adhibuit, additis partim ad marginem lemmatibus idoneis, & paragraphorum ſignis, partim ſubjunctis hinc atque illinc notis eruditis, quibus aut rectius formantur Autoris dicta, aut ex monumentis fide dignis illuſtrantur. Quod ſub finem hujus Hiſtoriæ acceſſit, ejusdem Autoris *Compendiarium ſuæ ætatis Chronicon*, perbrevis eſt ac vere compendiaria opella, potiora illorum temporum momenta ſecundum annorum ſeriem commemorans, & absque omni verborum ornatu dimittens.

Alterum Hungaricæ Hiſtoriæ Monumentum, liberali manu Cel. *Belii* nobiſcum communicatum, exhibet *Michaelis Sigleri Chronologiæ rerum Hungaricarum, Tranſſylvanicarum, & vicinarum regionum, Libros duos*, nunc primum in lucem editos. Conſecratum eſt Opus Celſiſſimo Principi *Emerico*, e Comitibus *Eſzterhazy de Galantha*, Archi-Epiſcopo Strigonienſi, cujus in literas amor, maxime vero in *Hungariam Belianam* merita, Epiſtola gravi atque eleganti prædicantur. Editione hujus libri gratum ſe facturum putavit Editor iis inprimis, qui civiles & eccleſiaſticos motus, quibus jactatam ſuperiori ætate Transſylvaniam conſtat, legere ex vero deſcriptos cupiunt. Facit & illud ad commendationem libri, quod ejus Codice MSto olim uſus eſt in conſcribenda rerum Transſylvanicarum Hiſtoria *Wolfg. Bethlenius*, Scriptor ſolers & accuratus, qui & ipſa ſæpe *Sigleri* verba retinuit, tanquam Scriptoris, cui plurimum in rebus Hungaricis fidei ſit tribuendum. Codicem, unde hæc deſumta ſunt, nactus eſt Doctiſſ. Editor liberalitate *Sam. Bohuſſi*, cauſarum patroni inter Hungaros dexterrimi, eundem plane, quem Autor olim *Stephano Bathorio* dedicaverat. Notarum nihil adjecit Editor, *ne*, quæ ipſa ejus ſunt verba, *brevitatem doctam oneraret explicatione non neceſſaria.* Opus ipſum *Siglerianum Libris duobus* diſtinctum eſt, altero res geſtas Pannonum, vicinarum gentium, & Hunnorum, porro Oſtrogothorum, Rege *Valamiro*, devictis Hunnis, Pannoniæ annis 68 imperantium, ſecundum ingreſſum Hunnorum

rum in Pannoniam ſub ſeptem Ducibus, atque Hungariæ conditionem ſub Regibus domeſticis, ab A. C. 366 ad 1549, *Capitibus ſex* complectente, altero res Hungaricas, Transſylvanicas, & vicinarum Provinciarum, ab A. C. 1550 ad 1563, *Capitibus duobus* enarrante. De Autore ejus, nihil, quod nos edoceret, habuit Doctiſſ. *Belius*, niſi Cibinienſis Reipublicæ Syndicum, virumque doctum, & in inveſtigandis rebus patriis admodum ſolertem, fuiſſe.

Usque huc proceſſit *Beliana* muſæ nobilis induſtria, ardorque patriam rem altius proferendi, &, quæcunque ad ſplendorem ejus faciunt, in æternas tabulas redigendi. Jam, ſi quis aut inter Hungaros patriæ Laribusque ſuis bene cupit, aut inter exteros rectiorum ſtudiorum ſenſum habet, nobiſcum is præſtantiſſimo Viro, cujus honeſto ſtudio præclara hæc munera ad nos venerunt, ad proſequendum conficiendumque iter laudatiſſime cœptum, otium viresque integras, auram fortunæ ſecundam, magnorum Principum præſidium, civiumque plauſum, ex animo comprecetur.

JACOBI GRETSERI, SOCIETATIS JESU Theologi, Opera omnia, aucta & illuſtrata.

Tomus V & VI.

Ratisbonæ, ſumtibus Jo. Conr. Peez & Felicis Bader, Sociorum, 1735, fol.

Tom. V Alph. 6 plag. 22, Tom. VI Alph. 7 plag. 8.

Tom. I Part. I pag. 1 ſeq.

T*omi V Parte priori* comparent primo loco duo Libri de ſacris proceſſionibus, quarum nominibus tam apud Latinos, quam Græcos, expoſitis, antiquitatem, modum, & formam, deſcripſit Autor, docuitque, illas & Deum placare, quando terræ motus ſæviunt, & ad avertendas calamitates publicas valere, atque in hoſtium irruptione, arcium obſidione, peſtilentia graſſante, inſtitutas fuiſſe, nec exequias ſine proceſſionibus facile elatas, ſubjectis proceſſionibus ſtatis urbis Conſtantinopolitanæ in feſto Palmarum & in feſto Corporis Chriſti. *Lib. II* de proceſſionibus Autor contra adverſarios agit, & demonſtrare ſatagit,

git, processiones esse utiles & frequentandas, easque ad loca & memorias Sanctorum recte institui solitas, nec superstitiosum esse, præferre in supplicationibus cruces, vexilla, cereos, ima-
Pag. 83 seq. gines Sanctorum, &c. Sequuntur *Libri III* de funere Christiano: ubi *Lib. I* de lotione, unctura, vestitu, & collocatione mortuorum ad spectaculum, cultum, preces, & humanæ recordationem conditionis, de more pulsandi campanas, de facibus prælatis, de luctu, de vestibus mutatis, disquiritur. *Lib. II* de feretris, modo & tempore, quibus elati mortui, de frequentia populi, ad funus concurrentis, de funeribus cum cereis seu facibus, cum psalmis, crucibus, & thuribulis ductis, de cœmeteriis, agitur. *Liber* vero *III* preces pro defunctis & jam sepultis, sacrificium Missæ immolatum, defendit, & flores tumulis sparsos, epitaphia addita, epulas funebres, moremque collocandi cibos super sepulchra defunctorum, & ferendi epulas ad
161 seq. basilicas Martyrum, illustrat. Succedunt Gratiæ *Danieli Cramero*, Stetinensi in Pomerania Lutherano prædicanti, persolutæ pro Paralipomenis ad Libros de funere Christiano transmissis.
187 seq. Sequuntur Disputationes duæ, altera de subterraneis animarum receptaculis contra Sectarios, altera de statu beatorum, olim in Academia Ingolstadiensi ad publicum examen & cer-
207 seq. tamen propositæ, ac tandem Disputatio de variis cœlis Lutheranis, Zwinglianis, Ubiquetariis, Calvinianis, Sanctorum vel
P. II veris, vel fictitiis, receptaculis & habitaculis. *Pars posterior*
pag. 1 seq. *Tomi V* complectitur Libros duos de Festis Christianorum ad-
129. versus *Danæum*, *Dresserum*, *Hospinianum*, aliosque; Auctarium ad hos duos Libros, seu Dissertationem pro sacratissima corporis Christi solennitate & sacrosanctæ Eucharistiæ cultu,
171 seq. adversus *Rudolphum Hospinianum*; alios duos de benedi-
305 seq. ctionibus, & tertium de maledictionibus; Vindicationem locorum quorundam *Tertullianicorum* a *Francisci Junii* depravationibus, scilicet de signo sanctæ crucis, de imaginibus, de sacrificio Missæ, de precibus pro defunctis, de Eucharistia, de oleo benedicto, de exorcismo, de inferis, de ecclesia Romana & summo Pontifice, de traditionibus, de processionibus & stationibus.

Tom. II *Tomo VI* habentur Apologia pro *S. Gregorio VII*, Pon-
pag. 1. tifice

tifice Maximo, in qua leguntur inedita quædam pro eodem Pontifice Opuſcula *Bernaldi*, Conſtantienſis Presbyteri; Vita, Pag. 98.
electio, & res geſtæ ejusdem *Gregorii VII*, ex Libro quarto *Onuphrii Panvinii* de varia Romani Pontificis creatione; Commentarius *Pauli Bernriedenſis* de vita *S. Gregorii VII*, Pontificis Maximi, & B. *Herlucæ* Virginis, cum prolegomenis & notis; *Cæ-* 175.
ſar Baronius a *Goldaſti* calumniis vindicatus, & in eo cum alii Pontifices Romani, tum *S. Gregorius VII*; *Gerhohi Reicher-* 245.
ſpergenſis, in Bavaria Præpoſiti, de *Henrico IV & V*, & *S. Gregorio VII*, nonnullisque conſequentibus Romanis Pontificibus, Syntagma; brevis refutatio Alogiarum *Annæ Comnenæ* in Ale- 265.
xiade contra *S. Gregorium VII*, Pontif. Max. Indiculus impoſtu- 257.
rarum & criminum falſi, quæ *Goldaſtus* in *tertio Tomo* Conſtitutionum Imperialium commiſit; Gemina adverſus *Melchio-* 300.
rem Guldinaſtum, Calvinianum replicatorem, vel potius quadruplatorem, defenſio, prior, pro S. R. orthodoxi & catholici Imperii avita majeſtate, replicationem *Calvinianam*, Imperii hujus vaſtatricem, examinat & refutat, poſterior complura monumenta pro *S. Gregorio VII*, aliisque Pontificibus Romanis, exhibet; *Arnaldi*, Brixienſis, in *Melchiore Goldaſto* Calviniſta redivivi, vera deſcriptio & imago; Commentariolus de Imperatorum, Regum, ac Principum Chriſtianorum in ſedem Apoſtolicam munificentia; accedunt Appendices duæ, quarum prima de Edicto donationis *Conſtantinianæ*, & novo ad id Commentario, ſecunda de Diplomate donationis *Othonis III* Imp. factæ *Sylveſtro II*, Pontifici, agit; Volumen Epiſtolarum, quas Romani Pontifices, *Gregorius III*, *Stephanus III*, *Zacharias I*, *Paulus I*, *Stephanus IV*, *Adrianus I*, & Pſeudopapa *Conſtantinus*, miſerunt ad Principes & Reges Francorum, *Carolum Martellum*, *Pipinum*, & *Carolum Magnum*. Unusquisque *Tomus* Indicibus ſuis eſt inſtructus.

DECISIONUM IMPERATORIARUM SYNtagma, continens Quinquaginta Imperatoris JUSTINIANI Deciſiones, quibus præcipuæ veterum Juris Autorum Controverſiæ definiuntur; ſub Auguſtiſſimis Auſpiciis

ſpiciis Invictiſſimi Maximique Cæſaris, CAROLI SEXTI, *in ſacro Palatio publicæ disquiſitioni ſubmiſſum ab Illuſtriſſimo Domino* JOANNE HUGONE *S. R. I. Libero Barone* AB HAGEN, *S. C. M. Ephebo, Præſide Prænobili, Clariſſimo, ac Conſultiſſimo D.* JOANNE JACOBO OPPENRITTER, *J. U.. Doctore, S. C. M. Epheborum, nec non in antiquiſſima & celeberrima Univerſitate Viennenſi Codicis Profeſſore Publico ac Ordinario.*

Viennæ Auſtriæ, typis Joannis Petri van Ghelen, Sacræ Cæſareæ Regiæque Catholicæ Majeſtatis Aulæ Typographi, 1735, 4.
Alph. 5 plag. 10.

Summis merito laudibus extollitur *Triboniani* opera, qua in decidendis difficillimis quæſtionibus juris, dirimendisque veterum JCtorum controverſiis, uſus eſt *Juſtinianus* Imperator. Namque nulla ille, doctiſſimorum Juris interpretum judicio, in re magis, quam in perficiendo L Deciſionum Opere, ingenii vim oſtendit. Sicuti autem res ardua maximique momenti fuit, graviſſimas antiqui Juris conditorum contentiones nova, eaque apta, ratione componere, ac, ponderatis utriusque partis argumentis, omnibusque dubiis, quid analogiæ juris, quid æquitati, quidve publicæ rei, conveniret magis, tandem aliquando definire; ita non minore laude digni ſunt, qui ipſi harum Deciſionum accuratiori explicationi inſudarunt. Neque enim ea ſine magno labore ex rationibus decidendi ſæpe abſconditis, diverſis ſectarum juris doctrinis, primisque veterum altercationum originibus, eſt haurienda. Sed, quod alios deterrere potuiſſet, excitavit Illuſtriſſimum S. R. I. L. B. *Jo. Hugonem ab Hagen*, qui, cum S. C. M. Ephebus eſſet, in mediis obſequii aulici occupationibus, tantum temporis literarum ſtudiis, & præcipue Juris ſcientiæ, impendit, ut, quod vix unus vel alter Commentator jam

jam provectiore ætate, multorum annorum decursu, absolvit, pæne adolescens adhuc, mira diligentia atque solertia perficeret, librumque, quem in præsenti recensendum sumsimus, adornaret. Hic uti Decisionum Imperatoriarum Syntagma jure suo audit, & multiplici doctrina refertus est; ita nullum ejus fronti sanctius, quam ipsius Augustissimi atque invictissimi Imperatoris *Caroli VI* nomen, nemini rectius, quam summo Musarum præsidio ac decori, dedicare illum Autor potuit. Ne vero minus strenue defenderet opus suum, quam docte concinnaverat, publico illud eruditorum examini submisit, Præside usus clarissimo, eoque acutissimo, JCto, *Jo. Jac. Oppenrittero*, quem antea præceptorem ducemque in studio Juris nactus fuerat. Quanquam is ea die non tam adjutor, quam approbator, adfuit, uberrimosque suæ institutionis & ingenii Auditoris sui fructus & ipse cepit. In ipsa elaboratione ita versatus est, ut, perlustratis, quæ *Franciscus Linglois*, Professor olim Vesontinus, *Wilhelmus Ludwellus*, in Academia Altorfina, & *Jo. Strauchius*, in Jenensi, *Dominicus Bassus*, in Ingolstadiensi quondam Antecessor, ad L Decisiones scribere aggressi sunt, præcipui earum Commentatoris, *Emundi Merillii*, Antecessoris Bituricensis, cujus etiam prolegomena præmisit, methodum inprimis sequeretur. Dum tamen recentiores Juris Scriptores consuluit, variasque eorum opiniones examinavit, veteres non posthabuit, sed, ipsos semper fontes adiens, Jurisprudentiam elegantiorem cum forensi egregie conjunxit. Subjecit etiam seriem Juris Autorum utriusque sectæ, & Sabinianorum, & Proculianorum, itemque Erciscundorum sive Miscellionum, quam sequitur Syllabus L Decisionum *Justiniani*, secundum ordinem temporis, quo editæ fuerunt. Ipse Illustrissimus Baro illas eo ordine sistit, quo in Codice repetitæ prælectionis reperiuntur. Speciminis loco unam alteramve ex toto Syntagmate jam decerpsisse sufficiet. Ita Decisionem XIV, quæ est ad *l. ult. C. ad SCt. Maced.* eo rectius explicaturus, rem altius repetit ex historiæ Romanæ monumentis primumque commendat frugalitatem orientis reipublicæ exemplo *Q. Cincinnati.* Deinde ingentem secutis tempori-

Y bus

bus *Lucullorum*, *Liciniorum*, *Crassorum*que, luxum notat, ex quo usuræ atque aliæ artes illicitæ creverint. Tum leges, effrænatæ juvenum licentiæ jam ante oppositas, commemorat, adeoque causam, ortum, & progressum Scti Macedoniani, fœnorisque, sive liciti, sive illiciti, historiam persequitur. Denique varias, easque utilissimas, juris quæstiones ventilat, legibusque obstantibus hinc inde ingeniose conciliatis, de hujus Sсti tum extensione, tum restrictione, amplius disserit. Inter alia dubium veterum JCtorum, an ratihabitio patris ita filium afficiat, ut exceptio Sсti cesset, distinctione inter res facti & juris solvit, &, in his non æque, ac illis, ratihabitionem validam esse, ex variis eruit exemplis, istam tamen distinctionis subtilitatem ab Imperatore *Justiniano* ex rationibus haud contemnendis sublatam esse, observat. Filiumfamilias militem, ex mutui contractu, non solum usque ad quantitatem peculii castrensis, uti *Merillius* sibi persuasit, sed in solidum, obligari, vel eam ob causam existimat, quod alias Imperator in *§. fin.* Decisionis nihil novi, nullumque plane dubium, decidisset, cum pridem ante illum *Ulpianus l. 1 §. fin.* & *2 ff. de Scto Maced.* scripserit, filiumfamilias usque ad quantitatem castrensis peculii tantummodo teneri. Præsumtionem autem, quam *Justinianus* dicto paragrapho inducit, scilicet militem non in aliam, quam castrenses causas, mutuam accipere pecuniam, non juris solummodo, sed juris & de jure, esse, ex ea inprimis ratione contendit, quia Imperator hic non tantum præsumserit, sed etiam super præsumto statuerit, omni in contrarium probatione exclusa. Expeditis, quæ ad ipsam Decisionem spectant, tres adhuc celeberrimas quæstiones subnectit. Prima est ad *l. 7 §. 16* & *Lib. 9 ff. ad SCtum Maced.* Si filiusfamilias pecuniam mutuatus fuerit, deinde vel ipse sui juris effectus, vel pater pro eo partem debiti solverit, an totum debitum censeatur agnitum, atque adeo simpliciter etiam quoad residuum cesset SCti beneficium, an vero pro parte tantum soluta? Quam quæstionem, contra communem aliorum sententiam, qui per solutionem partis totum debitum approbatum censent, ex naturali ratione decidit, qua in dubio suum nemo jactare, aut juri pro se intro-

tro-

troducto, ultra, quam patet, renuntiare, præſumitur. Leges autem adductas, quæ ſibi obſtare videntur, atque, ſolutione partis SCti exceptionem tolli, innuunt, diſtinctione adhibita conciliat: ceſſare SCtum quoad partem ſolutam, non vero ſolvendam. Secunda circa *l. 14 ff.* de *reb. cred.* & *l. 9 §. 1 ff. ad SCt. Maced.* inter ſe diſſonantes verſatur, ubi quæritur, ſi filiusfamilias pecuniam, mutuo acceptam, creditori ſolvit, an patri actio detur adverſus creditorem? Hic, uti, nummos extantes a patre poſſe vindicari, ſatis conſtabat, ita, quid ſtatuendum ſit, ſi conſumti fuerint, inprimis examinat, relatisque veterum JCtorum, *Juliani* & *Marcelli*, ſententiis contrariis, rem ex ipſa æquitate ita definit, ut, ſi creditor pecuniam a filio acceptam mala fide conſumſerit, patri competere conſumtæ condictionem, ſin contra bona fide, ceſſare illam, arbitretur. Ad tertiam: An jurata filiusfamilias renuntiatio impediat SCti exceptionem? penſitatis variis Doctorum diſceptationibus, reſpondet, filium juramenti quidem religione obligari, poſſe tamen a judice ſeculari remiſſionem ejus obtinere. Simplicem autem renuntiationem, quia eadem facilitate fiat, qua mutuum accipitur, nihil prorſus operari, exploſis argumentis *Udalr. Zaſii*, communi Doctorum opinioni contradicentis, loco coronidis addit. Non minorem dexteritatem adhibuit in explananda ſequenti Deciſione XV *l. penult. C. ad SCtum Vellej.* quam ob argumenti affinitatem hic ſubjungere non alienum videtur. Ad hujus SCti originem atque cauſas itidem adſcendens, Græcorum primum inſtituta circa jura mulierum perluſtrat, easque in primordio reipublicæ Atticæ communi cum viris jure uſas, publicis conſultationibus interfuiſſe, adeo, ut calculis mares non modo exæquaverint, ſed etiam ſuperaverint, ex *Auguſtino*, dein vero ita coarctatam fuiſſe earum poteſtatem in rebus etiam privatis, nedum publicis, ut de re, quæ plus modio hordei valeret, valide contrahere non poſſent, ex *Chryſoſtomo* refert. Qua occaſione ſimul originem tutelæ muliebris attingit. Inde, Romanos quoque jam in libera Republica mulieres a negotiis publicis arcuiſſe, & ad tutorum autoritatem adſtrinxiſſe, annotat, quoties vel lege, aut legitimo judicio, agere, vel

ſe obligare, vel civile negotium gerere, vel nuptias contrahere, & in manum convenire, vel libertæ permittere, ut in alieni ſervi contubernio moraretur, vel rem mancipi alienare, voluiſſent. Quod ultimum negotium eleganti de veteri diſtinctione inter res mancipi & nec mancipi digreſſioni anſam præbuit. Poſt illam de diverſa fœminarum tutela, ſcilicet tum pupillari, tum perpetua, ejusque triplici ſpecie, teſtamentaria, legitima, huicque affini, ceſſitia, & dativa, ſive prætoria, de cauſis item tutelæ muliebris, eamque finiendi modis, agit. Denique *Auguſti* & *Claudii* Conſtitutiones, in favorem ſexus fœminini promulgatas, ne vel nimio amore conjugali, vel ſeveritatis metu, virorum obligationes in ſe ſuſciperent, neve actioni, qua viri teneantur, ſe ſubjicerent, commemorat, & ab iis ad ipſum SCtum Vellejanum, quod fœminas ab omni obligatione pro aliis etiam, quam maritis, liberat, tranſit. Hujus, cum cauſas, tum effectus exponit, ac variis caſibus illuſtrat, ejusque limitationibus ad tres claſſes reductis, ad ipſam Deciſionem progreditur, quæ ob cauſæ qualitatem, & ſingulare manumiſſionis privilegium, mulieri, pro ſervo libertatis conſequendæ cauſa fidejubenti, exceptionem adimit SCti. Inter quæſtiones juris, quas tractat, quantumcunque, modicum etiam, pretium pro interceſſione acceptum, a SCti beneficio removere mulierem, ſtatuit. Generatim autem pretium, quod citra uſurarum labem, tum in foro externo, tum interno, pro fidejuſſione accipi poſſit, ex periculo æſtimat, fidejuſſori ex conditione debitoris imminente, ſpeque majore aut minore, ſolutum pro illo recuperatum iri. Ipſum SCtum etiam ad fœminas illuſtres extendit, ac tandem ſolide refellit eos, qui mulierem, ſuorum admonitam jurium, ac ſpeciatim huic beneficio renuntiantem, illud non amittere, crediderunt. Ad Deciſionem XIX, quæ continentur *l. 25 C. de Nupt.* præmiſſis ſponſaliorum contrahendorum apud Romanos cærimoniis, triplicem nuptias celebrandi modum, confarreationem ſcilicet, coemtionem, atque uſum, explicat, ritusque nuptiales ipſos proponit, rationem præterea, cur in hortis plerumque nuptias fecerint, haud improbabili conjectura ex *Apuleji Apolog. Lib. II* eruit, qui, in villas ſuburbanas ideo Romanos

ſubinde

ſubinde ſeceſſiſſe, indicat, ut minore amicorum vicinorumque frequentia tranquillius placidiusque celebrarent nuptias, adeoque ſumtibus ſportularum nuptialium ſeſe ſubtraherent, ad quas cives in urbe ſolebant convolare. . Ex hiſce facile erit judicatu, quanto eruditionis apparatu reliquas Deciſiones pertractaverit Ill. Autor, quantumque ad melius intelligendas leges Romanas contulerit. Non minus autem ex hoc tirocinio juris apparet, quid aliquando Themis Germanica expectare ab eo poſſit, cum ipſis rebus agendis fuerit admotus.

HERCULIS FRANCISCI DANDINI, Comitis, & JCti Cæſenatis, de Forenſi ſcribendi ratione culta atque perſpicua Dialogus primus.

Patavii, typis Jo. Baptiſtæ Conzatti, 1734, 4.
Plag. *6*.

Quanta noſtris temporibus dictionis Romanæ in foro coramque tribunali ſit negligentia, omnium optime, qui frequentius in judiciis verſantur, norunt. Deplorarunt jam dudum clariſſimi viri miſeram hanc Jurisprudentiæ Romanæ faciem, ſed, qua ratione corrigi emendarive poſſit, hæſitant huc usque, nec, quid decernant, habent. Suſcepit idem doctiſſimus Cæſenatium JCtus, *Hercules Franciſcus Dandinus*, haud ita pridem negotium, Dialogumque *de forenſi ſcribendi ratione culta & perſpicua* edidit, ſtili non minus concinnitate, quam pondere argumentorum, & doctrinæ ſolidioris gloria, commendabilem. Conveniunt *Meranius, Erminius, Phronimus*, felicioribusque opus aggredi conantur auſpiciis, quam olim *Guilielmus Budæus*, tam in præclaris *ad* Πανδέκτην *Annotationibus pag. 17 ſeq.* quam in opella poſthuma, quæ forenſibus vocabulis nova, proprio conficta marte, ſurrogat & ſubſtituit. Putat Cl. *Dandinus*, non niſi perpetua & curata veterum Autorum lectione feliciter exterminari poſſe hanc barbariem, &, cum *Tullius* non Pag. 5 ſeq. 1. 2

non sufficiat, reliquam JCtorum Romanorum catervam omnibus Jurisprudentiæ studiosis de meliori commendat nota. Ita enim futurum sperat, uti horrida, quæ ante tribunal obtinet, dictio ejiciatur penitus, & Romanæ voces pro barbaris ex pu-
Pag. 3. rissimo Πανδέκτης fonte hauriantur. Exempla proponit, ex quotidianis rerum argumentis ducta, & ubique incomtas prag-
9 seq. maticorum voces, qualia sunt: *tenuta, una petia terræ, fructatus, respective, repartimentum, reflectere* pro considerare,
14 seq. *excomputare, depositare in banco, reportare suum recapitum* seu *receputam a bancherio, trahere bancherio literas solvibiles, intricata computa, deducere prætensionem, tractamentum,*
24 seq. *participare de lucris, defectus nonadimplementi*, ut alia taceamus innumera, veterum ope JCtorum felicissime emendat. Non possumus non, quin unicum in medium afferamus specimen. Scribit *Ulpianus* in *l. 3 §. 1 π. de rec. qui arb. Post causam jam semel atque iterum tractatam, post nudata ejus intima & secreta negotii aperta, æquum non est, arbitrum nolle sententiam dicere.* Hæc vero ab ἀγοραῖς θρέμμασι *Dandinus* ita efferri ait: *Non est æquitativum, quod arbiter recuset, laudum proponere post causæ merita pluries discussa, atque hinc inde manifesta.* Ejus generis affert Cl. *Dandinus* complura, lectu jucundissima: ut silentio prætereamus criticas, quas oblata occasione attingit, de *emendanda tractamenti*
25 seq. *voce*, de *l. 12 §. 16 π.* de *instr. vel instrum. leg. l. 245 π. de V. S.*
41 seq. & *l. 17 §. 3 π. de action. emt. vend. inter se conciliandis* &c. disceptationes. Optamus Viro de humaniori Jurisprudentia tam præclare merenti vires & otia, quo, quod index hujus Dialogi & finis promittunt, in cœptis pergere laboribus, & politiores literas amplius juvare, queat.

EXERCITATIO MATHEMATICO-JURIDICA de vera Dominii directi in Emphitevticis prædiis æstimatione.

Quid Emphytevticarii Contractus nomine JCtis veniat, vel tironibus notum est. Eo nempe indigitant contractum consensualem de utili dominio rei immobilis transferendo ea sub lege, ut melioretur, & exinde certa pensio annua in domi-

mii

nii directi recognitionem solvatur. Præcipue circa hocce Emphytevticarium jus sequentia notanda sunt: 1) quod dominium directum sit apud eum, qui Emphytevsin constituit, utile vero apud illum, qui se obligat ad præstanda ea, quæ ex hoc contractu debentur; 2) quod interitu prædii emphytevticarii totali jus domini directi exstinguatur; 3) quod annuatim pensio quædam, quæ canon emphytevticarius dicitur, sit solvenda; 4) quod, quoties Emphytevta mutatur, toties cum oblatione prædii laudemium sit solvendum; 5) quod quibusdam gravibusque ex causis Emphytevta dominium utile amittat, præcipue, si intra triennium canonem non persolvat. Casus: Sit domus quædam vel aliud emphytevticarium prædium, cujus dominium directum habeat *Mævius*, Emphytevta sit *Titius*, quæritur; si *Mævius* in dominii sui directi alienationem consentiat, quid ex æquo, & sine ullius læsione, *Titius* solvere debeat? Sit pretium medium boni, sive prædii emphytevticarii $= a$. Tria nunc præcipue perpendenda sunt: A) Quantus sit valor expectationis *Mævii* ratione prædii ipsius; B) Canon; C) Laudemium. A) Expectatio *Mævii* ratione ipsius prædii ex duplici fundamento erit determinanda. D) Ex 2: Sit igitur numerus casuum, quibus ejusmodi prædia totaliter interiisse observavimus, ad numerum casuum, quibus salva mansisse deprehendimus, ut m ad n erit secundum regulas, a Cel. *Hugenio, Bernoulliis*, aliisque, traditas, *Mævii* expectatio $= \frac{na}{m+n}$ scilicet ex hoc capite. E) Ex. 5. Unde iterum suppono, esse numerum casuum, quibus apud Emphytevtam prædia mansisse, ad numerum casuum, quibus in Dominum directum etiam utile dominium transiisse vidimus, ut p ad q; erit ratione hujus spes *Mævii* $= \frac{qa}{p+q}$. Quarum duarum expectationum Summa dabit integram *Mævii* expectationem, nempe $\frac{\overline{m+n} \times q + \overline{p+q} \times n}{\overline{p+q} \times \overline{m+n}}$ A: dicatur hæc quantitas facilioris calculi gratia *C.* Hac expectatione jam determinata, sit id, quod Emphytevta *Titius* pro prædii liberatione ex æquo dare de-

bet,

bet, $= x$; quæ quantitas talis ſit, neceſſe eſt, ut una cum omni exinde percipiendo commodo (i. e. uſuris, iisque per ſolutionem in ſortem redactis, inde denuo provenientibus fructibus,) per illud tempus, ad quod Emphytevſis eſt conſtituta, vel, ſi Emphytevſis eſt perpetua, per infinitum vel (quaſi infinitum, quod & civiliter infinitum appellabo,) ſit æqualis tribus ſequentibus quantitatibus in ſummam redactis, A) Valori expectationis *Mævii*, cum omnibus inde percipiendis commodis; B) Canonibus annuatim præſtandis, legitime ratione interuſurii computatis, omnique exinde percipiendo commodo; C) Laudemiis itidem, ut mox oſtendam, recte computatis. Priusquam vero ad hæcce evolvenda propero, monendum eſſe cenſeo; 1) in interuſurio computando me ſequi *Leibnitianum* modum, in *Actis A. 1683* propoſitum, ita, ut, poſita e. g. ſorte $= r$ quota uſuraria $= s$ annorum numero $= y$, valor ſortis anticipatæ ſit $= \frac{r}{\overline{1+s}^{\,y}} = \left(\frac{1}{1+s}\right)^{y} \times r$; 2) interuſurium æquale debet eſſe commodo temporis, ſive omni emolumento ex re per intermedii temporis ſpatium percipiendo, hinc ſi quantitas *r* poſt annos *y* ſolvenda, ſtatim conceditur, dabitur tantum $\frac{r}{\overline{1+s}^{\,y}}$; ex qua quantitate ſi commodum per annos u quæris, (ubi u ſuppono eſſe majus, quam y,) invenies, $\frac{r}{\overline{1+s}^{\,y}}$ poſt annos y producere iterum r, ex quo deinde commodum usque ad tempus u − y erit $= \overline{1+s}^{\,u-y} \times r$. A) Valorem expectationis *Mævii* cum inde perfruendis commodis quod attinet, erit ob illius expectationem $= C$, quotam uſurariam $= s$ (quæ in uſuris quincuncibus $= \frac{1}{20}$) & annorum numerum $= y$. Tota hæc quantitas $= \overline{1+s}^{\,y} \times C$. B) Nunc & de Canonibus; ſit Canon annuatim a *Titio* præſtandus $= r$. Deberet igitur *Titius* ſolvere *r* poſt annum, *r* poſt biennium, *r*

post triennium &c. . . . . r post annos y; hos cum omnes anticipet *Mævius*, inde debebit detrahi interusurium: ex his quantitatibus, interusurio diminutis, perceptum commodum per annos y erit = commodo percepto ex r per annos $y - t$ (ubi t sit numerus annorum, qui indicat, per quot annos r anticipato solutum est,) adeoque $= \overline{1+s}^{\,y-t} \times r$; per dicta in *§. n. 2* notato, unde substitutis loco t numeris 1. 2. 3. &c. donec $t = y$, habebis summam omnium Canonum, sequentem nempe seriem:

$$\overline{1+s}^{\,y-1} \times r + \overline{1+s}^{\,y-2} \times r + \overline{1+s}^{\,y-3} \times r \;\&c$$

$$\ldots\ldots\ldots\ldots\; r. = \left[\overline{1+s}^{\,y-1} + \overline{1+s}^{\,y-2} + \overline{1+s}^{\,y-3} \;\&c.\right.$$

$$\left.\ldots\ldots\ldots 1\right]\, r \text{ cujus Summa} = \left(\frac{\overline{1+s}^{\,y-1} - 1}{s}\right) \times r.$$

C) Nunc superest, ut etiam Laudemia consideremus. Laudemia dari solent domino directo toties, quoties titulo singulari utile dominium in alium transfertur: & quidem moribus ex centum duo solvi solent floreni. Generalius vero hæc determinaturus, pono Laudemium $= da$; ubi d determinandum est per quotam laudemialem, e. g. communiter $d = \frac{1}{50}$. Deinde tempus quoddam medium determinandum, quoties Emphytevta mutari soleat; idque ex multis observationibus (e. g. si quis sæpius observasset, prædia per seculi decursum in quinque dominos successive fuisse translata, assumet, singulis vicenniis mutationem fieri solere.) Sit ille numerus annorum $= g$, erit numerus, sive Exponens, qui indicat, quoties laudemium debetur $= \frac{y-h}{g}$ (ubi h vel est residuum ipsius y per g divisum, si g non est exacte pars aliquota ipsius y, vel est $= g$, si exacte dividit quantitatem y: nam notes illud Laudemium, quod solvendum esset eo anno, quo Emphytevsis finitur, non amplius debetur.); debetur igitur da post annos g, debetur da post annos $2g$ &c. . . . . . debetur tandem da post annos

Z $y - h$

$y-h$; sed, quoniam hos valores *Mævius* anticipando accipit, detractis interusuriis, & commodis percipiendis connumeratis, secundum normam in Paragrapho *no.* 2 expositam, prodit sequens quantitas:

$$\left[\overline{1+s}^{\,y-g}+\overline{1+s}^{\,y-2g}+\overline{1+s}^{\,y-3g}\ \&c.\ \dots+\overline{1+s}^{\,g+h}+\overline{1+s}^{\,h}\right]da$$

cujus summa $=\left(\frac{\overline{1+s}^{\,y}-\overline{1+s}^{\,h}}{\overline{1+s}^{\,g}-1}\right)da.$

Harum quantitatum inventarum summa, ut supra diximus, debet esse æqualis quantitati x cum omnibus inde percipiendis commodis per annos y, $=\overline{1+s}^{\,y}\times x$. Unde jam habemus æquationem sequentem: $\overline{1+s}^{\,y}\times x == \overline{1+s}^{\,y}\times c+\left(\frac{\overline{1+s}^{\,y-1}-1}{s}\right)\times r+\left(\frac{\overline{1+s}^{\,y}-\overline{1+s}^{\,h}}{\overline{1+s}^{\,g}-1}\right)\times da$. Et

$$x=c+\left(\frac{\overline{1+s}^{\,y-1}-1}{\overline{1+s}^{\,y}\times s}\right)\times r+\left(\frac{\overline{1+s}^{\,y}-\overline{1+s}^{\,h}}{\left(\overline{1+s}^{\,g}-1\right)\times\overline{1+s}^{\,y}}\right)\times da$$

Posito $x=\infty$ habemus $x=c+\left(\frac{\overline{1+s}^{\,\infty-1}-1}{\overline{1+s}^{\,\infty}\times s}\right)r$

$$+\left(\frac{\overline{1+s}^{\,\infty}-\overline{1+s}^{\,h}}{\left(\overline{1+s}^{\,g}-1\right)\times\overline{1+s}^{\,\infty}}\right)\times da.$$ Ex quo propter

infiniti

finiti naturam deduco, neglectis nempe negligendis $x = c + \frac{1}{s} r + \frac{1}{\frac{g}{1+s} - 1} d a$, adeoque infinitis exterminatis, erit Juris Emphyteuticarii in prædio constituti ad annos infinitos valor finitus. Ponamus quantitatem a = 10, 000 flor. m = 1. n = 99. & p = 99, q = 1, erit c = 1000 flor. sit porro $s = \frac{1}{20}$, $g = 20$, $d = \frac{1}{50}$, r = 4 flor. His in formula finali rite substitutis invenies

$$x = \left(1000 + 20 \times 4 + \frac{1}{\left(\frac{21}{20}\right)^{20} - 1} \right) 200, \text{ sive}$$

$x = 1000 + 80 + 121. == 1201.$ flor. quam proxime. Hæc jam sufficiant; quodsi vero quis in hac methodo nostra errorem ostenderit, & monstraverit aliam procedendi viam, ei me obstrictissimum profitebor.

CAROLI LINNÆI, DOCTORIS MEDICINÆ, Bibliotheca Botanica, recensens Libros plus mille, de plantis huc usque editos, secundum systema Autorum naturale in classes, ordines, genera, & species, dispositos, additis editionis loco, tempore, forma, lingua, cum explicatione Fundamentorum Botanicorum.

Amstelodami, apud Salomonem Schouten, 1736, 8.
Plag. 8.

Plurimum interesse noverat Clarissimus Vir, ut assuescerent rei herbariæ tyrones selectui Autorum, possentque in tot tantorumque, haud raro magis pretiosorum, quam utilium, librorum copia familiarem habere hunc aliumve probatæ fidei Botanicum. Neque tyronibus tantum, sed & provectioribus in arte & maturis ingenio viris, rem hoc ipso gratissimam fe-

cisse sciat, quorum Bibliothecæ, hoc libello directorii instar usuræ, melioris ordinis ornamentum habebunt. Rei herbariæ fata recensentur in Præfatione sub herbæ crescentis & adolescentis ingenioso lemmate. Dicitur enim foliolis seminalibus suis Botanica progerminasse penes Græcos; inter spolia, devicto *Mithridate*, qui plantarum heros exstitit, translata fuisse Romam; magnam illius non tantum in hoc orbis capite, sed & alibi, existimationem fuisse, utpote quæ in Asiam Arabiamque migraverit Seculo maxime duodecimo. Maturitatis terminos attingere cœpit decimo sexto septimoque æræ Christianæ Seculo, plurimisque verticillis excrescens hac, qua vivimus, ætate, uberrimo fructuum proventu superbit. Auream vocat hanc nostram eruditi orbis periodum, nominatque inter principes, qui hanc Medicinæ facem prætulerint, in Anglia *Rajum*, in Belgio *Hermannum*, in Gallia *Tournefortium*, in Germania *Rivinum*, quorum vestigia legunt celeberrimi hodienum, & faxit Deus! diu superstites, principes in re herbaria Viri, in Anglia *Dillenius*, inter Batavos *Boerhavius*, cui Cl. *van Royen* merito ad latus ponimus, Virum, cui Lipsienses horti plurimum debent; in Italia *Michellus*, *Montus*, *Pontedera*, & *Zanichellus*, in Gallia *Jussavii* fratres, *Chicoinavius*, nec obscuri nominis inter nos quidam. Celebrat Doctiss. Autor Clarissimum cumprimis *Burmannum*, quo obstetricante pulchrum huncce ingenii fœtum in lucem edidit. Methodum in recensendis rei herbariæ Autoribus talem, quæ naturali proxima est, instituit, antiquos primo loco enumerans, quos vocabulo, cultum, quem statoribus artis debemus, declarante, Patres appellat. Hos omnes habet, quicunque ad devictam usque barbariem, omnium scientiarum & ipsius Botanices juratam hostem, scriptis inclaruerunt, etsi virtutum, quam plantarum, studiosiores exstiterint. Præcedunt Græci, sequuntur Romani, inde Asiatici, barbarique, in scenam educuntur. Uniuscujusque vita, ætas, qua vixit, scribendi ratio, editiones, quotquot prostant, vel ad notitiam Autoris ullo modo pervenire potuerunt, erudite & studiose, sed & breviter, indicantur. A *Stagirita* dicendi initium factum, in quem commentatus est *Julius Cæsar Scaliger*.

liger in *Commentario in libros Aristotelis de Plantis*, *Genev.* *1566, fol.* Si quid tamen fragmentorum *Aristotele* antiquiorum ex *Chironis Centauri* & *Æsculapii* schola a *L. Apulejo Madaurensi* collectum fuit, id ipsi potius *Apulejo* attribuendum esse censet. Multo minus *Homerum*, etsi quædam de moly tradiderit, eapropter Botanicis accenset, sed ea saltem curat, quæ spurii suspicione prorsus carent, & quæ ex instituto Botanici argumenti sunt, scripta. Inde *Hippocratem* leviter saltem attingit, quod, nisi quantum a *Crateva* suo acceperat, herbarum vires parum declaraverit. Inter Romanos agriculturæ & rei herbariæ studia cum exstiterint conjunctissima, facere haud potuit, quin Rei Rusticæ Autores, quorum omnium novissima & satis elegans editio curante *Gesnero* hic Lipsiæ nuper prodiit, insimul adduceret. Hos imitatus est inter recentiores *Joannes Colerus* in Oeconomia rurali & domestica, Francof. 1692, fol. *Carolus Stephanus*, *Carolus Libaltius Hochbergius* in Georgia curiosa aucta *Tom. III* Norinb. 1695, 1716, *fol.* aliique. Annotandum ante omnia, ne quis, re minus perspecta, omissorum quorundam ex antiquitate librorum reum faciat Nostrum, *Jubæ*, Regis Mauritaniæ, de Euphorbio, & *Antonii Musæ* de Vetonica, libellum, quærendum esse inter monographos, qui unius cujusdam plantæ historiam condere susceperunt. Neque vero antiqui Autores tantum suos invenerunt Commentatores, sed & nostræ ætati propiores. Sic in *Matthiam Lobelium* commentatus est *Christoph. Plantini* in Stirpium iconibus secundum ordinem *Lobelii*, qui habetur inter usitatissimos *pag. 21*. *Plinianis* vero si placeret Germanicam librorum ejus versionem, quæ exstat *Francof. 1584. fol.* addere, elucescere exinde poterat, qua dignitate hic Autor elatus sit ante hæc tempora inter omnes. Tantæ utilitatis visus est *Mathioli* in *Dioscoridem* Commentarius, ut *Camerarii* opera Bohemico etiam idiomate prostet: *Joachima Kameraria Herbar aneb Bylinar*, Francof. 1596, *fol.* Particularium Autorum Collector perindustrius is exstitit. Post alios, & Cl. *Josepho Monti* magna in disponendis graminibus gratia habetur, qui in Prodromo suæ Historiæ Bononiensis, *pag. 131* recensitæ, haud male commentatus est. Cum

jucunditate legi poterit inter Autores arborum *Rudolphus Eyssonius* in Sylvæ Virgilianæ Prodromo, seu de Arboribus glandiferis, Groning. 1695, 12. Monographis addi possent quidam, *Bontekoe het excellentste kruydt Thée, in s' Gravensh. 1686, 8*, itemque *Stephani Blanckaart Gebruick en Misbruick van te Thee, in s' Gravensh. 1686.* Curiosissimus etiam est Tractatus *Conradi Gesneri* de admirandis herbis Lunariis, Hafn. 1669, 8, ejusdemque de Plantis a Divis Sanctisque nomen habentibus, Bas. 1591, 8. Inter eos, qui minus cognitas plantas descripserunt, locum habet *Pauli Ammanni* Character plantarum naturalis a fine, nempe fructificatione, desumtus, Lipf. 1685, 12. Catalogis horti Acad. Lugd. Batavorum, *pag. 71* recensitis, addendus est, quem *Adolphus Vorstius* A. 1643, 12, edidit; neque male anatomiam plantarum percensuit *Theodorus Schoon* in libro *Waare Oeffening der Planten, in s' Gravensh.* 1692, 8, sicut inter hortulanos non obscura nomina sunt *Falda*, qui Romæ hortos, *de la Quintinye*, qui Galliæ, *Hagenbachius*, qui Germaniæ nobiliores hortos descripserunt. Fœminas quasdam habuimus eruditas, plantarum studiosas, *Mariam Sibyllam Merian*, & *Sibyllam Græfiam*, quarum labores laude indigni censendi non sunt, quamvis pro suo ingenio muliebriter egerint. Expectamus utilissimi libelli, quam doctissimus Autor literis humanissimis, ad nos datis, promisit, novam editionem, hac auctiorem futuram. Sicut in causa propria meticulosiores esse solemus, sic, iniquorum censuram cum prævideret Vir optimus, quam a bonis suspicari non debebat, sequentem ad F. O. M. Collegam nostrum, exarare Epistolam dignatus est: *Ante dies aliquot Amstelodamum rediens, ab amicissimo nobis d'Orvillio, Tractatulum hem meum, Bibliotheca Botanica & Fundamenta Botanices dictum, ad manus tuas demandatum fuisse, percepi, unde mihi necesse sit, antequam sententia dicatur, si non argumentis, tamen precibus, apud Judices justissimos causam meam excusare. Exantlatis pluribus annis peregrinationibus continuis, Lugdunum perveniens, suasu Medici cujusdam clarissimi, Amstelodamum petii, ut schedulas meas in ordinem redigerem, & editori*

tori committerem, atque inde quam primum abirem. Charta mea tradebatur transſcriptori & typographo, utrique rudi; correctori negligenti commitebantur emendationes, & ſic prodiit opuſculum; interdum una correctura, interdum nulla, ad me mittebatur, Lugduni, vel ruri, degentem, &, ſi quæ correxi, a typographo non emendata fuere. Abſoluto libello Amſtelodamum rediens, optaſſem omnia exemplaria proprio redimere ære, ſed, quod maxime doleo, ante dies aliquot fuere ad maximam partem diſtributa, & ſic ſpes ultima mihi excidit. Veſtrum jam ſubiturum juſtiſſimum judicium, facile prævideo. Ut itaque mihi non adſcribantur errores iſti ſtili, eſt, quod unice expoſtulo, peto, apprecor. Sit mihi, quæ ad ſcientiam ſpectant, ſumma juſtitia, Veſtrum lubens ſubibo judicium; ſit mihi gratia ſummorum Virorum in eis, quæ ad literas pertinent; & contumelia hæc memet non frangat, ſed erigat. Et, ſi per annum vixero, editionem Bibliothecæ, & Fundamentorum meorum emendatam & emaculatam promitto.

OBSERVATIONES IN THEONIS FAſtos Græcos priores, & in ejusdem Fragmentum in expeditos Canones. Accedit de Canone Regum Aſtronomico, ejusque autoribus, editionibus, MStis, Diſſertatio, in qua duplex Canon nunc primum editur ex Codice MSto Lugduno-Batavo.

Amſtelodami, apud Jo. Boom, 1735, 4.
Alph. 2 plag. 1.

Duos hos Tractatus Autor Anonymus, horis ſucceſivis, jam a longo tempore conſcribere incepit. Qui, ſi aliquanto prius vidiſſet *Ptolemæi* de hypotheſibus planetarum libellum, & inprimis Codicem MStum Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, quædam forte concinnius tractaſſet, & ab erroribus ſibi caviſſet, quos nunc, cum Opus denuo refingere, propter ætatem, nollet, adjectis paſſim annotationibus, corrigere inſtituit. Prior Tractatus verſatur circa duo *Theonis Alexandrini* ſcripta, a

Dodwello,

Dodwello in Appendice ad Dissertationes *Cyprianicas* primum edita. Horum alterum Fastorum nomine venit, sed re vera est Κανόνιον, sive Tabula Astronomica, inserviens ad annum, mensem, diem, in *Alexandrinorum* anno fixo datum, reducendum ad annum, mensem, diem, in Ægyptiorum anno vago quæsitum, dato respondentem. Alterum vocatur *Theonis* Fragmentum, estque Caput primum Commentarii *Theonis* in expeditos Canones. Ad hæc scripta illustranda, varia affert Autor, lectu non indigna. Sed copiosior est in altero Tractatu, sive Dissertatione, de Canone Regum Astronomico. Quæ Dissertatio divisa est in *Partes sex. Prima* indicat, quinam recentiorum & veterum de hoc Canone egerint, editionesque & Manuscripta ipsius Canonis recenset. *Altera* notitiam hujus Canonis ex variis Autoribus, *Ptolemæo*, *Theone*, *Syncello*, *Calvisio*, *Bainbrigio*, *Petavio*, *Dodwello*, exhibet. *Tertia* agit de variis, quæ in hoc Canone occurrunt, epochis, sive æris: nempe de æra *Nabonassari;* de æra *Philippi*, ab *Alexandri Magni* morte; de æra *Augusti*, a morte *Cleopatræ;* de æra *Diocletiana:* quarum priores *Ptolemæum* autorem habere, non satis firmis, ut arbitramur, argumentis, Anonymus noster sibi persuadet. Idemque hoc loco, postquam multis rationibus ostendere laboravit, *Ptolemæum* non esse Autorem expeditorum canonum sive tabularum, quæ tamen illi a plerisque viris doctis tribuuntur, tandem se ipsum refellit, ex ipsius scilicet *Ptolemæi* libro de planetarum hypothesibus, & ex Codice MSto Lugduno-Batavo, doctus, istas expeditas Tabulas utique esse *Ptolemæo* adscribendas. *Pars quarta* Dissertationis agit de Canonis Regum Astronomici Autoribus & concinnatoribus. Atque hic iterum Noster, quod antea magno opere negaverat, postremo ipse amplectitur, illum Canonem a *Ptolemæo* constructum, & deinceps ab aliis continuatum esse. *Pars quinta* formam exponit canonis laudati: quæ ita se habet. Reges Babylonici, inde a *Nabonassaro*, porroque Persici & Ægyptiaci, tandemque Imperatores Romani, ordine recensentur, notatis, & in alia columna collectis, annis integris, quibus imperarunt. Quamobrem illi omittuntur, qui non integro

anno

anno in imperio fuerunt. Annus adhibetur *Ægyptiacus* vagus, diebus constans 365, absque quadrante. Dies a meridie inchoantur: totusque Canon incipit a meridie diei primæ mensis Tthoth, anni primi *Nabonassari*. Hinc usque ad excessum *Alexandri* colliguntur anni 424: inde vero usque ad mortem *Cleopatræ* anni 294. Restat *Pars sexta* Dissertationis, quæ recensendo codici MSto Lugduno-Batavo (quem, circa initium, ut videtur, Seculi noni in pergamena scriptum, ex Oriente advexit *Jac. Golius*,) destinata est. In hoc Codice cum aliæ quædam Tabulæ comprehenduntur, tum etiam duplex Canon Regum Astronomicus: quorum alter ad *Phocam* Imperatorem, alter ad *Michaelem* usque continuatur. Utrumque descripsit *If. Vossius*, omissis tamen annotationibus marginalibus, quibus non magnum pretium statuisse videtur. Atque hoc *Vossii* Apographo diligenter usus est *Dodwellus*, variasque ex eo lectiones adduxit in suis ad Canonem (ex MSto *Saviliano* editum) notis. Noster ex Codice commemorato integrum utrumque Canonem nunc edidit, & nonnulla animadvertit, quæ non plane nullius momenti esse existimamus.

COMMERCIUM LITERARIUM, AD Astronomiæ incrementum inter hujus scientiæ amatores communi consilio institutum. Tomus I. Autore MICH. ADELBULNERO.

Norimbergæ, ex officina Adelbulneriana, 1735, 4.
Alph. 1 plag. 8, cum Tabb. æn. 4.

Societati Regiæ Berolinensi dedicatus est Liber, quem & chartæ & typorum nitor oculis, multa vero in eodem contenta animis, Lectorum commendant. Cum nobis singularia nonnulla de exortu hujus Commercii nota sint, ea hic publicare, non abs re arbitramur. Anno nempe 1733 D. *Andreas Celsius*, Astronomiæ in Academia Upsaliensi Professor, nec non Societ. Scient. Regiæ Suec. Secretarius, iter per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliamque, instituens, Berolini magnam Solis eclipsin d. 13 Maji postquam observarat, Lipsiam,

dein Norimbergam, veniebat. Ibi Commercium literarium Phyſico-Technico-Medicum ſalivam ei movebat, adeo, ut de pari Aſtronomico meditaretur. Cl. *Doppelmayerus*, ut nobis certiſſime conſtat, diu jam ideam talis Commercii animo conceperat, tunc vero temporis totus Phyſicæ ſuæ experimentali incumbens, nil de eodem cum quoquam communicarat. *Celſius* interea, menſem integrum Norimbergæ degens, Virum hortari haud deſiſtebat, exequeretur propoſitum, cujus utilitas non niſi maxima eſſe poſſet. Sed videns, Cl. *Doppelmayerum* non fere, niſi de Phyſica, ac Atlante cœleſti, meditari, tandem cum *Adelbulnero* colloquebatur. Hic, Aſtronomiæ impenſe deditus, & patriam ad manus habens typographiam, arripuit occaſionem lubens gaudensque, de amato ſtudio bene merendi, & invitationem ad Aſtronomos forma 8, quæ non ita multo poſt denuo edita eſt forma 4, publicavit. Cl. *Doppelmayerus*, ſibi injuriam hinc illatam, ac meditationes ſuas ab alio occupatas, judicans, hanc invitationem nullo modo approbabat, ideoque nullum fœdus cum Autore inire volens, omnem amicabilem compoſitionem fugiebat, de qua Lipſienſis nonnemo, & cum *Doppelmayero*, & cum *Adelbulnero*, commercium literarium habens, valde, ſed fruſtra, laborabat. Geſta hæc menſibus *Julio*, *Auguſto*, ac *Septembri*, dicti anni. Sed, quanquam Cl. *Doppelmayerus* non ex partibus Cl. Editoris ſtaret, tamen, multos fautores inveniente Commercio, d. 22 Octobris dicti anni plagula prima publicabatur, quam anno hoc, & ſequenti 1734, aliæ XX inſecutæ, *primum* conſtituunt *Tomum*. Cum de tali ſcripto, cujus ſingulæ plagulæ multos diverſosque continent Articulos, vix dare recenſionem liceat, in genere hæc dicimus. Inſtitutum laudandum, utiliſſimum, ac, ſi fieri poteſt, nunquam interrumpendum, bene ab Editore confectum videmus. Multi, iique laudatiſſimi, Viri ſymbolas ſuas conferunt ad continuandum Commercium. Ex Italia præcipue nova nonnulla advecta, quorum alias non tam cito ad nos perveniſſet notitia; atque ex R. P. *Nicaſii Grammatici*, S. J. communicatione elegantiſſimæ, apud Sinas habitæ, Obſervationes exhibentur, quarum tamen modo

do dictus Pater jam antea nobis ipsis copiam fecerat. Optamus igitur, ut, quo cœpit, tramite diu feliciterque continuetur Commercium, certo persuasum nobis habentes, quotquot vero Astronomiæ ardent zelo, multas Cl. Editori gratias habituros. Non tamen nobis vitio vertet, si de levioribus nonnullis, non ex omnium gustu, quod nobis videtur, futuris, amice ipsum candideque monuerimus. E. g. ex Calendario Astronomico Berolinensi, quæ quovis mense in cœlo observanda sint, exhibet; quod institutum, cum illud Calendarium ad paucorum manus veniat, omnino laudandum foret, modo illa cito satis hic invenirentur. Jam vero, cum raro mense antecedente, sæpius currente jam, ea publicentur, quæ hoc ipso mense observanda sunt, ea quidem Norimbergensibus nova sunt & utilia, alibi vero viventibus tunc modo innotescunt, cum, finito jam mense, nil amplius ad observandum conferunt. Plus enim sæpe rei Astronomicæ interest, nosse, quæ observanda adhuc sint, quam quæ observanda fuerint. Mirantur & nonnulli, ex *Novis literariis Lipsiensibus* multa excerpi, cum tamen in Præfatione *pag.* 2 Cl. Editor nominatim ea, quæ in *Actis Eruditorum*, vel in aliis lingua nota scriptis, aut ubique exstantibus libris, exhibentur, exclusa voluerit. Sed, uti jam monuimus, levia hæc sunt, quæ bono, imo optimo, instituto parum, vel nil omnino, detrahunt. Quæ numero toto XII *pag.* *93* usque ad *168* continetur Dissertatio Astronomica, de ratione corrigendi typos & calculos eclipsium solis & lunæ, ob figuram telluris non sphæricam huc usque adhibitam, sed sphæroidalem, Autorem agnoscit eruditissimum Virum, *Nicasium Grammaticum*, qui hujus Dissertationis specimina jam nonnulla prægustanda nobis dedit in literis d. 17 Julii 1733, occasione Dissertationis cujusdam de istius anni eclipsi Solis, ad nos exaratis, quæ lucubratio, cum & forma Tractatus ex typographia *Adelbulneri*, eodem tamen & chartæ & typorum nitore, prodierit, nobis forsan alio tempore plura dicendi occasionem præbebit. Ut vero Lector sciat, quæ in hoc Commercio quærenda, ex Præfatione hæc Cl. Autoris verba adjicienda videntur: *Commercium Astronomicum comprehendet*


det omnis generis Observationes Astronomicas, de luminarium eclipsibus, de immersionibus & emersionibus satellitum, inprimis Jovis, de occultationibus fixarum, & insignibus planetarum congressibus, de cometis, de stellis novis &c. dein inserere libet monita, vel invitationes Astronomorum, ad observationes quasdam peculiari studio instituendas. Nec ingratum fuerit in illo quoque calculos de insignibus phænomenis in cælo futuris mature indicare, in eorum præcipue, qui ephemeridibus motuum cælestium destituuntur, gratiam. His denique adjungentur recensiones librorum Astronomicorum typis exscriptorum, ut quisque sciat, quid in Astronomicis actum, vel peractum sit. Uno verbo, in plagulis hisce nuntiabuntur, quæcunque ad Astronomiam referri posse videntur. Hæc huc usque Autor bene præstitit, ac, ut speramus, in dies melius præstabit.

NOVA LITERARIA.

Jo. Meursii, Viri Clarissimi, Opera ea apud omnes præstantia atque eruditione censentur, ut pro inutili ac supervacaneo haberi possit, illa in præsentia laudibus efferre, & cultis doctisque hominibus commendare. Unum tantum eorum gloriæ, ac literatorum virorum usui & commoditati, deesse videbatur, & id quidem ab universis exoptatum vehementer, ut omnes videlicet Viri adeo excellentis & incluti lucubrationes, in unum corpus collectæ, chalcographico opere publici juris iterum fierent; &, quæ dispersæ antea, & inventu partim, partim comparatu, difficillimæ fuerant, facili quis negotio in posterum posset acquirere. Id quidem cum animis suis versarent, & crebris doctorum, & optime de literis meritorum, hominum suasionibus excitarentur, nobilissimi urbis Florentinæ Typographi, *Jo. Cajet. Tartinius*, & *Sanct. Franchius*, duram arduamque provinciam susceperunt, & ad universa, quotquot exstant, *Jo. Meursii* Opera, in justum Voluminum corpus inclusa, denuo typis excudenda se composuerunt. Quæ editio ut locupletissima & omni ex parte instructissima evaderet,

deret, nulli labori aut impensæ pepercerunt, ut, si qua *Meursii* Opera ἀνέκδοτα alicubi delitescerent, tempestive hæc sibi compararent, sive Commentarii essent, sive Epistolæ, sive quicquid aliud ad ejus vitam Operaque illustranda pertinere videretur: quo vero ornatissima etiam & luculentissima esset, & vitam Autoris accuratam, & Præfationes eruditas, & Scholia perpetua, & opportunas castigationes, & crebra antiquitatis venerandæ monumenta, partim quidem alias a viris eruditissimis edita, partim vero nunc ab ipsis primum æri incisa, & publica luce donata, seu statuas, seu anaglypha, seu gemmas, seu nummos, seu ædificia, velitis, & Tabulas Geographicas, & urbium imagines, & Indices plures, eosque copiosissimos, adjicere non omiserunt. Quæ quidem omnia *Jo. Lamius*, Vir Clarissimus, in perillustri Florentina Academia publicus Historiæ Ecclesiasticæ Professor, & Bibliothecæ Riccardianæ Præfectus, vel conquisivit diligenter, vel haud incuriose elaboravit, atque perfecit. Eam autem in hac editione viam ac rationem sibi ineundam arbitrati sunt Editores, ut omnia quidem Opera in plures *Tomos* forma *folii* distribuerent, eademque insuper ita in certas classes distincta seponerent, ut, quæ solida atque integra *Meursius* marte suo elucubrasse, atque absolvisse, cognoscitur, primum locum obtinerent, secundum vero illa, quæ, cum alienæ Commentationes essent, nostri tamen Autoris studio in aliam linguam translata, aut castigata, aut explicata sint atque illustrata. Ea, quæ primi generis sunt, ita rursus divisa ac distributa fuere, ut res Græcorum alias præcederent, & quidem certo inter sese ordine; deinde Romanæ consequerentur; tandem subjicerentur ea, quæ vel varii argumenti sunt, vel recentioris historiæ monumenta complectuntur. Quod vero secundi generis Opera attinet, sacris & ecclesiasticis Scriptoribus primas detulerunt; deinde profanos collocarunt; & hos inter Græci quidem Latinis anteferuntur. At, cum horum Scriptorum plerisque nihil aliud *Meursius* contribuerit, quam Scholia quædam, & Animadversiones, nec ab eo primum editi fuerint; ne Opus in immensum excrescat, & emtores impensa inutili onerentur, eorum

ud. A. 1736 Mens. Mart. p. 131.



que incurvari possit. Nunc ex urbe rus eundum, atque observatorium *Ræmeri* Tusculanum contemplandum est. Tugurium illud vocat Cl. *Horrebowius*, pedes 17 longum & latum, in loco paulo eminentiore patentis planitiei exstructum, & a turri Astronomica Havniensi uno minuto temporis versus occasum distans. Pavimentum ad unum fere pedem infra ipsam terræ superficiem depressum, parietes vero cum tecto, rima continua, 4 pollices lata, ita dissecti sunt, (aliquot tantum trabeculis ferreis cohærentes,) ut tubo machinæ primariæ circumvoluto totus meridianus ab horizonte australi ad borealem pateat. Machinam illam schematismus sistit. B rota meridionalis est, in cujus limbo sextantes graduum accurate notati sunt. C axis crassus, e bracteis ferreis conflatus, & utrinque in conum solidum terminatus, matricibusque orichalcicis exceptus: DA tubus 5 pedes longus, filis bombycinis & theca luminosa instructus: F microscopium. Atque hæc hoc loco ex Opere præstantissimo delibasse sufficiat. Tab. IV.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE &c.

h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERrimorum in Republica literaria Virorum inservientes. Accedunt Catalogi librorum, a singulis editorum, de iisque judicia.

Tomus XXIV & XXV.

Lutetiæ Paris. apud Briassonium, 1733 & 1734, 12 maj. Tomus quisque habet plag. 18, totidemque plag. dim.

Primum in *Tomo XXIV* locum tenet Vita *Matthiæ Flacii*, m. 1575 d. 11 Martii, quam Cl. Autor more descripsit suo. Eruit scilicet memorabilia de hoc hæretico, quem vocant Romanæ Ecclesiæ addicti, e scriptis nostratium, non e libris hostium,

 atque

atque ita se gerit, ut, ipsum *ἄνευ παθῶν* & sine odio Theologico vitas Theologorum describere, appareat. Sequitur *Jo. Hieronymus Zannichellius*, pharmacopola Venetus, factus dein Doctor Medicinæ, Ducisque Parmensis Chymicus & Chirurgus, m. 1729 d. 11 Januarii. *Opera* ejus *Botanica posthuma* prodierunt A. 1730. Addimus his novum Opus posthumum, *de Plantis, circa Venetias nascentibus*, anno demum superiore a filio, *Jo. Jacobo*, editum, & in *Actis Mensis Febr.* hujus *Anni* laudatum. *Petrus Belonius*, Medicus Parisinus, confecto per Orientem itinere clarus, m. 1564. Noster eum defendit contra *Sammarthanum*, qui *Elog. Lib. 1 Cap. 11* ipsum egit reum plagii literarii. *Gilbertus Cognatus*, famulus prius, deinde familiaris & amicus *Erasmi*, m. 1567, cujus Opera sunt edita Basil. A. 1562. *Sethus Wardus*, Anglus Episcopus & Mathematicus, m. 1689 d. 6 Januarii. *Quirinus Reuterus*, Professor Heidelbergensis, m. 1613 d. 22 Martii. *Germanus Audebertus*, Poeta, m. 1598 d. 24 Dec. *Richardus Vitus Basingstochius*, Juris Prof. in Acad. Duacensi, m. 1612, qui A. 1568 edidit Commentarium in Bononiense Epitaphium, cui titulus: *Ælia Lalia Crispis*, ac deinde *Historiam Britanniæ*. *Angelicus Aprosius*, monachus Augustinianus, m. 1680. Inter ejus libros eminet *Bibliotheca Aprosiana*, quam nuper in Germania edidit, sed meliorem redactam in ordinem, iisque, quæ inutilia videbantur, recisis, Celeb. Hamburgensium Theologus, *Wolfius*. *Justus Lipsius*, m. 1606 d. 23 Martii. *Matthæus Polus*, editor *Synopseos Criticorum sacrorum*, m. 1679. *Thomas Muffetus*, Anglus Medicus, m. 1600. *Ægidius Corrozetus*, Parisiensis, m. 1568 d. 4 Julii. *Honoratus Racanus*, Poeta Gallus, m. 1670. *Petrus Patrixius*, Poeta, m. 1671 d. 6 Oct. *Joannes Nevizanus*, JCtus Taurinensis, m. 1540. *Nicolaus Boilæus*, Satyricus clarissimi nominis, m. 1711 d. 13 Martii: de cujus vita & scriptis percopiose hic loci agitur. *Ægidius Boilæus*, prioris frater, item Poeta, sed longe minor, m. 1669. *Jo. Baptista Valincurtius*, m. 1730 d. 4 Jan. Inter ejus scripta excellit *Vita Francisci, Ducis Guisii*. *Casp. Waserus*, Theologus Tigurinus, m. 1625 d. 9 Nov. *Hieronymus Aleander*, Nuntius Papæ in Comitiis Wormatiensibus anni

1521,

1521, & magnus hostis *Lutheri*, tandem Cardinalis factus, m. 1542 d. 1 Febr. *Hieron. Aleander*, junior, m. 1631; *Antonius Verderius*, m. 1600 d. 25 Sept. *Claudius Verderius*, ejus filius, m. 1649. Ejus *Censio in Autores pæne omnes* a Nostro habetur pro declamatione superbi juvenis, nonnihil eruditionis, perparum judicii, habenti. *Franciscus Crucimanius*, quem *Bibliotheca Gallica* nobilitavit, m. 1586, mense Novembri. *Carolus Datus*, Florentinus, m. 1675. *Joannes Boterus*, Secretarius S. *Caroli Borromæi*, cujus notæ sunt *Relationes de præcipuis Rebuspublicis*, m. 1608. *Joannes Ruxelius*, Poeta & JCtus Cadomensis, m. 1586 d. 5 Sept. *Claudius Seyssélius*, Episcopus Massiliensis, deinde Archiepiscopus Taurinensis, m. 1520 d. 31 Maji. *Jacobus Cavicæus*, m. 1511 d. 3 Junii. *Fulvius Ursinus*, m. 1600 d. 18 Maji. *Jacobus Quetifius*, qui Scriptores ordinis Dominicani recensuit singulari libro, quem A. 1721 *Jacobus Echardus* una cum accessionibus edidit suis, m. 1698 d. 2 Martii. *Amabilis Burzæus*, insignis Theologus polemicus, m. 1672 d. 2 Augusti. *Marcus Velserus*, m. 1614 d. 13 Junii. *Ludovicus Doni D'Attichi*, Episcopus Gallus, m. 1664 d. 2 Julii. *Vincentius Viviani*, m. 1703 d. 22 Sept. Observamus tamen, nullam hic fieri mentionem *Vitæ Galilæi*, a *Viviano* illo copiose & peraccurate descriptæ, quam A. 1717 in *Fastis consularibus Academiæ Florentinæ* edidit *Salvinius*, quamque Germanicum in sermonem conversam legimus in *Actis Philosophorum Heumannianis*, & quidem in tertio eorum *Tomo p. 261 seq.* Ultimum hic locum occupat *Michael Menotus*, celebris concionator Gallus, m. 1518. Extant ejus Conciones, e quibus fragmenta complura hic exhibentur, non pietatis igniculos excitatura, sed risum contemtumque.

Subsequenti *Tomo*, qui *vigesimus quintus* est, primo laudatur *Guilielmus de Catel*, *Historiæ Comitum Tolosanorum* conditor, m. 1626 d. 5 Oct. vel eo nomine singulari memoria dignus, quod primus historiam confirmavit diplomatibus. *Andreas Rossottus*, monachus Romanus, m. 1667, *de Scriptoribus Pedemontanis*, inter quos ipse est, librum edidit. *Petrus Morinus*, Professor Academiæ Vaticanæ, m. 1608, cujus Opera demum A.

1675 ſunt edita. Edidit ipſe Romæ A. 1587 *Vetus Teſtamentum juxta Septuaginta, cum variis lectionibus*, & A. 1588 hujus Græcæ verſionis verſionem Latinam, & A. 1590 *Biblia vulgatæ editionis, a Sixto V recognita & approbata.* Poſtremum opus cum propter ſphalmata typographica ſuppreſſum fuerit, nata hinc ejus raritas effecit, ut aliquando venderetur quadringentis & ſeptendecim nummis Imperialibus. *Philippus Labbeus*, Jeſuita, m. 1667, d. 25 Martii. *Torquati Taſſi*, Poetæ illuſtriſſimi, vita multis hic deſcribitur *p. 43-69*, & hinc de ſcriptis ejus diſſeritur usque ad *p. 92.* Mortuus is eſt A. 1595 d. 25 Aprilis, maximos nactus Mæcenates, ſed ob ſummam melancholiam admodum infelix. Ejus *Amyntæ*, quæ Comœdia paſtoralis eſt, exſtant verſiones Latina, Gallica, Anglica, Hiſpanica, Belgica: quod idem & aliis ejus poematibus accidit. *Hermannus Buſchius*, m. 1534. *Georgius Mackenzie*, Scotus, m. 1691 d. 8 Maji, diſcernendus ab illo *Georgio Mackenzie*, qui A. 1708 & 1711 duo Volumina edidit *de Vitis Scriptorum Scotiæ. Gabriel Madeleneteus*, Poeta Latinus egregius, m. 1661 d. 20 Nov. *Joannes Reuchlinus*, m. 1522 d. 30 Junii. De *Vita Reuchlini*, a *Majo* ſcripta, Noſter judicat, Autorem hunc ſtudioſiſſime collegiſſe ea, quæ ad *Reuchlinum* pertinent, ſed neglexiſſe ordinem, prætereaque ſcatere digreſſionibus, denique non juſtam exhibuiſſe perfectamque notitiam editorum a *Reuchlino* librorum. *Jo. Albertus Campiſtronus*, Poeta Gallus, m. 1723 d. 11 Maji ex graviore ira, quæ ipſi apoplexiam attulit. *Baptiſta Guarinus*, Secretarius Status Ducis Ferrarienſis, m. 1612 menſe Octobri, ob comœdiam Italicam, quam *Il paſtor fido* inſcripſit, notiſſimus. *Jo. Antonius Viperanus*, Siculus, non, ut *Nic. Toppius* ſenſit, Neapolitanus, Epiſcopus Juvenacenſis in regno Neapolitano, m. 1610, menſe Martio. Ejus Opera tribus maximæ formæ Voluminibus edita ſunt Neapoli A. 1606. *Conſtantinus Cajetanus*, monachus Montis Caſſini, cuſtos bibliothecæ Vaticanæ, m. 1650 d. 17 Sept. *Thomas Rhoe*, Legatus Regis Angliæ *Jacobi I* ad Mogolem magnum, ad Imp. Turcicum, ad Imp. Romanum, ad Reges Poloniæ, Sueciæ,

Suecix, & Daniæ, m. 1644 d. 6 Nov. Edidit *Relationem de aulis Constantinopolitana & Mogolica. Thomas Morus*, m. 1535 d. 6 Julii. *Joannes Mairetus*, Poeta Gallus, m. 1660. *Jo. Mandevillius*, Anglus, magnus peregrinator Seculi XIV, mortuus Leodii A. 1372 d. 17 Nov. *Itinerarium* edidit, quod Autor noster ait perrarum esse nullo literati orbis incommodo, cum fabulis sit refertissimum. *Jo. Jac. Chiffletius*, non solum Medicus, sed etiam magnus Antiquarius, m. 1660. Tres reliquit filios, *Julium*, *Joannem*, & *Henr. Thomam:* quorum & hic vitæ librique commemorantur. Etiam de *Claudii Chiffletii*, m. 1580, scriptis hic fit mentio, itemque de *Philippo Chifletio, Jo. Jacobi* fratre, facto ad ultimum Archiepiscopo Vesontino; & de altero ejus fratre, *Petro Francisco*, Jesuita, m. 1682 d. 11 Maji, anno vitæ nonagesimo. *Leonardus Aretinus*, m. 1444. *Carolus Aretinus*, æque, ut prior, Secretarius Reipubl. Florentinæ, m. 1453. *Joannes Aretinus*, Secretarius *Nicolai* V, Papæ, m. 1466. *Jo. Herbinius*, m. 1676 d. 14 Febr. *Philippus Portæus*, m. 1606 d. 5 Oct. cujus elogium *Scævola Sammarthanus* non solum inter *Elogia Gallorum* exhibuit *Lib. V Cap. 8*, sed etiam in secundo *Lyricorum* suorum libro. *Zacharias Boverius*, monachus Capucinus, Genuæ m. 1638 d. 31 Martii. *Annales* ejus *Ordinis Minorum S. Francisci, qui Capuccini nuncupantur*, in linguam Gallicam, Italicam, & Hispanicam, traducti sunt, cum tamen fabulis scateant puerilibus. *Claudius Fauchetus*, cujus notæ inprimis sunt *Antiquitates Gallicæ & Francicæ*, m. 1601. *Petrus Pomponatius*, m. 1526 d. 1 Aprilis. *Guichardus Josephus Verney*, Medicus & Anatomicus præstans, m. 1730 d. 10 Sept. anno ætatis 82. *Paulus Jovius*, m. 1552 d. 11 Dec. *Philippus Beroaldus*, m. 1505 d. 17 Julii. *Philippus Beroaldus*, non filius, sed gentilis, prioris, m. 1518. *Nicolaus Rapinus*, m. 1609, mense Februario.

Libet ex hoc *Tomo* exhibere nostris Lectoribus vitam & historiam literariam famosi nominis, *Petri Pomponatii*. Natus is Mantuæ A. 1462 d. 16 Sept. patre cive gregario, statura erat adeo parva, ut vulgo vocaretur *il peretto*. Professor philosophiæ in Acade-

Academia Patavina multum sibi comparavit famæ & existimationis, conjecta in se publicis in disputationibus tela ab *Alex. Achillino* ingeniose & perfacete eludere solitus. Eidem *Achillino*, A. 1512 exstincto Bononiæ, (nam is illuc Patavio demigrarat,) in philosophica cathedra successit. Atque in hac urbe, quicquid edidit librorum, composuit *Pomponatius*. Ex tribus uxoribus non nisi unam suscepit filiam, cui dotem dedit duodecim ducatorum millia. Vita excessit anni 1526 mense Martio, ætatis anno sexagesimo quarto, & quidem, si *Paulo Jovio* credimus, ex morbo, quem stranguriam vel dysuriam vocant Medicorum filii. Cadaver ejus vectum fuit Bononia Mantuam, ibique patrio in solo humatum solenni ritu, idque auspiciis *Herculis Gonzagæ*, Cardinalis, qui fuerat ipsius discipulus. Dicamus nunc de libris ejus. A. 1514 *Tractatum* edidit, *in quo disputatur, penes quid intensio & remissio formarum attendantur, nec minus parvitas & magnitudo*: in quo sub examen vocat ejusdem argumenti librum, a *Richardo Suisseto* confectum. A. 1515 prodiit *Tractatus* ejus *de reactione*, cum appendice *de actione reali*. A. 1516 evulgavit *Tractatum* suum *de immortalitate animæ*. In hoc primo contendit, si ducem sequi libeat philosophiam, animam utique æque, ac corpus, mortalem esse, unaque cum corpore interire: certe incertissimum esse, utrum moriatur anima hominis, an sit corpori superstes. Confert igitur hanc disputationem cum quæstione de æternitate mundi, & utramque refert inter problemata, de quibus possit utramque in partem disputari probabiliter. Addit tamen, immortalitatem animæ statuendam esse ob testimonium Dei in N. T. exstans. Cum vero *Pomponatius* esset γνησίως *Aristotelicus*, creditus est cum suo *Aristotele* negare animæ immortalitatem. Hinc statim Venetiis vendi vetitus est hic liber, simulque carnificis manu combustus, & concionatores sacri publice declamitarunt adversus eum. Alii vero defensionem susceperunt *Aristotelis*, negantes ac pernegantes, eum hac fuisse in sententia, ut crederet, animas interire una cum corporibus. Ideo *Pomponatius* A. 1517 tribus libris constantem

emisit

emisit *Apologiam*, in qua contendit rursus, *Aristotelem* non statuisse immortalitatem animæ, addens, se tamen tanquam Christianum persuasum habere contrarium. Refert *Pomponatius*, Inquisitores Venetos librum suum Romam misisse ad *Petrum Bembum*, eumque rogasse, ut eum una cum Autore suo curaret anathemate notandum a Pontifice maximo; sed *Bembum* una cum Magistro Palatii judicasse, librum hunc non posse merito condemnari. A. 1519 *Pomponatius* edidit *Defensorium, sive Responsiones ad ea, quæ Augustinus Niphus adversus ipsum scripsit de immortalitate animæ. Niphus* scilicet superiori anno docuerat singulari libro, *Aristotelem* statuisse immortalitatem animæ. Contrariam hic sententiam tuetur *Pomponatius*, & ita in exitu libri hujus scribit: *Si Christus resurrexit, nos resurgemus. Si nos resurgemus, anima est immortalis. At, Christum vere a mortuis surrexisse, scimus ex tot sanctissimorum virorum testimonio, ex Ecclesia militante. Ergo vere anima est immortalis. Si cui vero hæc ratio non satisfacit, & existimat, esse insufficientem, fidem vilificat, neque meretur appellari Christianus. Nulla enim est efficacior.* Paulo post rogatu *Pomponatii* Theologus quidam Bononiensis Academiæ, *Chrysostomus Casaliensis, Pomponatium* pro veri nominis Christiano habens, edidit *Solutiones rationum animi mortalitatem probantium, quæ in Defensorio Pomponatii contra Niphum formantur.* Quem librum cum suo muniisset suffragio & Vicarius generalis Episcopi Bononiensis & Vicarius Inquisitoris, ac uterque pronuntiasset, *Pomponatium, posthabitis omnium Philosophorum deceptionibus, unicam & inviolabilem fidem profiteri*, tempestas illa sedata est. A. 1520 *Pomponatius* scripsit librum, quem anno demum 1556 emisit *Guilielmus Gratarolus, de naturalium effectuum admirandorum causis, sive de incantationibus.* Hoc in libro manifestum facit, se in fabellarum loco ponere, quicquid narrari solet de magis & sagis. Præterea statuit ibi, præditos esse quosdam homines virtute naturali patrandi miracula, multumque efficaciæ thavmaturgicæ tribuit imaginationi humanæ. Idem *Gratarolus*, qui discipulus

fuerat *Pomponatii*, A. 1567 edidit eundem *de incantationibus* librum una cum quinque *Pomponatii* libris *de fato*, *libero arbitrio*, *prædestinatione*, & *providentia Dei*. Ac A. 1525 prodierunt Venetiis *Pomponatii Tractatus mere Peripatetici de intensione & remissione formarum, ac de parvitate ac magnitudine; de reactione; de modo agendi primarum qualitatum; de immortalitate animæ; Apologiæ libri tres; Contradictoris Tractatus; Defensorium Autoris; Approbationes rationum Defensorii per Fratrem Chrysostomum; de nutritione & augmentatione*. Denique A. 1563 editæ sunt Venetiis *Pomponatii Dubitationes in quartum Meteorologicorum Aristotelis librum*. Ceterum, cum Noster *pag. 332* judicet, *Pomponatium* injuria accusatum fuisse atheismi, ejusque in libris nihil inesse, quod hanc speciem præbeat, qua in re secutus esse videtur autoritatem *Bælii*, quem tamen ipse *p. 350* ait minus accurate commentatum esse de *Pomponatio*, observamus, contrariam sententiam constabilitam esse in Cl. *Heumanni* nostri *Actis Philosophorum*, & quidem *T. II p. 336-380*.

RAYMUNDI DUELLII, CAN. REG. SAND-Hippolytensis, ibique Bibliothecarii, de Variis, iisque potissimum selectis, ad elegantiores literas pertinentibus, rebus, Lucubratio Epistolaris.

Norimbergæ, apud Jo. Ad. Schmidium, 1733, 4. Plag. 7.

Laudem meretur singularem Cl. *Duellius*, qui cimelia, quæ vel in itineribus suis comparavit, vel in Bibliotheca, cui præest, invenit, non sibi soli servat, aliisque nefarie invidet, sed ad communem studiosorum hominum utilitatem in lucem emittit publicam, atque sic mirifice profert literariæ civitatis terminos. Comparent in hac Epistola I Monumenta antiqua Celejensia viginti novem, & triginta tres Inscri-
Pag. 9. ptiones Romanæ, ex Ungaria Viennam translatæ. Ex Inscriptione decima discimus, in marmoribus scribi plerumque *filie*, non

non *filia*. Lapis ſextus, in Ungaria inventus, veram multorum opinionem, *Antonini Pii* Auguſti temporibus morem Auguſtos *Sanctiſſimos* ſalutandi introductum fuiſſe, confirmat. Pag. 16.
Cauſarum patronus, qui innocenter vivit, res fidei ſuæ commiſſas celeriter expediteque conficit, & manum mentemque a clientum opibus puram caſtamque ſervat,

rara avis, nigroque ſimillima cygno,

eſt, & in tanto improbiſſimorum rabularum numero inter miracula, quæ intra unius ſeculi ſpatium redire ſolent, collocandus videtur. Singularem itaque attentionem meretur Inſcriptio, quæ Angleriæ in horto Comitum *Borromæorum* conſpicitur, quam integram huc transſcribere operæ pretium judicamus: 29.

C. METELLIO C. FIL. POMP. MARCELLINO EQ. R. EQ. P.
IVDICI EXVDEC. INTER SELECTOS II VIR
Q. FLAM. DIVI TRAIANI PATRONO COLLEGIORVM
OMNIVM PATRONO COLONIAE FORO IVLII RIENSI
VM PATRONO CAVSSARVM FIDELISSIMO OB INSIGNEM
CIRCA SINGVLOS VNIVERSOSQVE CIVES INNO
CENTIAM AC FIDEM HOMINI OPTIMO CIVI ABSTI
NENTISSIMO COLL. FABR. DERT. PATRONO OB MERITA
D. D. D.

II occurrunt Lapides quinque Milliares, in eodem Cellejano diſtrictu reperti, tres Inſcriptiones Romanæ votivæ Italicæ, Ara votiva, in Italia conſpicienda, cum tribus aliis Inſcriptionibus Romanis. Succedit III Archivum Monaſterii S. *Ambroſii*, Mediolanenſis, & varia ad rem Diplomaticam illuſtrandam facientia. In monaſterio Sanctimonialium D. *Benedicti* ad S. *Antonini Variſii* membrana A. 1282 exarata cuſtoditur, in qua hæc verba leguntur: *Domina Abbatiſſa de conſenſu & affirmatione prædictarum Monialium & Converſorum.* Ex quibus conſequitur, Converſos non ſolum in eodem monaſterio vixiſſe cum Monialibus, per clauſuram tamen ſeparatis, verum etiam æque atque Moniales ipſas in faciendis ſtipulationibus concurriſſe. In charta A. 1252 data reperitur formula: *renuntiando omni exceptioni non numeratæ pecuniæ,* 32.

quæ raro & insolenter illa tempestate in membranis occurrit. IV de Humiliatorum ordine exstincto, & de numis quibusdam, differit. Numum, qui in Bibliotheca Bredensi asser-
Pag. 34. vatur, & adversa facie effigiem *Anniæ Faustinæ*, in aversa Imperatorem Conjugi manum porrigentem, cum hac epigraphe: *Concordia Augustorum*, in medio Astrum *Elagabali* repræsentat, spuriis accenset, & magis fusum, quam cusum, cre-
36. dit. *De* numis *Vetranii*, Imperatoris, æreis observat, raros esse, illos vero ex auro & argento rarissimis ubicunque terrarum annumerari. Affert postea Cl. Autor alium numum, rarum, &, quoad ipse scit, unicum, cujus adversa pars caput *Augusti* nudum, addito verbo: *Cæsar*, aversa vero Navim cum Victoriola & Epigraphe: *Marcus Agrippa Consul*, exhibet. Cusus hic numus fuit in memoriam victoriæ, confecto bello Siculo, opera *Agrippæ* A. U. C. 717 a *Sexto Pompejo* reportatæ, ob quam corona navali donatus fuit *Agrippa*. Illos itaque suaviter errare docet, qui, *Agrippam* ob pugnam Actiacam coronam navalem ab *Augusto* retulisse, sibi persuadent. V Idolum Ægyptiacum explicat. VI Catalogum Episcoporum Augustanorum ex MSto antiquo recitat, ritus Ambrosianos, Mediolani observatos, narrat, de prima Moralium S. *Gregorii* editione, quæ A. 1471 Noribergæ typis exscripta fuit, & aliis quibusdam Bibliorum & Patrum editionibus, Sec. XV impressis, & in Bibliotheca San-Mauriana exstantibus, agit, ac denique calicem, ex quo tempore S. *Ruperti*, Salisburgensis Episcopi, sanguinem Domini laici biberunt, describit.

ELOGIUM JO. SALOMONIS BRUNQUELLI, JCti Gottingensis.

Evolavit ad Superos, & terrenam caducamque vitam cum sempiterna incomparabilique felicitate commutavit, *Jo. Salomo Brunquellus*, JCtus pius, doctus, & insignis integritatis laude clarus, atque universæ civitati literariæ tristem nominis sui memoriam reliquit. Primum spiritum excepit Quedlinburgi die

die 22 Maji anni superioris Seculi supra nonagesimum tertii, patre *Jo. Henrico*, scholæ illius doctore publico, matre *Barbara Dorothea*, nobili *Michaeliorum* in ea urbe gente oriunda. Puerum & optimus parens, & *Tobias Eckardus*, ludo illi præfectus, & perplurimis selectioris doctrinæ monumentis editis percelebris, liberalibus & ingenuis artibus summa cum cura imbuerunt. Eo quidem felicis industriæ successu, ut anno hujus Seculi duodecimo eum & literis ornatum, & probatum obsequio, Jenam ad majorem ingenii cultum capessendum commigrantem, læti laudantesque dimitterent. Vix cultissimam illam literarum sedem salutaverat, cum moribus suis venustissimis & ad omnem suavitatem compositis amicitiam sibi conciliaret Virorum præstabili doctrina & fide singulari conspicuorum, *Jo. Jac. Syrbii*, *Ephraimi Gerhardi*, *Burch. Gotthelff Struvii*, *Barthol. Richardi*, *Martini Schmeizelii*, &, quem primo loco nominare fas erat, *Gottlieb Stollii*, Viri, quod unum elogium omnes laudes superat, vere sapientis, a quorum latere nunquam nisi melior, nisi doctior, recessit. Sed, cum Themidos sacris sese totum consecrasset, adiit sanctissimos præstantissimosque divinæ Themidos mystas, *Ephraimum Gerhardum*, *Jo. Phil. Slevogtium*, *Christianum Wildvogelium*, *Jo. Bernhardum Frisium*, *Jo. Christianum Schrœterum*, jam omnes ad meliorem vitam evocatos, &, qui unus ex iis superest, *Guil. Hieronymum Brucknerum*, Virum JCtis nostris in exemplum proponendum, &, illorum institutione adjutus, præclaras in Jurisprudentia progressiones fecit. Triennium exegerat Jenæ *Brunquellus*, cum, Athenarum nostrarum fama allectus, se huc conferret, & se in disciplinam peritissimorum probatissimorumque doctorum, *Lüderi Menckenii*, *Frid. Philippi*, & *Caroli Ottonis Rechenbergii*, Viri omni elogio digni, sed omni majoris, traderet, & insignem inde perciperet utilitatem. Jam in patriam revertebatur *Brunquellus*, virium facturus periculum, & per aliquod temporis spatium, quæ res in tanta ætatis nostræ infelicitate rara & portento similis videtur, cunctas boni, honesti, & religiosi, causarum oratoris partes sedulo atque studiose implebat. Neque tamen aureæ, uti plerisque nostris hominibus

videtur, praxi ſeſe adeo mancipaverat, ut honeſtam illam, quæ ex elegantioribus literis percipitur, voluptatem abjiciendam eſſe ſtatueret. Quapropter Seculi hujus anno decimo ſeptimo cum *Henrico Caſpare ab Uslar*, cujus moribus regendis præfectus erat, ad veteres ſuas delicias Jenam rediit, ſtudia ſua, quæ nunquam intermiſerat, recolenda ſumſit, & anno hujus Seculi vigeſimo pulcherrimum laborum ſuorum fructum ſupremos in Jure utroque honores retulit. A quo tempore aſſiduas recitationes in univerſam Jurisprudentiam inſtituit, & tum dicendi ſuavitate, tum quia literarum lumine prælectiones ſuas illuſtraret, veteremque Jurisprudentiam inſtauraret, magno nationum omnium concurſu, quod de *Franciſco Duareno* confirmat *Scævola Sammarthanus*, Jus profeſſus eſt. Neque defuerunt Viro bene merenti præmia. A. 1723 Curiæ Provincialis Saxonicæ Advocatis adſcriptus, & non ita multo poſt in numerum Profeſſorum, qui extra ordinem Jura docent, receptus fuit. Sequebatur munus ferendi in Scabinatu ſententias, ordinaria Juris Profeſſio, & Aſſeſſoris in Curia Provinciali honos, quibus ornamentis demum A. 1733 acceſſit Conſiliarii Saxonici dignitas. Non poterat latere ampliſſima Viri eximii virtus, ſed fama ejus ad ipſas Auguſtiſſimi Magnæ Britanniæ Regis aures penetrabat, qui inter primos novæ Academiæ Gottingenſis Profeſſores *Brunquellum* ſeligebat, Conſiliarii Regi Aulici dignitate condecorabat, Juris Canonici Profeſſorem, & JCtorum ordinis Primicerium, eſſe jubebat. Paruit divino nutui, & Regis ſapientiſſimi voluntati, *Brunquellus*, non eapropter, quæ malevolorum inſignis calumnia eſt, quaſi præreptam ſibi altioris dignitatis acceſſionem doleret, ſed ut corpus nimiis laboribus fractum reficeret, vitam minus laborioſam ingrederetur, & ſcribendo prodeſſet politiorum JCtorum cohorti. Venit itaque Gottingam ipſis Calendis Martii ſuperioris anni, frequenti & inuſitato Gottingenſium procerum & literatorum juvenum comitatu ſtipatus, & nono Aprilis die novæ Academiæ gubernacula regenda ſuſcepit. Sed o lubricæ ſpes! o vanæ hominum cogitationes! Vix admotus erat ſplendidiſſimo huic muneri, cum omnes quaſi morborum catervæ in eum furere inciperent, corpus annuis & continuis morbis fractum peni-

penitus enervarent, & Virum longiſſima vita digniſſimum uno ante completum annum ſecundum atque quadrageſimum die, h. e. die 21 Maji ſuperioris anni, mortalitati eriperent. In matrimonium A 1720 duxit *Sibyllam Catharinam, Guil. Hier. Bruckneri*, cujus ſupra mentionem fecimus, filiam, quod & prole fœcundum, & indivulſo animorum conſortio fortunatum atque ex omni parte beatum, fuit. Vir fuit ſanctiſſimis moribus, ſupra modum diligens, in dicendo jure caſtus atque integer, & veriſſimus viduarum, liberorum parentibus orborum, & cunctorum oppreſſorum, parens. Eo vehementius dolemus immaturum incomparabilis JCti obitum, quo inſigniorem cladem & bonæ literæ & univerſa Reſpublica literaria ex eodem ſentiunt. Sed ſolabimur mœſtitiam noſtram, & luctui noſtro in vivis ſpirantibusque ingenii *Brunquelliani* monumentis allevamentum quæremus. Scripſit nimirum incredibilis Vir induſtriæ Diſſertationes *de criminum abolitione, de Codice Theodoſiano, ejusque in Codice Juſtinianeo uſu*, quarum unam Præſide *Ephraimo Gerbardo*, alteram conflictus moderatore *Guil. Hier. Brucknero*, defendit, *de Conditione, ſi non nupſerit, ultimis voluntatibus adjecta, de Proceſſu Arreſti ad effectum ſiſtendi, de Proceſſu inhibitivo in foro Saxonico, de acquiſitione dominii ex lege, qua ſit ipſo jure, de diverſo Patroni eccleſiaſtici & laici jure, de variis juris Patronatus acquirendi modis, de ratione dicti teſtium, de uſufructu mariti in rebus uxoris, moto ſuper illius bonis concurſu creditorum ceſſante, de jure Patronorum bonorifico primario, nimirum jure repræſentandi, de pictura famoſa, & de ſpecie juris Germanici, pacto nimirum, quo majores noſtri ſub pictura famoſa ſeſe obligarunt, de Feudo Keminate, de utilibus Patronorum juribus ex corrupto eccleſiæ ſignificatu natis, parum vel plane non utilibus.* Inter *Programmata* eminent *Proluſio von dem allgemeinen Staats-Rechte, und deſſen höchſtnützlichen excolirung, de diligenti comparatione omnium ejusdem inſcriptionis in Digeſtis Capitum capienda, deque hujus artificii inventoribus & promotoribus, de Sectis & controverſiis Juris Juſtinianei interpretum, quos Gloſſatores appellamus, de retractationibus veterum JCtorum,* quo-

quorum fragmenta in Digestis supersunt, de JCtis Erciscundis sive Miscellionibus, quorum fragmenta in Digestis supersunt, de præcipuis solidioris Jurisprudentiæ impedimentis, de variis veterum legibus suis sanctitatem autoritatemque conciliandi modis, de solennibus in executione sententiarum capitalium a Romanis adhibitis, de pictura honesta & utili, de privilegio Saxonico de non appellando etiam querelam nullitatis, supplicationem, similiaque remedia ad summa tribunalia excludente, de usu linguæ Germanicæ veteris in studio Juris Feudalis Langobardici, de juribus Patronorum utilibus spuriis, de Digestis secundum Indicem legum Jacobi Labitti aliorumque κατὰ πλάτος, & verbotenus excudendis, & *Prolusio, qua in pugna Juris Germanici & Romani illud huic, inprimis in causarum illustrium decisionibus, præferendum esse, nisi hujus receptio probetur, ostenditur*. In quibus omnibus luculenta variæ multiplicisque doctrinæ specimina deprehenduntur. Erat enim eo animo *Brunquellus*, ut non aliorum commenta & portenta unice referret, sed ut plura ex ingenio suo scriberet, & ad communem transferret usum. Quapropter potius paucis plagulis, sed quæ oleum & lucernam redolent, quam magnis & horrendis voluminibus, in quibus ipse bonus Homerus dormitare solet, consulere voluit Reipublicæ literariæ usibus. Nihilo minus expressam doctrinæ ejus imaginem veneramur in elegantissimo libro, cui titulum fecit: *Historia Juris Romano-Germanici, a primis Reipublicæ Romanæ atque Germanicæ initiis ad nostra usque tempora ex suis fontibus deducta*, quæ A. 1727 Jenæ primum prodiit, & A. 1730 Amstelodami, novis, neque vulgaribus, adaucta accessionibus, iterum excusa fuit. Præterea *Isagogen in universam Jurisprudentiam* typis mandare cœpit. Denique *Innocentii Cironii Observationes Juris Canonici* A. 1726 prelo subjecit, & elaboratissima Dissertatione, *de utilitate ex Historia atque Antiquitatibus in Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ studio capienda*, mirifice exornavit.

Exterorum causa iterum significamus, jam ante aliquod tempus *Indicem generalem Decennii Actorum* nostrorum *quinti* prodiisse.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXXVI.

DESCRIPTION GEOGRAPHIQUE, HISTOrique, &c. de l'Empire de la Chine, &c.

h. e.

DESCRIPTIO GEOGRAPHICA, HISTOrica, Chronologica, Politica, & Physica, Imperii & Tartariæ Chinensis, Mappis Geographicis generalibus specialibusque harum terrarum, nec non Thibethi, ac Coreæ, illustrata, multisque Figuris æri incisis exornata, ab Autore JO. BAPT. DU-HALDE, S. J.

Tomi IV.

Parisiis, apud P. G. le Mercier, 1735, fol. maj.
Tom. I Alph. 5 plag. 22, cum Mappis 17 & Tabb. æn. 7, Tom. II Alph. 7 plag. 20, cum Tabb. æn. 8, Tom. III Alph. 6 plag. 4, cum Tabb. æn. 5, Tom. IV Alph. 5 plag. 15, cum Mappis 25.

Ita vero in lucem nunc exiit Opus insigne splendidumque, a plurimis rerum in remotissimis orbis terrarum partibus gestarum curiosis diu multumque desideratum, eruditissimique Autoris cura incomparabili atque industria ita elaboratum, ut spem de se conceptam multis omnino modis superet. Sive enim Mapparum, molestissimis eam in rem per vastum Imperium susceptis itineribus, incredibili confectarum solertia,

ac, *d'Anvillio*, Geographo Gallico, dirigente, æri nitidiſſime inciſarum, elegantiam; ſive gentis Chinenſium, artium literarumque amantiſſimæ, ingenii præterea, ſapientiæ, virtutumque laude inprimis celebratæ, accuratam deſcriptionem, ſpectes, nihil erit, quod Operi tanto, numeriſque ſuis, quoad humana patitur imbecillitas, abſoluto, adjici poſſit. Ac, quod ad Mappas quidem attinet, Imperator *Cang hi* Miſſionariis hoc negotii dedit, ut, quicquid terrarum ditioni ſuæ ſubjectum eſſet, accuratiſſime dimetirentur, poſtquam Mappam, confinia urbis Peking ſiſtentem, ab iisque ſtudio ſummo elaboratam, non ſine voluptate eximia viderat. Hinc A. 1708 *Bouvetus*, *Regis*, & *Jartoux*, ſitum muri magni, Chinam a Tartaria ſeparantis, una cum caſtellis portisque omnibus, in Mappa 15 pedum longitudinem ſuperante delineabant. Hi, ab Imperatore vehementer probati, anno ſequente cum *Fridellio*, in locum *Bouveti*, morbo conflictantis, ſuffecto, ultra murum progrediebantur, ac orientalem Tartariam, fines Coreæ ſeptentrionem verſus, adeoque terras Tartarorum *Mantcheoux*, & *Yu pi ta ſe* dictas, dimetiebantur. Vix reduces, provinciam *Pe tche li*, permagnam, multisque urbibus ſuperbientem, A. 1710 autem terras maximam partem deſertas, verſus *Saghalien oula* fluvium, peragrabant, ac geographice delineabant. A. 1711, operis diviſis, *Regis* ac *Cardoſo* provinciam *Chan tong*, *Jartoux* autem, *Fridelli*, & *Bonjour*, provinciam *Hami*, ultra murum ſitam, terrasque Tartarorum *Kalka ta ſe*; poſtea A. 1712 *Cardoſo* cum *le Tartre* provincias *Chan ſi*, *Chen ſi*, *Kiang ſi*, *Quang tong*, & *Quang ſi*; *Mailla*, & *Henderer*, cum P. *Regis*, *Ho nan*, *Kiang nan*, *Tche kiang*, & *Fo kien*; denique *Fridelli* & *Bonjour Se tchuen*, & *Yun nan*, emenſi ſunt. Mortuo P. *Bonjour* A. 1715 *Regis* ac *Fridelli*, *Koei tcheou* & *Hou quang* provincias reſiduas, dimetiendo abſolvebant, ac A. 1718 Mappas omnes in unam collatas, Imperatori, de fauſtis hisce ſucceſſibus lætiſſimo, offerebant. Dici vix poteſt, quanta cura, in re tam difficili, in qua facillimi ſunt lapſus, verſati fuerint optimi homines, adeo, ut, repetitis ſemel iterumque obſervationibus, quarum modum fuſius deſcripſit P. *Regis*, rationibusque

caute

caute subductis, si quid forte erratum erat, emendaverint. Ceterum Mappæ, *Tomum I* ornantes, numero sunt XVII, quarum una Chinam, Tartariam, & terram Thibetanam, conjunctim, altera Chinam separatim, reliquæ XV provincias Chinenses exhibent, quibus delineationes ichnographicæ urbium primariarum adjunctæ sunt Tabulis VII. In Historia ipsa condenda usus est Autor stupendo apparatu MStorum Chinensium, ex quibus, quanquam ceteroqui multa continebant ad institutum parum aut nihil prorsus facientia, hoc saltem profecit, ut de veritate earum rerum, in quibus describendis exactissime inter illorum Autores conveniebat, certior redderetur. Præterea autem cum Missionariis, in Europam reversis, sententias diligenter contulit, dubias causas, quamplurimas perquisivit, commerciumque literarum cum Missionariis, per Chinam omnem divagantibus, viginti quatuor annos & amplius continuavit; denique, toto jam opere perfecto, cum P. *Contancino*, 32 annos in China commorato, ac commodum Parisios reduce, quicquid in literas retulerat, communicavit, ejusque monitis suam in rem egregie usus est. Tali modo mediam ingressus viam, nec omnia, nullo habito discrimine, probavit, quæ a Chinensibus, rerum suarum magnopere prædicandarum studiosis, consignata erant, neque uni tantum causæ, relictis aliis omnibus, intentus, plura memoratu haud indigna præteriit. Quo autem & iis suus constet honor, qui in momentis permultis ab oblivione hominum vindicandis desudarunt, age, nomina Missionariorum apponamus, quorum scriptis, sive manu exaratis, sive typis expressis, usus est Autor. Sunt igitur hi fere: *Mart. Martini*, *Ferdin. Verbiest*, *Phil. Couplet*, *Gabr. Magalhans*, *Jo. de Fontaney*, *Joach. Bouvet*, *Jo. Franc. Gerbillon*, *Franc. Noel*, *Lud. le Comte*, *Claud. Visdelou*, nunc Episcopus Claudiopolitanus, *Jo. Bapt. Regis*, *Joseph. Henr. de Premare*, *Franc. Xaver. d'Entrecolles*, *Jul. Placid. Hervieu*, *Cyr. Contancinus*, *Petr. de Goville*, *Jo. Arm. Nyel*, *Dominic. Parrenin*, *Petr. Jartoux*, *Vincent. de Tartre*, *Jos. Anna Maria de Mailla*, *Jo. Alex. Gollet*, *Claud. Jacquemin*, *Lud. Porquet*, *Emeric. de Chavagnac*, *Ant. Gaubil*, *Jo. Bapt. Jac-*

ques. Sed, ne in limine diutius moremur Lectores, summa libri elegantissimi capita indicemus. In tanta enim rerum memorabilium copia versamur, ut, eas singulatim persequi, instituti nostri ratio haud patiatur. Primo igitur loco Chinense, qua patet, imperium generatim describit Autor, nihilque omittit, quod eo valet, ut naturæ divitias, larga manu dispersas, contueamur propius, ac pro eo, ac par est, admiremur. Sequitur descriptio ampla magni muri, Tartariam a China sejungentis, dehinc populorum *Si fan*, aut *Tou fan*, suis olim legibus utentium, at intestinis bellis adeo debilitatorum, ut tandem a Chinensibus subjugati fuerint. Tartarorum *Coconor*, nationumque *Lo los* & *Miao sse* res fuse accurateque ob oculos ponit. Tum itinera *Bouveti*, *Fontanai*, *le Comte*, & *Visdelou*, separatis temporibus per provincias complures instituta, adeo jucunde eleganterque enarrantur, ut non legere, sed ipse comes itineris esse, atque tuis cuncta oculis usurpare, videaris. Porro quindecim provincias, una cum primariis, quas continent, urbibus, depictas magis, penicilloque adumbratas, quam descriptas, videre potes. Postremum occupant locum Annales Chinenses, Imperatorumque in XXII dynastiis vitiis virtutibusque conspicuorum, res prave laudabiliterque gestæ. Convenit in eo inter optimos Chinensium Historicos, prima Monarchiæ fundamenta jacta esse ab *Fo hi* Imperatore, atque ab eo usque ad *Yao* sex Imperatores summæ rerum præfuisse. At, quo tempore *Fo hi* vixerit, quotve anni ad *Yao* usque elapsi sint, hoc illud vero perquam incertum esse, ipsi non diffitentur. Etenim *Yao* primus est, a quo Imperatorum ordo, tempus imperii, rerumque gestarum historia, serie haud interrupta computari cœpit. Hunc anno ante C. N. 2357 vixisse, constat inter eos, adeo, ut ludibrium deberet, sibique periculum haud leve conciliaturus esset, qui originem imperii propiorem facere auderet. Neque vero hæc computandi ratio male subducta est. Sibi enim constat, nihil fabulosi habet, præterea multis eclipsibus innititur, quæ cum iis apprime coincidunt, quas nostri posteris temporibus Astronomi scienter explicarunt. Nec parum ad fidem facit, Imperatorum historias ab homi-

hominibus æqualibus consignatas esse; *Confucium* Chronologiam hanc nunquam revocasse in dubium, *Menciumque*, magnæ autoritatis Philosophum, ac 400 fere annos ante C. N. viventem, affirmare, a *Chun*, socio imperii *Yao* usque ad *Ven vang* plus quam 1000 annos elapsos esse; a *Ven vang* autem usque ad N. C. 1100 amplius annos effluxisse, quo ipso numerus antea fixus, parum abest, quin conficiatur. Quanquam autem hæc chronologia cum *Vulgata versione* difficulter conciliari potest, cum ea tamen, quam LXX interpretes sunt secuti, belle conspirat. Nam secundum hos a diluvio usque ad Christum sunt anni 3258. *Yao*, a quo chronologia, uti diximus, non interrupta incipit, regnabat anno ante C. N. 2357. A diluvio itaque ad *Yao* usque plus quam 900 annorum intervallum esse, apparet. Quodsi igitur *Noæ* posteri vel 300 annis post diluvium Chinam intraverint, satis tamen annorum est, quos imperio *Fohi*, ac sex ejus successorum usque ad *Yao*, assignare possis. Unicum restat dubium, quid nempe sit, cum eclipses aliæ, tum ea inprimis, quæ sub Imp. *Tchong kang* observata est, nostro cum calculo tam pulchre conveniant, quod ante Principis hujus regnum nullius mentio facta sit. Bene respondent Chinensium eruditi, moris tum fuisse, progressiones tantum artium, legum rogationes, regnorumque vicissitudines, regulas regnandi, aliaque momenta moralia atque politica, memoriæ prodere. Denique & hoc notandum est, annum, quo mortuus est Imperator, annis imperii ejus accenseri, ac, novo quamvis regnante, mandata nomine defuncti promulgari. Autor noster cyclum sexagenarium a *Yao* inchoat, quanquam a multis *Choang ti* ejus inventor perhibeatur. Primi itaque Imperatores fuere *Fo hi*, *Chin nong*, *Hoang ti*, *Chao hao*, *Tchuen hio*, *Ti co*, *Tchi*, *Yao*, & *Chun*. Post hunc ordo dynastiarum sive familiarum XXII continuatus est.

Tomo II exponit Autor de antiquitate ac magnitudine imperii Chinensis, de potentia autoritateque Imperatoris, de sigillis Imperii, atque solennibus in eorum traditione observatis, de reditibus ac expensis, de ejus palatio, apparatuque, cum ex palatio in publicum prodit. Tum de forma regiminis, de tribu-

nalibus, Mandarinis, eorum officio, poteſtate, ac honore, quo eos Chinenſes proſequuntur; de ſtatu bellico, exercitu, armis, caſtellis, munimentis, varioque majorum tormentorum genere; de ordine in urbibus, viisque publicis, obſervato, de vectigalibus, curſoribusque publicis, de nobilium ordine, educatione, vitæ genere; de terræ fertilitate, agricultura, ac amore, quo complectuntur eos, qui eidem operam dant; de artificum induſtria, nec non plebis; de genio ac indole, phyſiognomia, geſtibus, domibus Chinenſium, ornatuque earum; de ſplendore, cujus in itineribus, pontibus, arcubus triumphalibus, portis, turribus, murisque conſtruendis, ac feſtis celebrandis peramantes ſunt; de cerimoniis, quando inter ſe inviſunt, vel munera dant, in literis exarandis, feſtis, nuptiis, funebri denique pompa, conſuetis; de carceribus, ſeveraque in homines nequam animadverſione; de lacubus, canalibus, & fluminibus, navigiisque majoribus ac minoribus; de monetæ multiplici genere, de commerciis, de modo, pigmentum, *vernis* dictum, porcellanæ vaſa, ſericumque, conficiendi, cui epitome antiqui libri Chinenſis adjuncta eſt, quo docetur, quemadmodum vermes educandi nutriendique ſint, ſi ſerico abundare velis. His abſolutis, de lingua Chinenſi agit, nihilque intactum dimittit, quod ad pronuntiationem, orthographiam, noſtris nempe literis, rem grammaticam, papyrum, atramentum, penicillum, artem typis exprimendi, religandique libros, pertinet. Sequitur enarratio ampla, quo modo literis imbuantur juvenes; quot gradibus, explorationibusque factis, ad munus Doctoris eniti debeant; porro epitome libri: de felicitate ex ſcholis publicis in populum redundante; item alius ejusdem argumenti, Autore *Tchu hi*, celeberrimo doctore, ſub dynaſtia XIX *Song* dicta, florente; ſpecimen diſcurſus, in *Hio*, ſive loco conventuum a literatis celebratorum, habiti; translatio ſcripti, quo exponitur, quo modo ſocietas literatorum hominum conſtituenda ſit. Res literaria Chinenſis magnam hujus *Tomi* partem ſibi vindicat. Enumerat igitur Autor libros canonicos *primi ordinis*, *King* dictos. Sunt hi numero quinque; 1) *Y king*, opus ſymbolicum,

cum, lineas a *Fohi* inventas, variaque ratione dissectas, sistens. 2) *Chu king*, ex quo Dialogum, veterum Regum axiomata complectentem, Orationem *Tchong hoei* ad Imperatorem *Tching tang*, præcepta ab *Y yun*, data *Tai kia* juveni, historiam Imp. *Cao tsong*, & ejus Ministri *Fou yue*, excerpsit Autor. 3) *Chi king*, totus poeticus, odas, cantica, aliaque id genus poemata, continet. Quinque eorum sunt classes. Prima sistit odas, vel elogia hominum virtutibus illustrium, in publicis solennibus cantata. Secunda mores consuetos, fere ad modum fabularum Romanensium, describit eleganter. Tertia Comparatio dicitur, qua, quicquid comprehendit, similibus, comparationibusque, traditur. Quarta exhibet sublimes audacioresve meditationes, quæ admirationem, immo stuporem, excitant in legentibus. Quinta constat poematis suspectis, ac a *Confucio* inter Apocrypha relatis. Autor odas aliquot, a P. *Premare* bona fide translatas, nec plane inelegantes, speciminis loco addidit. 4) *Tchun tsiou*, tempore *Confucii* compilatus, adeoque reliquis antiquitate ac dignitate multo inferior, variis eruditorum præterea concertationibus depressus. 5) *Li ki* leges institutaque vitæ civilis decem libris, a *Confucio* collectis, tradit, quorum Autor maximam partem habetur *Tcheou kong*, frater Imperatoris *Vou vang*. Libris Canonicis *secundi ordinis*, *ssee chu* dictis, quos *Confucio* maxime debemus, recensendis, præmisit Autor vitam *Confucii*. Sequitur ejus 1) *Ta hio*, sive schola adultorum; 2) *Tchong Yong*, sive medium immutabile; 3) *Lun yu*, sive liber sententiarum; 4) *Meng tsëe*, sive liber *Mencii*, celebris Philosophi, boni imperantis ideam sistens; 5) *Hiao king*, sive de pietate filiali; 6) *Sia hio*, schola infantum, quem fere totum transtulit. His libris præceptisque innititur imperium Chinense; quibus adjuncta est Sylloge variorum Edictorum, orationumque de optima regiminis forma, ab Imperatore *Cang hi* collecta, multisque monitis manu scriptis locupletata, & a P. *Hervieu* translata, Excerptum ex compilatione sub dynastia *Ming* facta, denique liber *Li nin*, sive de fœminis illustribus, qui tamen multa complectitur hoc nomine indigna, quod, sive negligentiæ Chinensium in libris suis inscribendis,

sive

five faſtui, adſcribas, quo turgidi multa magnifica habent, nobis noſtrisque moribus levia ac vana, utrinque non erraveris.

Tomo III primo loco agit Autor de religione Chinenſium, adeoque primo de cultu antiquiſſimo apud eos recepto, ſectaque literatorum, doctrinam priſcis libris comprehenſam ſequente, ac *Confucium* doctorem venerante: ſecundo, de ſecta *Tao ſſee* ſive doctorum legis, cujus Autor Philoſophus *Lao kiun* erat. Doctrina eorum moralis ad Epicureorum placita propius accedit. Chymiæ ſtudio ſe totos dedebant, lapidi philoſophorum inveniendo intenti, neque ab horrendis magiæ artibus prorſus alieni. His immenſa multitudo ſpirituum debetur, in Chinam, vel potius in mentes hominum credulorum introducta, quos ut entia a ſupremo Numine non pendentia venerantur, abominandusque ſacrificiorum apparatus. Secta tertia *Fo*, ſive *Foe*, Imperatori *Ming ti* originem debet. Hic enim idolum *Fo*, ac cum eo omnes fabularum ſordes, quibus Indorum, unde arceſſebatur, libri inquinati ſunt, ſuperſtitiones, metempſychoſin, ipſum denique atheiſmum, aliaque mala, latius ab Autore expoſita, in Chinam inferebat. Quarta ſecta eſt literatorum hominum quorundam. Hi, majus interpretationibus gloſſisque librorum canonicorum, quam iis ipſis, pretium ſtatuentes, philoſophiam ſibi effinxerunt, qua omnia ex cauſis naturalibus explicare ſatagunt. Quid de origine & ſtatu mundi ſentiat *Tchin*, celebre in iis nomen, Dialogo quodam ſingulari expoſitum legere eſt. Eruditæ Autoris noſtri ad eum notæ inprimis attente legi merentur. Excipit hæc hiſtoria religionis Chriſtianæ in Chinam introductæ, ibidemque adhuc florentis. Controverſias, poſtremis fere temporibus inter ipſos Miſſionarios ortas, breviter attingit Autor, ne extra oleas vagari, pugnacisque doctoris perſonam ſibi ſumere velle videatur, ſedulo cavens. In Philoſophia morali, quicquid eſt officiorum, ad quinque referunt Chinenſes capita; ad officia nempe parentum & liberorum, Principis & ſubjectorum, mariti & uxoris, fratris natu majoris & minorum, denique amicorum inter ſe. Optima principia omni tempore ſervata fuiſſe, apparet ex ſcriptis inſer-

insertis, altero Philosophi novi, plurimi æstimato, atque a P. *Dentrecolles* translato, altero antiquiori, regulas & exempla, ad doctrinam morum facientia, exhibente, & a P. *Hervieux* converso. Quodsi ingentem numerum Bibliothecarum, splendidarum omnino, quibus superbiunt Chinenses, consideres, existimare possis, omnium, quas orbis terrarum continet, nationum hanc esse literatissimam. At egregie falleris. Nullam enim speculativarum, quas dicimus, scientiarum ab iis excultam novimus, quanquam de cetero ab ingenii quadam vi, judicandique solertia, non plane sint destituti. Sed neque honesta æmulatione ad magna molienda incenduntur, nec, qui id tentarent, præmiis propositis, alliciuntur ad audenda plura. Logica ac Rhetorica tantum utuntur naturali, Musica minime culta, ac ea, quæ aures permulceat. Arithmeticæ magis sunt scientes, & instrumento quodam, globulis chordisque instructo, *Souan pan* dicto, tam dextre uti norunt, ut, quantumvis celeriter numeros pronuntiantem assequantur. Astronomiæ, unicæ fere Matheseos partis, quæ a priscis temporibus apud eos floruit, non sunt ignari, at instrumentis utuntur, partim incommodis, partim adeo imperfectis, ut nostra longe post se relinquant. Pluribus ea descripsit Autor noster, eruditisque observationibus rem Astronomicam omnem illustravit, ipsum denique observatorium Pekingense æri incidi curavit. Versus qui componunt, tum eandem vocum ultimarum terminationem, tum earum significationem, respiciunt, quæ vario pronuntiandi modo innititur; sæpe tamen oppositis sententiis antithesibusque gaudent. Poetæ ab enthusiasmo non sunt relicti, figurisque, quibus decus ac robur quasi accedit versibus, commode uti norunt. Historiæ Chinenses sunt studiosissimi, adeo, ut solertia, quicquid memoratu dignum accidit, memoriæ prodendi, reliquas gentes omnes superent. Historiolas etiam, narratiunculasque bonæ frugis plenissimas, in numerato habent, quibus juventutem ad amorem virtutis accendant. Tragœdia *tchao chi cou ell*, sive orphanus parvulus ex domo *tchao*, a P. *Premare* translata, perquam singularis est. Quid sit unitas temporis, loci, actionis, alias-

que regulas, profundiſſime ignorant. Comœdias a tragœdiis non diſtinguunt: huic autem forte nomen tragœdiæ manſit, quia re vera tragici permultum ei ineſt. Tempus plus quam viginti annorum hiſtoriæ, quæ ſpectatori exhibetur, abſolvendæ impenditur, nec tragœdia ab hiſtoria non lecta illa, ſed ab hominibus pluribus recitata, differt. Quilibet actor, ne neſciant ſpectatores, theatrum ingrediens, clara voce dicit, quis ſit, unde veniat, quid egerit, quid nunc moliatur. Unus actor plures ſæpe perſonas ſuſtinet. Affectus vehementiſſimos cantando exprimunt, reliqua loquuntur, præterea multis declamatio ipſa canticis intermixta eſt. Dividitur tragœdia in partes, quarum prima *Sie tſe* prologi inſtar eſt, reliquæ *tche*, quod *actus* ſonare poterat, dicuntur, quas in ſcenas ſubdividere nihil prohibet. Tragœdia hæc excerpta eſt ex libro *Yuen gin pe tchong*, ſive collectione centum optimorum poematum theatralium, ſub dynaſtia *Yuen* compoſitorum. Liber hic quadraginta Voluminibus conſtat, in quatuor *tao* diſtributis. In arte medica progreſſus adeo magnos facere non potuerunt Chinenſes, quandoquidem Phyſices & Anatomiæ prorſus fere ſunt ignari; admodum tamen in judicandis ex pulſu arteriarum morbis exercitati ſunt, plurimorumque ſimplicium, quæ non ſine ſucceſſu adhibent, cognitione inſtructi. Calidum innatum cum frigido radicali utramque in eorum libris medicis paginam facit. Velimus, apud ipſum Autorem legatur ſynopſis ſyſtematis medici, nec non ſcripta haud inficeta, 1) *arcanum pulſus*; 2) excerptum ex *pen tſao cang mou*, h. e. herbario Chinenſi, ſive hiſtoria naturali Chinæ, in uſum Medicinæ. Autor ejus *Li chi tchin*, ex familia *Ming*, extremam ei manum, morte præventus, imponere non potuit: hinc a filio ejus reviſum & ſuppletum, ac a tribunali rituum juſſu Imp. *Van lie* publici juris factum eſt; 3) *pen tſao ti y kiuen*, in cujus *Lib. I §. 1* agitur de origine herbariorum, omnibusque herbariis, antiquis ac recentioribus, ad noſtra usque tempora; 4) excerptum *pen tſao* Imp. *chin nong*; 5) excerptum ex *pen tſao leang tao hong king*, dicto *ming y pie lou*; 6) collectio variarum formularum medicarum, medicamentorumque, quibus

quibus utuntur, præcipuorum, v. c. planta *gin ſeng*, herba, granisque *the*, carne elephanti, cameli, equi marini, cancri petrificati, muſco, rhabarbara, cera alba, ab inſectis facta, aliisque. Poſtremo loco comparet opus Medici cujusdam Chinenſis, a P. *Dentrecolles* translatum, quo tradit arcanum, a ſe repertum, vitam longævam ac valetudinem morbis haud turbatam, ope diætæ, conſervandi. Inſcriptum eſt opus *Tchang ſeng*, quo nomine doctores falſæ cujusdam ſectæ gloriantur, arcanum immortalitatis ſe inveniſſe, jactantes; at hanc impiam ſtolidamque notionem voci minime ſubjectam vult Noſter; rem autem omnem ita informat, ut, tam animi, quam corporis, actionumque noſtrarum, rationem habendam eſſe, diſputet. Concludit *Tomum* explicatio vocabulorum Chinenſium in tribus Voluminibus occurrentium.

Tomus IV rebus Tartarorum enarrandis deſtinatus eſt. Habes hic obſervationes geographicas, ad Tartariam ſpectantes, ex Miſſionariorum, Mappas adornantium, annotatis excerptas; tum de provinciis Tartarorum *Mantcheoux* & *Mongous;* obſervationes hiſtoricas *Gerbillonii* de Tartaria magna, atque item geographicas de terris *Mongous*; exquiſitas de lingua Tartarorum *Mantcheoux* obſervationes; deſcriptiones duorum itinerum in Tartariam orientalem & occidentalem, P. *Verbieſtii*, nec non octo itinerum in Tartariam, *Gerbillonii*, accuratiſſime ac jucundiſſime confectas; obſervationes geographicas P. *Regis* de *Corea*, brevemque regni hujus hiſtoriam, ex tribus Hiſtoricis depromptam, nempe ex *Tſien kio kiu loui chu*, ſive theatro mundi, ex *Quang yu ki*, ſive epitome Chorographiæ, & ex *Fang yu ching lio*, ſive Geographia univerſali; relationem ſuccinctam Capitanei *Beerings* de itinere Kamtſchatkam verſus eo fine ſuſcepto, ut exploraret, utrum hæ terræ Americæ ſeptentrionali ſint contiguæ, an mari eo pertingi poſſit; denique P. *Regis* obſervationes geographicas & hiſtoricas de regno *Thibetano*. Hiſce annexus eſt Catalogus quarundam latitudinum longitudinumque, ex dimenſionibus geometricis reſultantium. Longitudines ad meridianum Pekingenſem conformatæ, neque ad Pariſienſem revocatæ ſunt, quo minor

errandi ſit materia. Latitudines ope inſtrumentorum accuratiſſimorum obſervatæ. Vocabulorum Tartaricorum & Chinenſium explicatio toti Operi præſtantiſſimo finem imponit.

CONTINUATA ITINERARII ANTONINIANI, a PETRO WESSELINGIO editi, Recenſio.

Vid. *Acta* hujus *Anni Menſ. Febr. pag. 49.*

Fidem, quam *Menſe Februario pag. 53* dedimus, liberaturi, paulo diſtinctius de meritis in novam hanc *Itinerarii Antoniniani* editionem, quibus orbem ſibi eruditum Cl. *Weſſelingius* obſtrinxit, dicemus, ſed hac lege, ut non uni Itinerario illi, quod alii jam, inprimis *Hieron. Surita*, doctiſſimis annotationibus illuſtrarunt, inhærentes, ad Itinerarium Hieroſolymitanum & *Hieroclis* Synecdemum, in quorum utroque clariſſima luce perfundendo Cel. *Weſſelingii* induſtria inprimis enituit, æque reſpiciamus, atque adeo fortaſſe potiora inde, quæ producenda erunt, ſpecimina decerpamus.

Generatim obſervandum, Virum eruditiſſimum, non contentum iis, quibus unis vulgo adhuc, contra quam primi literarum inſtauratores ſolebant, in veterum monumentis illuſtrandis doctiſſimi quique uſi ſunt, præſidiis, perſæpe ad numos veteres provocaſſe, ex iisque veteri Geographiæ, *Holſtenio* ad *Stephanum* præeunte, lucem haud mediocrem intuliſſe. Nonnunquam & numos laudat nondum deſcriptos, qui extant in gaza *Wildiana*, quam etiamnum integram ſupereſſe, merito lætamur. Ejus generis eſt numus Sebaſtes, quæ olim Elæusſa dicta, cujus anteriore in parte CABINA ΤΡΑΝΚΥΛΛ . . . . & poſteriori CEBACTH. IEP. AC. AΥΤ. ΝΑΥΑΡΧΙC. ΕΛΕΥΘΕΡΑ cum turrito velatoque capite, unde recte colligit, urbem Sebaſten in Cilicia *Gordiani Pii* ætate ſatis illuſtrem fuiſſe, & re nautica valuiſſe. Similem paulo poſt adducit ex eadem *Wildiana* gaza numum Irenopoleos in Cilicia, quæ & Neronias dicta, in quo hinc: AΥΤΟΚ. ΚΑΙCΑΡ. DOMITIA . . . & illinc: ΕΙΡΗΝΟΠΟ-

ΝΟΠΩΛΕΙΤΩΝ ΕΤ. ΒΜ. cum figura turribus ornatæ mulieris, rupibus insidentis, e quorum radicibus amnis emergit, æra BM, si conferantur alii eorum apud *Vaillantium* numi, in *Claudii* principatum incidente. Sæpius autem edita ab aliis numismata vetera citantur, qualia *Haymiana* in Thesauro Britannico, quibus aliquando uberiorem paulo lucem affundit. Huc spectat, quod *Haymius Tom. II p. 143* adducit, in quo e dimidiata Luna juvenile caput, Phrygia tiara ornatum, adscriptis literis: ΜΗΝ ΑCΚΗΝΟC & altera ex parte Hermus urnæ incumbit, addito nomine: ΕΡΜΟC & circa: CΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vir bonus, qui inter Symphoniacos Italos in Anglia clarus sero ad has literas accesserat, & in difficilioribus numis interpretandis aliorum fere, inprimis doctissimi Abbatis *Benedetti* & Cel. *Jo. Massoni*, ope & consilio utebatur, censet, *Deum Lunum Ascenum* appellari, quod perpetuo circumactus motu sine tentorio agat. Sed rectius utique Cl. *Wesselingius* vocem ΑCΚΗΝΟC non Græcæ, sed barbaræ, originis statuit. Simili enim ratione & ΜΗΝΟΣ ΚΑΡΟΥ apud *Strabonem Lib. XII pag. 580*, ΜΗΝΟΣ ΚΑΜΑΡΕΙΤΟΥ in numis Nysæorum in Caria, & ΜΗΝΟΣ ΦΑΡΝΑΚΟΥ rursus apud *Strabonem Lib. XII pag. 557*, appellatio non Græca, sed barbara, est, nec dubitari potest, quin ΜΗΝ ΑCΚΗΝΟC sit is, qui apud eundem *Strabonem* Μηνὸς Ἀρκαίȣ vel Ἀσκαίȣ fert nomen. Id vero jam ante Cl. *Wesselingium* observavit Collega noster in Gothæ num. *Cap. IV pag. 120*, ubi verba ejus: *Rectissime animadvertit Cl. Haymius, vocem* ΑCΚΗΝΟC *esse epitheton Dei Luni. Id vero, quod eidem non observatum, Strabo (Lib. XII pag. 557 & 577) nobis, licet corruptum, servavit, qui memorat, Antiochiæ in Pisidia* Μῆνα, *h. e. Deum Lunum, cultum, quem modo* Ἀσκαίȣ, *modo* Ἀρκαίȣ, *cognomine appellat, cum ex numo hoc* ΑCΚΗΝΟC *omnino dictus videatur.* Sed nihil facilius est, quam ut, nemine præeunte, idem postea, aut etiam ante, animadverterit Cl. *Wesselingius*, tametsi eandem Gotham numariam Thesauri Fridericiani nomine plus semel appellat. Exemplo sit numus Μυλλασσέων, quem Cap. XII §. 6.

quem Editor illius Operis profert rarissimum quidem & notatu dignissimum, sed tamen, quod ingenue fatetur, mutilum, temporisque injuria corruptum, qua de re ille sollicite lectores suos provideque monuit, *ut apud æquos judices* (verba ejus damus) *paratior ei venia esset, in descriptione ejus a vero forte aberranti.* Cl. *Wesselingius*, his insuper habitis, præter morem suum, non nimis humane, nisi omnia nos fallunt, *numus*, inquit, ΜΥΛΛΑΣΣΕΩΝ *nomen præferens — — si huc pertineret, ut Viro docto visum est, multa conturbaret; sed cave, illi fidas, aut vera opineris, quæ de novem Cariæ Dynastis ad eum disputata sunt; numi inscriptio alia omnia docebit, si componatur cum illis, quos Jo. Massonus memorat Vitæ Aristid. II, 7. Inde enim* ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ *legi oportere apparebit, & in corruptis Thes. Frider. literis* ΟΛΒΗΝΩΝ *nomen delitescere: præterea* ΚΑΙ ΚΕΝΝΑΤ. ΔΥΝΑΣΤΟΥ *sanum esse, neque inde* ΚΑΙ ΕΝΝΑΤΟΝ ΔΥΝΑΣΤΗΝ *effici posse.* Hic si quis Editorem Thesauri Fridericiani æque monuisset, ac Cel. *Hemsterhusius* Cl. *Wesselingium*, prout is *p. 212* fatetur, in vita Aristidis *Massoniana* numos ΚΕΝΝΑΤΩΝ recenseri, dubitandum non est, quin is conjectura sua de nono Cariæ Dynasta abstinuisset. Tametsi, cum neque Eruditiss. *Massonus*, neque Cl. *Wesselingius*, de regione ΚΕΝΝΑΤΩΝ, scriptoribus prorsus ignota, nos docere quidquam possint, etiamnum ampliandum nobis, neque in alterutram partem, dum certiora erui possint, pronuntiandum, videtur. Sed tamen, cum ille huic ipsi conjecturæ tam parum fidat, ut æquorum judicum in antecessum veniam sibi exorandam duxerit, opusne erat admonitione Cl. *Wesselingii*, qua cavere lectorem jubet, illi ne fidat, aut vera opinetur de
Pag. 711. novem dynastis Cariæ disputata? Sed & alio loco conjecturam ejusdem Editoris Thesauri Fridericiani de literis numeralibus in Seleuciensium numis, sub *Trajano* cusis, notat, qua is dixerat, *forte* novam designari æram, cujus initium repetendum a *Trajani* pietate, Jovi Casio in iis partibus probata. Ubi & *Wesselingius* objicit, *Beroensium & Chalcidensium numos iisdem literis notatos*, additque, *non putare se, arbitraturum*

turum Virum doctum, ad omnes Syriæ urbes eam æram pervasisse, & passim Syros ex cultu Casii apud Seleucienses Jovis annos sub Trajano numerasse: forte verius eas monetariorum notas creditum iri, nobis nunc ignotas. Sed literæ illæ singulares in Seleuciensium numis si æram forte peculiarem denotant, in Beroensium numis Chalcidensiumque iisdem literis eandem prorsus designari, quis dixit, aut quomodo id inde efficitur? An eædem literæ numerales in numis antiquis eandem prorsus epocham semper significant? Annon etiam inter vicinas urbes ad diversam æram designandam adhiberi commode potuerunt? Rationi admodum infirmæ nova, quæ subjicitur, nihilo firmior est conjectura, si tamen nova dicenda est. De monetariorum enim notis trita omnia, & nihil facilius est interpretari numos, si κρησφύγετον hoc, si quid difficultatis inciderit, placere nobis patiamur. Sed hæc hactenus. Alia sunt prope infinita, in quibus candor, eruditio, & singulare acumen Cl. *Wesselingii* elucet. Huc pertinet inprimis industria in illustrandis emendandisque occasione oblata antiquis recentioribusque Autoribus. Sic *Ovidium Metam. Lib. VIII v. 719* doctiss. Vir *pag. 667*, *Quintilianum*, qui *Lib. I Inst. Orat. Cap. 5 ambulare viam* e sermonis Latini finibus proscribit, *pag. 571*, *Plinium Hist. Nat. Lib. VII Cap. 56, pag. 329*, ex Græcis *Isocratem pag. 644*, *Libanium pag. 643*, *Eusebium pag. 683*, atque alios alibi, nova luce perfundit. Nec minus de recentioribus scriptoribus egregie meretur, quorum παροράματα modeste indicat & corrigit, ut *Jo. Harduini pag. 638 seq. Jo. Millii* ad *Cap. XXVI, 16, Lucæ Act. Apostol. pag. 651*, *Gothofr. Olearii*, clarissimi *Philostrati* Operum editoris, *pag. 577* & *697*, ut reliquos taceamus. Non raro ἀνεκδότους aliorum observationes suis inseruit notis, cujusmodi *Holstenii* ad *Stephanum* ineditæ animadversiones, a Cel. *d'Orvillio* communicatæ, *pag. 522* & *681*, ut longe plurima, quæ, purpuræ instar, late effulgent, lectorumque oculos ad se convertunt, quod ea sigillatim recensere nimis longum foret, κατορθώματα, Cel. *Hemsterhusii* liberali manu suppeditata, taceamus.

APPA-

APPARATUS AD HISTORIAM HUNGariæ, ſive Collectio miſcella Monumentorum, ineditorum partim, partim editorum, ſed fugientium. Conquiſivit, in Decades partitus eſt, et Præfationibus, atque Notis, illuſtravit, MATTHIAS BEL.

Decadis I Monumentum I & II.

Poſonii, ſumtu Philohiſtorum patriæ, typis Jo. Pauli Royer, 1735, fol.
Alph. 1 plag. 4.

Quod olim ex parte *Jac. Bongarſius* præſtitit, quod & præſtiturum ſe aliquando promiſit *Schmeizelius* noſter, id jam pleniſſime præſtare incipit carum & patriis & exterorum muſis nomen, *Matthias Belius*, Vir inter Hungaros talis, quales ſi reliquæ gentes Europææ unum aut alterum numerarent, non ſane ætas ulla clariſſima hiſtoriarum luce noſtram ſuperaret. Is, occupatus ab aliquot inde annis in magno & auguſto *Hungariæ novæ illuſtratæ* Opere, cujus *Tomum* nuper *primum* in manus noſtras traditum gaudemus, cum illud inprimis agendum ſibi intelligeret, ut, ſi quid Scriptorum Hungaricorum, aut editorum olim, ſed inventu rariorum, aut adhuc in tenebris latentium, ætas ſuperior tuliſſet, eos omnes veſtigaret diligenter, veſtigatosque in rem eruditorum communem converteret, jamque labore magno, nec minore ſumtu, illud aſſecutum ſe videret, ut veterum monumentorum apparatu inſtructiſſimo vix cuiquam eſſet ſecundus, non, quod alii ſolent, malo quodam literarum fato nati, ſibi ſoli ſervandas has divitias, aut perpetuo quodam carcere includendas, ſed, quod hiſtoriam patriam contexturis uberrimam dicendorum materiam ſuppeditare poſſent, uſibus conſecrandas publicis, exiſtimavit. Habebit igitur in poſterum, cur Italiæ, *Muratorios* ſuos, Galliæ, *Cheſneos*, *Labbeos*, & *Baluzios*, Angliæ, *Cambdenos*,

nos, *Seldenos*, *Fellios*, *Galeos*, Hiſpaniæ, *Schottos*, Belgio, *Grotios*, ipſique Germaniæ, tot geſtorum ſuorum conſervatores ambitioſe commemoranti, unum *Belium* ſuum, velut omnibus parem, opponat, felix ex tanto cive Hungaria. Has curas animo volvens Cel. *Belius*, ut honeſta civium liberalitate ſenſim incrementa caperet illuſtre Opus, nec immenſa voluminis moles gravis eſſet emtoribus, eas conſilii ſui rationes iniit, ut ſingula Scriptorum Monumenta ſigillatim ederet, & diverſo tempore diverſos velut partus excluderet, quibus paginarum numero & ſerie Alphabetorum inter ſe conjunctis, inque *Decades* diſtributis, juſtum aliquando *Scriptorum Hungaricorum* corpus ſit expectandum. Præterea commodum lectoribus in edendo ordinem ſervabit, ut prodromi loco, quæ ad Chorographiam Hungariæ pertinent, præmittat, tum Chronologiæ rationem habeat, indeque Monumenta ea omnia, quibus Hungarorum, aut cum his conjunctorum populorum, geſta illuſtrantur, larga manu expromat. Erunt in his non ſoluto tantum, ſed ligato etiam, ſermone ſcripta, quorum ſelectus & utilitatem lectori, & voluptatem, ſpondeat. Accedent & ſubinde doctiſſimi Editoris Annotationes breves, criticæ inprimis, aut momenta notatu digniora aliorum Scriptorum teſtimoniis firmaturæ. Singulos Scriptores in clientelam Illuſtriſſimi alicujus Mæcenatis tradet Epiſtola eleganti & polita; ſingulos etiam Præfatione ornabit, indicatura fontem, unde petitum ſit Monumentum. In univerſi Operis limine Præfatio generalis comparet, exponens inſtituti rationem, civesque inprimis Hungaricos ad conquirenda undique & in commune conferenda, quæcunque faciunt ad illuſtrandam Hungariæ Hiſtoriam, monumenta exſtimulans. Præ ceteris ſibi dari rogat Diplomata Regum, Ducum, Archi-Epiſcoporum, &c. Acta publica Diætarum, Pacificationum, Legationum, Denuntiationum belli, Promulgationum Pacis, &c. Literas Regum, Palatinorum, Judicum Curiæ, Banorum, Magiſtrorum Tavernicalium, Ducum Belli, Legatorum; Sigilla vetera, in quibus & Regum imagines, & regnorum inſignia ſunt expreſſa; numos, inprimis memoriales; Lapides ſepulchrales, vexilla funebria, & Inſcriptiones anti-

antiquas; Panegyricas in memoriam clarorum virorum aut fœminarum Orationes; Cantilenas, ſeu Carmina vernacula, in Hungarorum cladibus aut victoriis decantata; Templorum & Cœnobiorum fundationes, nec non immunitatum & privilegiorum tabulas; religioſorum Ordinum hiſtorias; Synodorum nationalium Acta; denique illuſtriſſimarum domuum annales, diaria, genealogias, ſchedasque, factorum notabiliorum conſervatrices. Qualia, cum ſint ejus generis omnia; unde clariſſima lux accendi antiquioribus Hungarorum geſtis poſſit, ſi, quod ipſi nos vovemus, in manus venerint tam dextras, & tractandis his ſuperiorum temporum reliquiis aſſuetas, nullum eſt dubium, in magnum eorum, qui ſcrutandis regionum ac populorum antiquitatibus operam impendunt, commodum, ipſamque gentis Hungaricæ inſignem id gloriam ceſſurum. Monumenta illa bina, quæ ſuo jure Collectionis *Belianæ* principium ornant, ſitim noſtram accendunt ſpectandi reliqua; adeo plena ſunt bonarum rerum, atque adeo digna, quæ in notitiam non Hungarorum tantum, etſi horum maxime, ſed exterorum etiam, veniant. Horum *primum* ſiſtit *Nicolai Olabi, Archi-Epiſcopi Strigonienſis, Hungariam, ſive de Originibus gentis, regionis ſitu, diviſione, habitu, atque opportunitatibus, Librum ſingularem,* a *Stephano Zitkovszkyo,* Fiſci regii in Hungaria Advocato, cum Cel. Editore communicatum, jamque primum in lucem editum; cui & acceſſit ejusdem Autoris *Compendiarium ætatis ſuæ Chronicon*, ex ſchedis *Oſtroſithianis*, quæ ſunt in manibus Cel. Editoris, publicatum. Scriptorem hunc ſacrum eſſe juſſit Noſter Sereniſſimo Principi, *Franciſco III*, Duci Lotharingiæ, atque Hungariæ Locumtenenti, cujus illuſtriſſimo nomine Operi per ſe ſatis ſplendido major dignitas & gratia conciliatur. Quis fuerit *Olabus* iſte, quibus honorum gradibus ad ſummum Archiepiſcopatus Strigonienſis faſtigium adſcenderit, quibus denique in Hiſtoriam Hungariæ meritis inclaruerit, & ipſe pluribus nos docuit Cel. Editor in *Hungariæ novæ, Cis-Danubianæ, Tomo I*, nuper demum edito, & ex parte cognitum eſt iis, quibus jam olim Scriptoris hujus *Hiſtoriam Attilæ*, ſemel iterumque excuſam, videre

videre & approbare contigit. Utrumque Opus *Olahus* Bruxellis in Batavis A. 1536 composuit, quod docet ipsius Autoris testimonium, adscriptum Codici horum librorum MSto, quem servat augusta Vindobonensis Bibliotheca. Mirum hinc, cum eodem tempore uterque labor sit confectus, qui factum, ut prela alter sæpius, alter nunquam, subierit. Probabilis est Cel. Editoris conjectura, cum extra patriam, nullis fere adhibitis domesticis Scriptoribus, industria quasi extemporali, scripta sit Hungariæ Historia, noluisse Autorem publicando Operi prius curam impendere, quam licuerit ipsi, in patriam aliquando reduci, illa olim scripta in meliorem formam redigere. Quorum cum nihil postea perficere per negotiorum publicorum cumulos potuerit, Opus ipsum scriniis Autoris diu abditum delituisse, nec, ut est gens illa istarum rerum parum curiosa, de edendo eo ad hunc usque diem cogitatum. Quicquid sit, præter omne suum meritum tam diuturnis vinculis detentus est liber, quippe sic satis cultus, &, sive fidem, sive diligentiam Autoris spectes, luce publica dignissimus. Multa enim hinc de Hungariæ, ut universæ, ita singularum inprimis ejus partium, Budæ, Vissegradi, & Strigonii, habitu situque, de *Corvinianæ* Bibliothecæ, olim per terras late omnes celebratissimæ, honore & divitiis, deque aliis Hungaricæ Historiæ momentis, singularia & scitu admodum jucunda discas, quorum notitiam vix copiosam ita, aut ita accuratam, Scriptor quisquam alius suppeditet. Generatim de Autoris instituto ita tene, actum hic *Capitibus XIX* de Scythia vetere, & originibus Scytharum, de horum bellis & propaginibus, de Hunnis, eorumque adventu in Europam, de nomine, situ, & majoribus Hungariæ fluviis, de Hungaria occidentali, regia Buda, hujusque Bibliotheca, de urbibus, castris, & oppidis, in Budæ vicinia, de reliquis ulterioris Hungariæ urbibus & opportunitatibus, de secunda Hungariæ parte, citra & ultra Savum sita, de tertia ejus parte, quæ Danubium & Tibiscum interjacet, de residua ejusdem parte, de Hungaria Trans-Tibiscana, de Moldavia, de Transsylvania, de reliqua ultra & infra Tibiscum Hungaria, de Provincia Themesiensi, & hujus vicinia, denique

de variis Hungariæ opportunitatibus. Edidit Opus Cel. *Belius* ex duobus Codicibus MStis, eidemque poliendo omne, quod potuit, ſtudium adhibuit, additis partim ad marginem lemmatibus idoneis, & paragraphorum ſignis, partim ſubjunctis hinc atque illinc notis eruditis, quibus aut rectius formantur Autoris dicta, aut ex monumentis fide dignis illuſtrantur. Quod ſub finem hujus Hiſtoriæ acceſſit, ejusdem Autoris *Compendiarium ſuæ ætatis Chronicon*, perbrevis eſt ac vere compendiaria opella, potiora illorum temporum momenta ſecundum annorum ſeriem commemorans, & absque omni verborum ornatu dimittens.

Alterum Hungaricæ Hiſtoriæ Monumentum, liberali manu Cel. *Belii* nobiſcum communicatum, exhibet *Michaelis Sigleri Chronologiæ rerum Hungaricarum, Transſylvanicarum, & vicinarum regionum, Libros duos*, nunc primum in lucem editos. Conſecratum eſt Opus Celſiſſimo Principi *Emerico*, e Comitibus *Eſzterhazy de Galantha*, Archi-Epiſcopo Strigonienſi, cujus in literas amor, maxime vero in *Hungariam Belianam* merita, Epiſtola gravi atque eleganti prædicantur. Editione hujus libri gratum ſe facturum putavit Editor iis inprimis, qui civiles & eccleſiaſticos motus, quibus jactatam ſuperiori ætate Transſylvaniam conſtat, legere ex vero deſcriptos cupiunt. Facit & illud ad commendationem libri, quod ejus Codice MSto olim uſus eſt in conſcribenda rerum Transſylvanicarum Hiſtoria *Wolfg. Bethlenius*, Scriptor ſolers & accuratus, qui & ipſa ſæpe *Sigleri* verba retinuit, tanquam Scriptoris, cui plurimum in rebus Hungaricis fidei ſit tribuendum. Codicem, unde hæc deſumta ſunt, nactus eſt Doctiſſ. Editor liberalitate *Sam. Bohuſſi*, cauſarum patroni inter Hungaros dexterrimi, eundem plane, quem Autor olim *Stephano Bathorio* dedicaverat. Notarum nihil adjecit Editor, *ne*, quæ ipſa ejus ſunt verba, *brevitatem doctam oneraret explicatione non neceſſaria.* Opus ipſum *Siglerianum Libris duobus* diſtinctum eſt, altero res geſtas Pannonum, vicinarum gentium, & Hunnorum, porro Oſtrogothorum, Rege *Valamiro*, devictis Hunnis, Pannoniæ annis 68 imperantium, ſecundum ingreſſum Hunno-

rum,

rum in Pannoniam ſub ſeptem Ducibus, atque Hungariæ conditionem ſub Regibus domeſticis, ab A. C. 366 ad 1549, *Capitibus ſex* complectente, altero res Hungaricas, Transſylvanicas, & viciuarum Provinciarum, ab A. C. 1550 ad 1563, *Capitibus duobus* enarrante. De Autore ejus, nihil, quod nos edoceret, habuit Doctiſſ. *Belius*, niſi Cibinienſis Reipublicæ Syndicum, virumque doctum, & in inveſtigandis rebus patriis admodum ſolertem, fuiſſe.

Usque huc proceſſit *Beliana* muſæ nobilis induſtria, ardorque patriam rem altius proferendi, &, quæcunque ad ſplendorem ejus faciunt, in æternas tabulas redigendi. Jam, ſi quis aut inter Hungaros patriæ Laribusque ſuis bene cupit, aut inter exteros rectiorum ſtudiorum ſenſum habet, nobiſcum is præſtantiſſimo Viro, cujus honeſto ſtudio præclara hæc munera ad nos venerunt, ad proſequendum conficiendumque iter laudatiſſime cœptum, otium viresque integras, auram fortunæ ſecundam, magnorum Principum præſidium, civiumque plauſum, ex animo comprecetur.

JACOBI GRETSERI, SOCIETATIS JESU Theologi, Opera omnia, aucta & illuſtrata.

Tomus V & VI.

Ratisbonæ, ſumtibus Jo. Conr. Peez & Felicis Bader, Sociorum, 1735, fol.

Tom. V Alph. 6 plag. 22, Tom. VI Alph. 7 plag. 8.

Tomi V Parte priori comparent primo loco duo Libri de ſacris proceſſionibus, quarum nominibus tam apud Latinos, quam Græcos, expoſitis, antiquitatem, modum, & formam, deſcripſit Autor, docuitque, illas & Deum placare, quando terræ motus ſæviunt, & ad avertendas calamitates publicas valere, atque in hoſtium irruptione, arcium obſidione, peſtilentia graſſante, inſtitutas fuiſſe, nec exequias ſine proceſſionibus facile elatas, ſubjectis proceſſionibus ſtatis urbis Conſtantinopolitanæ in feſto Palmarum & in feſto Corporis Chriſti. *Lib. II* de proceſſionibus Autor contra adverſarios agit, & demonſtrare ſatagit,

Tom. I Part. I pag. 1 ſeq.

git, processiones esse utiles & frequentandas, easque ad loca & memorias Sanctorum recte institui solitas, nec superstitiosum esse, præferre in supplicationibus cruces, vexilla, cereos, ima-
Pag. 83 seq. gines Sanctorum, &c. Sequuntur *Libri III* de funere Christiano: ubi *Lib. I* de lotione, unctura, vestitu, & collocatione mortuorum ad spectaculum, cultum, preces, & humanæ recordationem conditionis, de more pulsandi campanas, de facibus prælatis, de luctu, de vestibus mutatis, disquiritur. *Lib. II* de feretris, modo & tempore, quibus elati mortui, de frequentia populi, ad funus concurrentis, de funeribus cum cereis seu facibus, cum psalmis, crucibus, & thuribulis ductis, de cœmeteriis, agitur. *Liber* vero *III* preces pro defunctis & jam sepultis, sacrificium Missæ immolatum, defendit, & flores tumulis sparsos, epitaphia addita, epulas funebres, moremque collocandi cibos super sepulchra defunctorum, & ferendi epulas ad
161 seq. basilicas Martyrum, illustrat. Succedunt Gratiæ *Danieli Cramero*, Stetinensi in Pomerania Lutherano prædicanti, persolutæ pro Paralipomenis ad Libros de funere Christiano transmissis.
187 seq. Sequuntur Disputationes duæ, altera de subterraneis animarum receptaculis contra Sectarios, altera de statu beatorum, olim in Academia Ingolstadiensi ad publicum examen & cer-
207 seq. tamen propositæ, ac tandem Disputatio de variis cœlis Lutheranis, Zwinglianis, Ubiquetariis, Calvinianis, Sanctorum vel
P. II veris, vel fictitiis, receptaculis & habitaculis. *Pars posterior*
pag. 1 seq. *Tomi V* complectitur Libros duos de Festis Christianorum ad-
129. versus *Danæum*, *Dresserum*, *Hospinianum*, aliosque; Auctarium ad hos duos Libros, seu Dissertationem pro sacratissima corporis Christi solennitate & sacrosanctæ Eucharistiæ cultu,
171 seq. adversus *Rudolphum Hospinianum*; alios duos de benedi-
305 seq. ctionibus, & tertium de maledictionibus; Vindicationem locorum quorundam *Tertullianicorum* a *Francisci Junii* depravationibus, scilicet de signo sanctæ crucis, de imaginibus, de sacrificio Missæ, de precibus pro defunctis, de Eucharistia, de oleo benedicto, de exorcismo, de inferis, de ecclesia Romana & summo Pontifice, de traditionibus, de processionibus & stationibus.

Tom. II *Tomo VI* habentur Apologia pro *S. Gregorio VII*, Pon-
pag. 1. tifice

tifice Maximo, in qua leguntur inedita quædam pro eodem
Pontifice Opuscula *Bernaldi*, Constantiensis Presbyteri; Vita, Pag. 98.
electio, & res gestæ ejusdem *Gregorii VII*, ex Libro quarto *O-*
nuphrii Panvinii de varia Romani Pontificis creatione; Com-
mentarius *Pauli Bernriedensis* de vita *S. Gregorii VII*, Pontificis
Maximi, & B. *Herlucæ* Virginis, cum prolegomenis & notis; *Cæ-* 175.
sar Baronius a *Goldasti* calumniis vindicatus, & in eo cum alii
Pontifices Romani, tum *S. Gregorius VII*; *Gerhohi Reicher-* 245.
spergensis, in Bavaria Præpositi, de *Henrico IV & V*, & *S. Grego-*
rio VII, nonnullisque consequentibus Romanis Pontificibus,
Syntagma; brevis refutatio Alogiarum *Annæ Comnenæ* in Ale- 265.
xiade contra *S. Gregorium VII*, Pontif. Max. Indiculus impostu- 257.
rarum & criminum falsi, quæ *Goldastus* in *tertio Tomo* Consti-
tutionum Imperialium commisit; Gemina adversus *Melchio-* 300.
rem Guldinastum, Calvinianum replicatorem, vel potius qua-
druplatorem, defensio, prior, pro S. R. orthodoxi & catholici
Imperii avita majestate, replicationem *Calvinianam*, Imperii
hujus vastatricem, examinat & refutat, posterior complura
monumenta pro *S. Gregorio VII*, aliisque Pontificibus Romanis,
exhibet; *Arnaldi*, Brixiensis, in *Melchiore Goldasto* Calvinista
redivivi, vera descriptio & imago; Commentariolus de Impe-
ratorum, Regum, ac Principum Christianorum in sedem Apo-
stolicam munificentia; accedunt Appendices duæ, quarum pri-
ma de Edicto donationis *Constantinianæ*, & novo ad id Com-
mentario, secunda de Diplomate donationis *Othonis III* Imp.
factæ *Sylvestro II*, Pontifici, agit; Volumen Epistolarum, quas
Romani Pontifices, *Gregorius III*, *Stephanus III*, *Zacharias I*,
Paulus I, *Stephanus IV*, *Adrianus I*, & Pseudopapa *Constan-*
tinus, miserunt ad Principes & Reges Francorum, *Carolum*
Martellum, *Pipinum*, & *Carolum Magnum*. Unusquisque
Tomus Indicibus suis est instructus.

*DECISIONUM IMPERATORIARUM SYN-
tagma, continens Quinquaginta Imperatoris JUSTI-
NIANI Decisiones, quibus præcipuæ veterum Juris
Autorum Controversiæ definiuntur; sub Augustissimis Au-*

spiciis

ſpiciis Invictiſſimi Maximique Cæſaris, CAROLI SEXTI, in ſacro Palatio publicæ disquiſitioni ſubmiſſum ab Illuſtriſſimo Domino JOANNE HUGONE S. R. I. Libero Barone AB HAGEN, S.C.M. Ephebo, Præſide Prænobili, Clariſſimo, ac Conſultiſſimo D. JOANNE JACOBO OPPENRITTER, J. U. Doctore, S. C. M. Ephebeorum, nec non in antiquiſſima & celeberrima Univerſitate Viennenſi Codicis Profeſſore Publico ac Ordinario.

Viennæ Auſtriæ, typis Joannis Petri van Ghelen, Sacræ Cæſareæ Regiæque Catholicæ Majeſtatis Aulæ Typographi, 1735, 4.
Alph. 5 plag. 10.

Summis merito laudibus extollitur *Triboniani* opera, qua in decidendis difficillimis quæſtionibus juris, dirimendisque veterum JCtorum controverſiis, uſus eſt *Juſtinianus* Imperator. Namque nulla ille, doctiſſimorum Juris interpretum judicio, in re magis, quam in perficiendo L Deciſionum Opere, ingenii vim oſtendit. Sicuti autem res ardua maximique momenti fuit, graviſſimas antiqui Juris conditorum contentiones nova, eaque apta, ratione componere, ac, ponderatis utriusque partis argumentis, omnibusque dubiis, quid analogiæ juris, quid æquitati, quidve publicæ rei, conveniret magis, tandem aliquando definire; ita non minore laude digni ſunt, qui ipſi harum Deciſionum accuratiori explicationi inſudarunt. Neque enim ea ſine magno labore ex rationibus decidendi ſæpe abſconditis, diverſis ſectarum juris doctrinis, primisque veterum altercationum originibus, eſt haurienda. Sed, quod alios deterrere potuiſſet, excitavit Illuſtriſſimum S. R. I. L. B. *Jo. Hugonem ab Hagen*, qui, cum S. C. M. Ephebus eſſet, in mediis obſequii aulici occupationibus, tantum temporis literarum ſtudiis, & præcipue Juris ſcientiæ, impendit, ut, quod vix unus vel alter Commentator jam

jam provectiore ætate, multorum annorum decurſu, abſolvit, pæne adoleſcens adhuc, mira diligentia atque ſolertia perficeret, librumque, quem in præſenti recenſendum ſumſimus, adornaret. Hic uti Deciſionum Imperatoriarum Syntagma jure ſuo audit, & multiplici doctrina refertus eſt; ita nullum ejus fronti ſanctius, quam ipſius Auguſtiſſimi atque invictiſſimi Imperatoris *Caroli VI* nomen, nemini rectius, quam ſummo Muſarum præſidio ac decori, dedicare illum Autor potuit. Ne vero minus ſtrenue defenderet opus ſuum, quam docte concinnaverat, publico illud eruditorum examini ſubmiſit, Præſide uſus clariſſimo, eoque acutiſſimo, JCto, *Jo. Jac. Oppenrittero*, quem antea præceptorem ducemque in ſtudio Juris nactus fuerat. Quanquam is ea die non tam adjutor, quam approbator, adfuit, uberrimosque ſuæ inſtitutionis & ingenii Auditoris ſui fructus & ipſe cepit. In ipſa elaboratione ita verſatus eſt, ut, perluſtratis, quæ *Franciſcus Linglois*, Profeſſor olim Veſontinus, *Wilhelmus Ludwellus*, in Academia Altorfina, & *Jo. Strauchius*, in Jenenſi, *Dominicus Baſſus*, in Ingolſtadienſi quondam Anteceſſor, ad L Deciſiones ſcribere aggreſſi ſunt, præcipui earum Commentatoris, *Emundi Merillii*, Anteceſſoris Bituricenſis, cujus etiam prolegomena præmiſit, methodum inprimis ſequeretur. Dum tamen recentiores Juris Scriptores conſuluit, variasque eorum opiniones examinavit, veteres non poſthabuit, ſed, ipſos ſemper fontes adiens, Juriſprudentiam elegantiorem cum forenſi egregie conjunxit. Subjecit etiam ſeriem Juris Autorum utriusque ſectæ, & Sabinianorum, & Proculianorum, itemque Erciſcundorum ſive Miſcellionum, quam ſequitur Syllabus L Deciſionum *Juſtiniani*, ſecundum ordinem temporis, quo editæ fuerunt. Ipſe Illuſtriſſimus Baro illas eo ordine ſiſtit, quo in Codice repetitæ prælectionis reperiuntur. Speciminis loco unam alteramve ex toto Syntagmate jam decerpſiſſe ſufficiet. Ita Deciſionem XIV, quæ eſt ad *l. ult. C. ad SCt. Maced.* eo rectius explicaturus, rem altius repetit ex hiſtoriæ Romanæ monumentis primumque commendat frugalitatem orientis reipublicæ exemplo *Q. Cincinnati*. Deinde ingentem ſecutis tempori-

 bus

bus *Lucullorum*, *Liciniorum*, *Crassorum*que, luxum notat, ex quo usuræ atque aliæ artes illicitæ creverint. Tum leges, effrænatæ juvenum licentiæ jam ante oppositas, commemorat, adeoque causam, ortum, & progressum SCti Macedoniani, fœnorisque, sive liciti, sive illiciti, historiam persequitur. Denique varias, easque utilissimas, juris quæstiones ventilat, legibusque obstantibus hinc inde ingeniose conciliatis, de hujus SCti tum extensione, tum restrictione, amplius disserit. Inter alia dubium veterum JCtorum, an ratihabitio patris ita filium afficiat, ut exceptio SCti cesset, distinctione inter res facti & juris solvit, &, in his non æque, ac illis, ratihabitionem validam esse, ex variis eruit exemplis, istam tamen distinctionis subtilitatem ab Imperatore *Justiniano* ex rationibus haud contemnendis sublatam esse, observat. Filiumfamilias militem, ex mutui contractu, non solum usque ad quantitatem peculii castrensis, uti *Merillius* sibi persuasit, sed in solidum, obligari, vel eam ob causam existimat, quod alias Imperator in *§. fin.* Decisionis nihil novi, nullumque plane dubium, decidisset, cum pridem ante illum *Ulpianus l. 1 §. fin.* & *2 ff. de Scto Maced.* scripserit, filiumfamilias usque ad quantitatem castrensis peculii tantummodo teneri. Præsumtionem autem, quam *Justinianus* dicto paragrapho inducit, scilicet militem non in aliam, quam castrenses causas, mutuam accipere pecuniam, non juris solummodo, sed juris & de jure, esse, ex ea inprimis ratione contendit, quia Imperator hic non tantum præsumserit, sed etiam super præsumto statuerit, omni in contrarium probatione exclusa. Expeditis, quæ ad ipsam Decisionem spectant, tres adhuc celeberrimas quæstiones subnectit. Prima est ad *l. 7 §. 16* & *Lib. 9 ff. ad SCtum Maced.* Si filiusfamilias pecuniam mutuatus fuerit, deinde vel ipse sui juris effectus, vel pater pro eo partem debiti solverit, an totum debitum censeatur agnitum, atque adeo simpliciter etiam quoad residuum cesset SCti beneficium, an vero pro parte tantum soluta? Quam quæstionem, contra communem aliorum sententiam, qui per solutionem partis totum debitum approbatum censent, ex naturali ratione decidit, qua in dubio suum nemo jactare, aut juri pro se intro-

troducto, ultra, quam patet, renuntiare, præsumitur. Leges autem adductas, quæ sibi obstare videntur, atque, solutione partis SCti exceptionem tolli, innuunt, distinctione adhibita conciliat: cessare SCtum quoad partem solutam, non vero solvendam. Secunda circa *l. 14 ff.* de *reb. cred.* & *l. 9 §. 1 ff. ad SCt. Maced.* inter se dissonantes versatur, ubi quæritur, si filiusfamilias pecuniam, mutuo acceptam, creditori solvit, an patri actio detur adversus creditorem? Hic, uti, nummos extantes a patre posse vindicari, satis constabat, ita, quid statuendum sit, si consumti fuerint, inprimis examinat, relatisque veterum JCtorum, *Juliani* & *Marcelli*, sententiis contrariis, rem ex ipsa æquitate ita definit, ut, si creditor pecuniam a filio acceptam mala fide consumserit, patri competere consumtæ condictionem, sin contra bona fide, cessare illam, arbitretur. Ad tertiam: An jurata filiusfamilias renuntiatio impediat SCti exceptionem? pensitatis variis Doctorum disceptationibus, respondet, filium juramenti quidem religione obligari, posse tamen a judice seculari remissionem ejus obtinere. Simplicem autem renuntiationem, quia eadem facilitate fiat, qua mutuum accipitur, nihil prorsus operari, explosis argumentis *Udalr. Zasii*, communi Doctorum opinioni contradicentis, loco coronidis addit. Non minorem dexteritatem adhibuit in explananda sequenti Decisione XV *l. penult. C. ad SCtum Vellej.* quam ob argumenti affinitatem hic subjungere non alienum videtur. Ad hujus SCti originem atque causas itidem adscendens, Græcorum primum instituta circa jura mulierum perlustrat, easque in primordio reipublicæ Atticæ communi cum viris jure usas, publicis consultationibus interfuisse, adeo, ut calculis mares non modo exæquaverint, sed etiam superaverint, ex *Augustino*, dein vero ita coarctatam fuisse earum potestatem in rebus etiam privatis, nedum publicis, ut de re, quæ plus modio hordei valeret, valide contrahere non possent, ex *Chrysostomo* refert. Qua occasione simul originem tutelæ muliebris attingit. Inde, Romanos quoque jam in libera Republica mulieres a negotiis publicis arcuisse, & ad tutorum autoritatem adstrinxisse, annotat, quoties vel lege, aut legitimo judicio, agere, vel

ſe obligare, vel civile negotium gerere, vel nuptias contrahere, & in manum convenire, vel libertæ permittere, ut in alieni ſervi contubernio moraretur, vel rem mancipi alienare, voluiſſent. Quod ultimum negotium eleganti de veteri diſtinctione inter res mancipi & nec mancipi digreſſioni anſam præbuit. Poſt illam de diverſa fœminarum tutela, ſcilicet tum pupillari, tum perpetua, ejusque triplici ſpecie, teſtamentaria, legitima, huicque affini, ceſſitia, & dativa, ſive prætoria, de cauſis item tutelæ muliebris, eamque finiendi modis, agit. Denique *Auguſti* & *Claudii* Conſtitutiones, in favorem ſexus fœminini promulgatas, ne vel nimio amore conjugali, vel ſeveritatis metu, virorum obligationes in ſe ſuſciperent, neve actioni, qua viri teneantur, ſe ſubjicerent, commemorat, & ab iis ad ipſum SCtum Vellejanum, quod fœminas ab omni obligatione pro aliis etiam, quam maritis, liberat, tranſit. Hujus, cum cauſas, tum effectus exponit, ac variis caſibus illuſtrat, ejusque limitationibus ad tres claſſes reductis, ad ipſam Deciſionem progreditur, quæ ob cauſæ qualitatem, & ſingulare manumiſſionis privilegium, mulieri, pro ſervo libertatis conſequendæ cauſa fidejubenti, exceptionem adimit SCti. Inter quæſtiones juris, quas tractat, quantumcunque, modicum etiam, pretium pro interceſſione acceptum, a SCti beneficio removere mulierem, ſtatuit. Generatim autem pretium, quod citra uſurarum labem, tum in foro externo, tum interno, pro fidejuſſione accipi poſſit, ex periculo æſtimat, fidejuſſori ex conditione debitoris imminente, ſpeque majore aut minore, ſolutum pro illo recuperatum iri. Ipſum SCtum etiam ad fœminas illuſtres extendit, ac tandem ſolide refellit eos, qui mulierem, ſuorum admonitam jurium, ac ſpeciatim huic beneficio renuntiantem, illud non amittere, crediderunt. Ad Deciſionem XIX, quæ continentur *l. 25 C. de Nupt.* præmiſſis ſponſaliorum contrahendorum apud Romanos cærimoniis, triplicem nuptias celebrandi modum, confarreationem ſcilicet, coemtionem, atque uſum, explicat, ritusque nuptiales ipſos proponit, rationem præterea, cur in hortis plerumque nuptias fecerint, haud improbabili conjectura ex *Apuleji Apolog. Lib. II* eruit, qui, in villas ſuburbanas ideo Romanos

ſubinde

ſubinde ſeceſſiſſe, indicat, ut minore amicorum vicinorumque frequentia tranquillius placidiusque celebrarent nuptias, adeoque ſumtibus ſportularum nuptialium ſeſe ſubtraherent, ad quas cives in urbe ſolebant convolare. . Ex hiſce facile erit judicatu, quanto eruditionis apparatu reliquas Deciſiones pertractaverit Ill. Autor, quantumque ad melius intelligendas leges Romanas contulerit. Non minus autem ex hoc tirocinio juris apparet, quid aliquando Themis Germanica expectare ab eo poſſit, cum ipſis rebus agendis fuerit admotus.

HERCULIS FRANCISCI DANDINI, Comitis, & JCti Cæſenatis, de Forenſi ſcribendi ratione culta atque perſpicua Dialogus primus.

Patavii, typis Jo. Baptiſtæ Conzatti, 1734, 4.
Plag. 6.

Quanta noſtris temporibus dictionis Romanæ in foro coramque tribunali ſit negligentia, omnium optime, qui frequentius in judiciis verſantur, norunt. Deplorarunt jam dudum clariſſimi viri miſeram hanc Jurisprudentiæ Romanæ faciem, ſed, qua ratione corrigi emendarive poſſit, hæſitant huc usque, nec, quid decernant, habent. Suſcepit idem doctiſſimus Cæſenatium JCtus, *Hercules Franciſcus Dandinus*, haud ita pridem negotium, Dialogumque *de forenſi ſcribendi ratione culta & perſpicua* edidit, ſtili non minus concinnitate, quam pondere argumentorum, & doctrinæ ſolidioris gloria, commendabilem. Conveniunt *Meranius, Erminius, Phronimus*, felicioribusque opus aggredi conantur auſpiciis, quam olim *Guilielmus Budæus*, tam in præclaris *ad* Πανδέκτην *Annotationibus pag. 17 ſeq.* quam in opella poſthuma, quæ forenſibus vocabulis nova, proprio conficta marte, ſurrogat & ſubſtituit. Putat Cl. *Dandinus*, non niſi perpetua & curata veterum Autorum lectione feliciter exterminari poſſe hanc barbariem, &, cum *Tullius* non

Pag. 5 ſeq.

I. 2

non sufficiat, reliquam JCtorum Romanorum catervam omnibus Jurisprudentiæ studiosis de meliori commendat nota. Ita enim futurum sperat, uti horrida, quæ ante tribunal obtinet, dictio ejiciatur penitus, & Romanæ voces pro barbaris ex pu-
Pag. 3. rissimo Πανδέκτης fonte hauriantur. Exempla proponit, ex quotidianis rerum argumentis ducta, & ubique incomtas prag-
9 seq. maticorum voces, qualia sunt: *tenuta, una petia terra, fructatus, respective, repartimentum, reflectere* pro considerare,
14 seq. *excomputare, depositare in banco, reportare suum recapitum* seu *receputam a bancherio, trahere bancherio literas solvibiles, intricata computa, deducere prætensionem, tractamentum,*
24 seq. *participare de lucris, defectus nonadimplementi*, ut alia taceamus innumera, veterum ope JCtorum felicissime emendat. Non possumus non, quin unicum in medium afferamus specimen. Scribit *Ulpianus* in *l. 3 §. 1 π. de rec. qui arb. Post causam jam semel atque iterum tractatam, post nudata ejus intima & secreta negotii aperta, æquum non est, arbitrum nolle sententiam dicere.* Hæc vero ab ἀγοραῖς θρέμμασι *Dandinus* ita efferri ait: *Non est æquitativum, quod arbiter recuset, laudum proponere post causæ merita pluries discussa, atque hinc inde manifesta.* Ejus generis affert Cl. *Dandinus* complura, lectu jucundissima: ut silentio prætereamus criticas, quas oblata occasione attingit, de *emendanda tractamenti*
25 seq. *voce*, de *l. 12 §. 16 π.* de *instr. vel instrum. leg. l. 245 π. de V. S.*
41 seq. & *l. 17 §. 3 π. de action. emt. vend. inter se conciliandis* &c. disceptationes. Optamus Viro de humaniori Jurisprudentia tam præclare merenti vires & otia, quo, quod index hujus Dialogi & finis promittunt, in cœptis pergere laboribus, & politiores literas amplius juvare, queat.

EXERCITATIO MATHEMATICO-JURIDICA de vera Dominii directi in Emphitevticis prædiis æstimatione.

Quid Emphytevticarii Contractus nomine JCtis veniat, vel tironibus notum est. Eo nempe indigitant contractum consensualem de utili dominio rei immobilis transferendo ea sub lege, ut melioretur, & exinde certa pensio annua in domi-

mii

nii directi recognitionem ſolvatur. Præcipue circa hocce Emphytevticarium jus ſequentia notanda ſunt: 1) quod dominium directum ſit apud eum, qui Emphytevſin conſtituit, utile vero apud illum, qui ſe obligat ad præſtanda ea, quæ ex hoc contractu debentur; 2) quod interitu prædii emphytevticarii totali jus domini directi exſtinguatur; 3) quod annuatim penſio quædam, quæ canon emphytevticarius dicitur, ſit ſolvenda; 4) quod, quoties Emphytevta mutatur, toties cum oblatione prædii laudemium ſit ſolvendum; 5) quod quibusdam gravibusque ex cauſis Emphytevta dominium utile amittat, præcipue, ſi intra triennium canonem non perſolvat. Caſus: Sit domus quædam vel aliud emphytevticarium prædium, cujus dominium directum habeat *Mævius*, Emphytevta ſit *Titius*, quæritur; ſi *Mævius* in dominii ſui directi alienationem conſentiat, quid ex æquo, & ſine ullius læſione, *Titius* ſolvere debeat? Sit pretium medium boni, ſive prædii emphytevticarii $= a$. Tria nunc præcipue perpendenda ſunt: A) Quantus ſit valor expectationis *Mævii* ratione prædii ipſius; B) Canon; C) Laudemium. A) Expectatio *Mævii* ratione ipſius prædii ex duplici fundamento erit determinanda. D) Ex 2: Sit igitur numerus caſuum, quibus ejusmodi prædia totaliter interiiſſe obſervavimus, ad numerum caſuum, quibus ſalva manſiſſe deprehendimus, ut m ad n erit ſecundum regulas, a Cel. *Hugenio*, *Bernoullîis*, aliisque, traditas, *Mævii* expectatio $= \frac{na}{m+n}$ ſcilicet ex hoc capite. E) Ex. 5. Unde iterum ſuppono, eſſe numerum caſuum, quibus apud Emphytevtam prædia manſiſſe, ad numerum caſuum, quibus in Dominum directum etiam utile dominium tranſiiſſe vidimus, ut p ad q; erit ratione hujus ſpes *Mævii* $= \frac{qa}{p+q}$. Quarum duarum expectationum Summa dabit integram *Mævii* expectationem, nempe $\frac{\overline{m+n} \times q + \overline{p+q} \times n}{\overline{p+q} \times \overline{m+n}}$ A: dicatur hæc quantitas facilioris calculi gratia *C*. Hac expectatione jam determinata, ſit id, quod Emphytevta *Titius* pro prædii liberatione ex æquo dare de-

bet,

bet, $= x$; quæ quantitas talis ſit, neceſſe eſt, ut una cum omni exinde percipiendo commodo (i. e. uſuris, iisque per ſolutionem in ſortem redactis, inde denuo provenientibus fructibus,) per illud tempus, ad quod Emphytevſis eſt conſtituta, vel, ſi Emphytevſis eſt perpetua, per infinitum vel (quaſi infinitum, quod & civiliter infinitum appellabo,) ſit æqualis tribus ſequentibus quantitatibus in ſummam redactis, A) Valori expectationis *Mævii*, cum omnibus inde percipiendis commodis; B) Canonibus annuatim præſtandis, legitime ratione interuſurii computatis, omnique exinde percipiendo commodo; C) Laudemiis itidem, ut mox oſtendam, recte computatis. Priusquam vero ad hæcce evolvenda propero, monendum eſſe cenſeo; 1) in interuſurio computando me ſequi *Leibnitianum* modum, in *Actis A. 1683* propoſitum, ita, ut, poſita e. g. ſorte $= r$ quota uſuraria $= s$ annorum numero $= y$, valor ſortis anticipatæ ſit $= \frac{r}{\overline{1+s}^{y}} = \left(\frac{1}{1+s}\right)^{y} x\, r$; 2) interuſurium æquale debet eſſe commodo temporis, ſive omni emolumento ex re per intermedii temporis ſpatium percipiendo, hinc ſi quantitas r poſt annos y ſolvenda, ſtatim conceditur, dabitur tantum $\frac{r}{\overline{1+s}^{y}}$; ex qua quantitate ſi commodum per annos u quæris, (ubi u ſuppono eſſe majus, quam y,) invenies, $\frac{r}{\overline{1+s}^{y}}$ poſt annos y producere iterum r, ex quo deinde commodum usque ad tempus u − y erit $= \overline{1+s}^{\,u-y} x\, r$. A) Valorem expectationis *Mævii* cum inde perfruendis commodis quod attinet, erit ob illius expectationem $= C$, quotam uſurariam $= s$ (quæ in uſuris quincuncibus $= \frac{1}{20}$) & annorum numerum $= y$. Tota hæc quantitas $= \overline{1+s}^{\,y} x\, C$. B) Nunc & de Canonibus; ſit Canon annuatim a *Titio* præſtandus $= r$. Deberet igitur *Titius* ſolvere r poſt annum, r poſt biennium, r

poſt

poſt triennium &c. . . . . r poſt annos y; hos cum omnes anticipet *Mævius*, inde debebit detrahi interuſurium: ex his quantitatibus, interuſurio diminutis, perceptum commodum per annos y erit = commodo percepto ex r per annos $y-t$ (ubi t ſit numerus annorum, qui indicat, per quot annos r anticipato ſolutum eſt,) adeoque $= \overline{1+s}^{\,y-t} \times r$; per dicta in §. *n.* 2 notato, unde ſubſtitutis loco t numeris 1. 2. 3. &c. donec $t = y$, habebis ſummam omnium Canonum, ſequentem nempe ſeriem: $\overline{1+s}^{\,y-1} \times r + \overline{1+s}^{\,y-2} \times r + \overline{1+s}^{\,y-3} \times r$ &c . . . . r. $= \left[\overline{1+s}^{\,y-1} + \overline{1+s}^{\,y-2} + \overline{1+s}^{\,y-3}\right.$ &c. . . . . $\left.1\right]$ r cujus Summa $= \left(\dfrac{\overline{1+s}^{\,y-1} - 1}{s}\right) \times r$.

C) Nuncupereſt, ut etiam Laudemia conſideremus. Laudemia dari ſolent domino directo toties, quoties titulo ſingulari utile dominium in alium transfertur: & quidem moribus ex centum duo ſolvi ſolent floreni. Generalius vero hæc determinaturus, pono Laudemium $= da$; ubi d determinandum eſt per quotam laudemialem, e. g. communiter $d = \frac{1}{50}$. Deinde tempus quoddam medium determinandum, quoties Emphytevta mutari ſoleat; idque ex multis obſervationibus (e. g. ſi quis ſæpius obſervaſſet, prædia per ſeculi decurſum in quinque dominos ſucceſſive fuiſſe translata, aſſumet, ſingulis vicenniis mutationem fieri ſolere.) Sit ille numerus annorum $= g$, erit numerus, ſive Exponens, qui indicat, quoties laudemium debetur $= \dfrac{y-h}{g}$ (ubi h vel eſt reſiduum ipſius y per g diviſum, ſi g non eſt exacte pars aliquota ipſius y, vel eſt $= g$, ſi exacte dividit quantitatem y: nam notes illud Laudemium, quod ſolvendum eſſet eo anno, quo Emphytevſis finitur, non amplius debetur.); debetur igitur da poſt annos g, debetur da poſt annos $2g$ &c. . . . . . debetur tandem da poſt annos

 $y-h$

$y - h$; sed, quoniam hos valores *Mævius* anticipando accipit, detractis interusuriis, & commodis percipiendis connumeratis, secundum normam in Paragrapho *no.* 2 expositam, prodit sequens quantitas:

$$\left[\frac{y-g}{1+s} + \frac{y-2g}{1+s} + \frac{y-3g}{1+s} \;\&c. \ldots + \frac{g+h}{1+s} + \frac{h}{1+s}\right] da \text{ cujus summa} = \left(\frac{\frac{y}{1+s} - \frac{h}{1+s}}{\frac{g}{1+s} - 1}\right) da.$$

Harum quantitatum inventarum summa, ut supra diximus, debet esse æqualis quantitati x cum omnibus inde percipiendis commodis per annos y, $= \frac{y}{1+s}\, x\, x$. Unde jam habemus æquationem sequentem: $\frac{y}{1+s}\, x\, x == \frac{y}{1+s}\, x\, c +$

$$\left(\frac{\frac{y-1}{1+s} - 1}{s}\right) x\, r + \left(\frac{\frac{y}{1+s} - \frac{h}{1+s}}{\frac{g}{1+s} - 1}\right) x\, da. \text{ Et}$$

$$x = c + \left(\frac{\frac{y-1}{1+s} - 1}{\frac{y}{1+s}\, x\, s}\right) x\, r + \left(\frac{\frac{y}{1+s} - \frac{h}{1+s}}{\left(\frac{g}{1+s} - 1\right) x \frac{y}{1+s}}\right) x\, da$$

Posito $x = \infty$ habemus $x = c + \left(\frac{\frac{\infty - 1}{1+s} - 1}{\frac{\infty}{1+s}\, x\, s}\right) r$

$$+ \left(\frac{\frac{\infty}{1+s} - \frac{h}{1+s}}{\left(\frac{g}{1+s} - 1\right) x \frac{\infty}{1+s}}\right) x\, da. \text{ Ex quo propter}$$

infiniti

finiti naturam deduco, neglectis nempe negligendis $x = c + \frac{1}{s} r + \frac{1}{\overline{1+s}^{\,g} - 1} d a$, adeoque infinitis exterminatis, erit Juris Emphyteuticarii in prædio constituti ad annos infinitos valor finitus. Ponamus quantitatem $a = 10,000$ flor. $m = 1$. $n = 99$. & $p = 99$, $q = 1$, erit $c = 1000$ flor. sit porro $s = \frac{1}{20}$, $g = 20$, $d = \frac{1}{50}$, $r = 4$ flor. His in formula finali rite substitutis invenies

$$x = \left(1000 + 20 \times 4 + \frac{1}{\left(\frac{21}{20}\right)^{20} - 1} \right) 200, \text{ sive}$$

$x = 1000 + 80 + 121. == 1201.$ flor. quam proxime. Hæc jam sufficiant; quodsi vero quis in hac methodo nostra errorem ostenderit, & monstraverit aliam procedendi viam, ei me obstrictissimum profitebor.

CAROLI LINNÆI, DOCTORIS MEDICINÆ, Bibliotheca Botanica, recensens Libros plus mille, de plantis huc usque editos, secundum systema Autorum naturale in classes, ordines, genera, & species, dispositos, additis editionis loco, tempore, forma, lingua, cum explicatione Fundamentorum Botanicorum.

Amstelodami, apud Salomonem Schouten, 1736, 8.
Plag. 8.

Plurimum interesse noverat Clarissimus Vir, ut assuescerent rei herbariæ tyrones selectui Autorum, possentque in tot tantorumque, haud raro magis pretiosorum, quam utilium, librorum copia familiarem habere hunc aliumve probatæ fidei Botanicum. Neque tyronibus tantum, sed & provectioribus in arte & maturis ingenio viris, rem hoc ipso gratissimam fe-

ciſſe ſciat, quorum Bibliothecæ, hoc libello directorii inſtar uſuræ, melioris ordinis ornamentum habebunt. Rei herbariæ fata recenſentur in Præfatione ſub herbæ creſcentis & adoleſcentis ingenioſo lemmate. Dicitur enim foliolis ſeminalibus ſuis Botanica progerminaſſe penes Græcos; inter ſpolia, devicto *Mithridate*, qui plantarum heros exſtitit, translata fuiſſe Romam; magnam illius non tantum in hoc orbis capite, ſed & alibi, exiſtimationem fuiſſe, utpote quæ in Aſiam Arabiamque migraverit Seculo maxime duodecimo. Maturitatis terminos attingere cœpit decimo ſexto ſeptimoque æræ Chriſtianæ Seculo, plurimisque verticillis excreſcens hac, qua vivimus, ætate, uberrimo fructuum proventu ſuperbit. Auream vocat hanc noſtram eruditi orbis periodum, nominatque inter principes, qui hanc Medicinæ facem prætulerint, in Anglia *Rajum*, in Belgio *Hermannum*, in Gallia *Tournefortium*, in Germania *Rivinum*, quorum veſtigia legunt celeberrimi hodienum, & faxit Deus! diu ſuperſtites, principes in re herbaria Viri, in Anglia *Dillenius*, inter Batavos *Boerhavius*, cui Cl. *van Royen* merito ad latus ponimus, Virum, cui Lipſienſes horti plurimum debent; in Italia *Michellus*, *Montus*, *Pontedera*, & *Zanichellus*, in Gallia *Juſſavii* fratres, *Chicoinavius*, nec obſcuri nominis inter nos quidam. Celebrat Doctiſſ. Autor Clariſſimum cumprimis *Burmannum*, quo obſtetricante pulchrum huncce ingenii fœtum in lucem edidit. Methodum in recenſendis rei herbariæ Autoribus talem, quæ naturali proxima eſt, inſtituit, antiquos primo loco enumerans, quos vocabulo, cultum, quem ſtatoribus artis debemus, declarante, Patres appellat. Hos omnes habet, quicunque ad devictam usque barbariem, omnium ſcientiarum & ipſius Botanices juratam hoſtem, ſcriptis inclaruerunt, etſi virtutum, quam plantarum, ſtudioſiores exſtiterint. Præcedunt Græci, ſequuntur Romani, inde Aſiatici, barbarique, in ſcenam educuntur. Uniuscujusque vita, ætas, qua vixit, ſcribendi ratio, editiones, quotquot proſtant, vel ad notitiam Autoris ullo modo pervenire potuerunt, erudite & ſtudioſe, ſed & breviter, indicantur. A *Stagirita* dicendi initium factum, in quem commentatus eſt *Julius Cæſar Scaliger*.

liger in *Commentario in libros Ariſtotelis de Plantis*, *Genev. 1566, fol.* Si quid tamen fragmentorum *Ariſtotele* antiquiorum ex *Chironis Centauri* & *Æſculapii* ſchola a *L. Apulejo Madaurenſi* collectum fuit, id ipſi potius *Apulejo* attribuendum eſſe cenſet. Multo minus *Homerum*, etſi quædam de moly tradiderit, eapropter Botanicis accenſet, ſed ea ſaltem curat, quæ ſpurii ſuſpicione prorſus carent, & quæ ex inſtituto Botanici argumenti ſunt, ſcripta. Inde *Hippocratem* leviter ſaltem attingit, quod, niſi quantum a *Crateva* ſuo acceperat, herbarum vires parum declaraverit. Inter Romanos agriculturæ & rei herbariæ ſtudia cum exſtiterint conjunctiſſima, facere haud potuit, quin Rei Ruſticæ Autores, quorum omnium noviſſima & ſatis elegans editio curante *Geſnero* hic Lipſiæ nuper prodiit, inſimul adduceret. Hos imitatus eſt inter recentiores *Joannes Colerus* in Oeconomia rurali & domeſtica, Francof. 1692, fol. *Carolus Stephanus*, *Carolus Libaltius Hochbergius* in Georgia curioſa aucta *Tom. III* Norinb. 1695, 1716, *fol.* aliique. Annotandum ante omnia, ne quis, re minus perſpecta, omiſſorum quorundam ex antiquitate librorum reum faciat Noſtrum, *Jubæ*, Regis Mauritaniæ, de Euphorbio, & *Antonii Muſæ* de Vetonica, libellum, quærendum eſſe inter monographos, qui unius cujusdam plantæ hiſtoriam condere ſuſceperunt. Neque vero antiqui Autores tantum ſuos invenerunt Commentatores, ſed & noſtræ ætati propiores. Sic in *Matthiam Lobelium* commentatus eſt *Chriſtoph. Plantini* in Stirpium iconibus ſecundum ordinem *Lobelii*, qui habetur inter uſitatiſſimos *pag. 21. Plinianis* vero ſi placeret Germanicam librorum ejus verſionem, quæ exſtat *Francof. 1584. fol.* addere, eluceſcere exinde poterat, qua dignitate hic Autor elatus ſit ante hæc tempora inter omnes. Tantæ utilitatis viſus eſt *Mathioli* in *Dioſcoridem* Commentarius, ut *Camerarii* opera Bohemico etiam idiomate proſtet: *Joachima Kameraria Herbar aneb Bylinar*, Francof. 1596, *fol.* Particularium Autorum Collector perinduſtrius is exſtitit. Poſt alios, & Cl. *Joſepho Monti* magna in diſponendis graminibus gratia habetur, qui in Prodromo ſuæ Hiſtoriæ Bononienſis, *pag. 131* recenſitæ, haud male commentatus eſt. Cum

jucunditate legi poterit inter Autores arborum *Rudolphus Eyssonius* in Sylvæ Virgilianæ Prodromo, seu de Arboribus glandiferis, Groning. 1695, 12. Monographis addi possent quidam, *Bontekoe het excellenteste kruydt Thée, in s' Gravensh. 1686, 8*, itemque *Stephani Blanckaart Gebruick en Misbruick van te Thee, in s' Gravensh. 1686.* Curiosissimus etiam est Tractatus *Conradi Gesneri* de admirandis herbis Lunariis, Hafn. 1669, 8, ejusdemque de Plantis a Divis Sanctisque nomen habentibus, Bas. 1591, 8. Inter eos, qui minus cognitas plantas descripserunt, locum habet *Pauli Ammanni* Character plantarum naturalis a fine, nempe fructificatione, desumtus, Lips. 1685, 12. Catalogis horti Acad. Lugd. Batavorum, *pag. 71* recensitis, addendus est, quem *Adolphus Vorstius* A. 1643, 12, edidit; neque male anatomiam plantarum percensuit *Theodorus Schoon* in libro *Waare Oeffening der Planten, in s' Gravensh.* 1692, 8, sicut inter hortulanos non obscura nomina sunt *Falda*, qui Romæ hortos, *de la Quintinye*, qui Galliæ, *Hagenbachius*, qui Germaniæ nobiliores hortos descripserunt. Fœminas quasdam habuimus eruditas, plantarum studiosas, *Mariam Sibyllam Merian*, & *Sibyllam Græfiam*, quarum labores laude indigni censendi non sunt, quamvis pro suo ingenio muliebriter egerint. Expectamus utilissimi libelli, quam doctissimus Autor literis humanissimis, ad nos datis, promisit, novam editionem, hac auctiorem futuram. Sicut in causa propria meticulosiores esse solemus, sic, iniquorum censuram cum prævideret Vir optimus, quam a bonis suspicari non debebat, sequentem ad F. O. M. Collegam nostrum, exarare Epistolam dignatus est: *Ante dies aliquot Amstelodamum rediens, ab amicissimo nobis d'Orvillio, Tractatulum hem meum, Bibliotheca Botanica & Fundamenta Botanices dictum, ad manus tuas demandatum fuisse, percepi, unde mihi necesse sit, antequam sententia dicatur, si non argumentis, tamen precibus, apud Judices justissimos causam meam excusare. Exantlatis pluribus annis peregrinationibus continuis, Lugdunum perveniens, suasu* Medici *cujusdam clarissimi, Amstelodamum petii, ut schedulas meas in ordinem redigerem, & editori*

tori committerem, atque inde quam primum abirem. Charta mea tradebatur transſcriptori & typographo, utrique rudi; correctori negligenti committebantur emendationes, & ſic prodiit opuſculum; interdum una correctura, interdum nulla, ad me mittebatur, Lugduni, vel ruri, degentem, &, ſi qua correxi, a typographo non emendata fuere. Abſoluto libello Amſtelodamum rediens, optaſſem omnia exemplaria proprio redimere ære, ſed, quod maxime doleo, ante dies aliquot fuere ad maximam partem diſtributa, & ſic ſpes ultima mihi excidit. Veſtrum jam ſubiturum juſtiſſimum judicium, facile prævideo. Ut itaque mihi non adſcribantur errores iſti ſtili, eſt, quod unice expoſtulo, peto, apprecor. Sit mihi, quæ ad ſcientiam ſpectant, ſumma juſtitia, Veſtrum lubens ſubibo judicium; ſit mihi gratia ſummorum Virorum in eis, quæ ad literas pertinent; & contumelia hac memet non frangat, ſed erigat. Et, ſi per annum vixero, editionem Bibliothecæ, & Fundamentorum meorum emendatam & emaculatam promitto.

OBSERVATIONES IN THEONIS FAſtos Græcos priores, & in ejuſdem Fragmentum in expeditos Canones. Accedit de Canone Regum Aſtronomico, ejuſque autoribus, editionibus, MStis, Diſſertatio, in qua duplex Canon nunc primum editur ex Codice MSto Lugduno-Batavo.

Amſtelodami, apud Jo. Boom, 1735, 4.
Alph. 2 plag. 1.

Duos hos Tractatus Autor Anonymus, horis ſuccefivis, jam a longo tempore conſcribere incepit. Qui, ſi aliquanto prius vidiſſet *Ptolemæi* de hypotheſibus planetarum libellum, & inprimis Codicem MStum Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, quædam forte concinnius tractaſſet, & ab erroribus ſibi caviſſet, quos nunc, cum Opus denuo refingere, propter ætatem, nollet, adjectis paſſim annotationibus, corrigere inſtituit. Prior Tractatus verſatur circa duo *Theonis Alexandrini* ſcripta, a *Dodwello*,

anno in imperio fuerunt. Annus adhibetur Ægyptiacus vagus, diebus constans 365, absque quadrante. Dies a meridie inchoantur: totusque Canon incipit a meridie diei primæ mensis Tthoth, anni primi *Nabonassari*. Hinc usque ad excessum *Alexandri* colliguntur anni 424: inde vero usque ad mortem *Cleopatræ* anni 294. Restat *Pars sexta* Dissertationis, quæ recensendo codici MSto Lugduno-Batavo (quem, circa initium, ut videtur, Seculi noni in pergamena scriptum, ex Oriente advexit *Jac. Golius*,) destinata est. In hoc Codice cum aliæ quædam Tabulæ comprehenduntur, tum etiam duplex Canon Regum Astronomicus: quorum alter ad *Phocam* Imperatorem, alter ad *Michaëlem* usque continuatur. Utrumque descripsit *Is. Vossius*, omissis tamen annotationibus marginalibus, quibus non magnum pretium statuisse videtur. Atque hoc *Vossii* Apographo diligenter usus est *Dodwellus*, variasque ex eo lectiones adduxit in suis ad Canonem (ex MSto *Saviliano* editum) notis. Noster ex Codice commemorato integrum utrumque Canonem nunc edidit, & nonnulla animadvertit, quæ non plane nullius momenti esse existimamus.

COMMERCIUM LITERARIUM, AD Astronomiæ incrementum inter hujus scientiæ amatores communi consilio institutum. Tomus I. Autore MICH. ADELBULNERO.

Norimbergæ, ex officina Adelbulneriana, 1735, 4.
Alph. 1 plag. 8, cum Tabb. æn. 4.

Societati Regiæ Berolinensi dedicatus est Liber, quem & chartæ & typorum nitor oculis, multa vero in eodem contenta animis, Lectorum commendant. Cum nobis singularia nonnulla de exortu hujus Commercii nota sint, ea hic publicare, non abs re arbitramur. Anno nempe 1733 D. *Andreas Celsius*, Astronomiæ in Academia Upsaliensi Professor, nec non Societ. Scient. Regiæ Suec. Secretarius, iter per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliamque, instituens, Berolini magnam Solis eclipsin d. 13 Maji postquam observarat, Lipsiam,

dein Norimbergam, veniebat. Ibi Commercium literarium Physico-Technico-Medicum salivam ei movebat, adeo, ut de pari Astronomico meditaretur. Cl. *Doppelmayerus*, ut nobis certissime constat, diu jam ideam talis Commercii animo conceperat, tunc vero temporis totus Physicæ suæ experimentali incumbens, nil de eodem cum quoquam communicarat. *Celsius* interea, mensem integrum Norimbergæ degens, Virum hortari haud desistebat, exequeretur propositum, cujus utilitas non nisi maxima esse posset. Sed videns, Cl. *Doppelmayerum* non fere, nisi de Physica, ac Atlante cœlesti, meditari, tandem cum *Adelbulnero* colloquebatur. Hic, Astronomiæ impense deditus, & patriam ad manus habens typographiam, arripuit occasionem lubens gaudensque, de amato studio bene merendi, & invitationem ad Astronomos forma 8, quæ non ita multo post denuo edita est forma 4, publicavit. Cl. *Doppelmayerus*, sibi injuriam hinc illatam, ac meditationes suas ab alio occupatas, judicans, hanc invitationem nullo modo approbabat, ideoque nullum fœdus cum Autore inire volens, omnem amicabilem compositionem fugiebat, de qua Lipsiensis nonnemo, & cum *Doppelmayero*, & cum *Adelbulnero*, commercium literarium habens, valde, sed frustra, laborabat. Gesta hæc mensibus *Julio*, *Augusto*, ac *Septembri*, dicti anni. Sed, quanquam Cl. *Doppelmayerus* non ex partibus Cl. Editoris staret, tamen, multos fautores inveniente Commercio, d. 22 Octobris dicti anni plagula prima publicabatur, quam anno hoc, & sequenti 1734, aliæ XX insecutæ, *primum* constituunt *Tomum*. Cum de tali scripto, cujus singulæ plagulæ multos diversosque continent Articulos, vix dare recensionem liceat, in genere hæc dicimus. Institutum laudandum, utilissimum, ac, si fieri potest, nunquam interrumpendum, bene ab Editore confectum videmus. Multi, iique laudatissimi, Viri symbolas suas conferunt ad continuandum Commercium. Ex Italia præcipue nova nonnulla advecta, quorum alias non tam cito ad nos pervenisset notitia; atque ex R. P. *Nicasii Grammatici*, S. J. communicatione elegantissimæ, apud Sinas habitæ, Observationes exhibentur, quarum tamen modo

do dictus Pater jam antea nobis ipsis copiam fecerat. Optamus igitur, ut, quo cœpit, tramite diu feliciterque continuetur Commercium, certo persuasum nobis habentes, quotquot vero Astronomiæ ardent zelo, multas Cl. Editori gratias habituros. Non tamen nobis vitio vertet, si de levioribus nonnullis, non ex omnium gustu, quod nobis videtur, futuris, amice ipsum candideque monuerimus. E. g. ex Calendario Astronomico Berolinensi, quæ quovis mense in cœlo observanda sint, exhibet; quod institutum, cum illud Calendarium ad paucorum manus veniat, omnino laudandum foret, modo illa cito satis hic invenirentur. Jam vero, cum raro mense antecedente, sæpius currente jam, ea publicentur, quæ hoc ipso mense observanda sunt, ea quidem Norimbergensibus nova sunt & utilia, alibi vero viventibus tunc modo innotescunt, cum, finito jam mense, nil amplius ad observandum conferunt. Plus enim sæpe rei Astronomicæ interest, nosse, quæ observanda adhuc sint, quam quæ observanda fuerint. Mirantur & nonnulli, ex *Novis literariis Lipsiensibus* multa excerpi, cum tamen in Præfatione *pag. 2* Cl. Editor nominatim ea, quæ in *Actis Eruditorum*, vel in aliis lingua nota scriptis, aut ubique exstantibus libris, exhibentur, exclusa voluerit. Sed, uti jam monuimus, levia hæc sunt, quæ bono, imo optimo, instituto parum, vel nil omnino, detrahunt. Quæ numero toto XII *pag. 93* usque ad *168* continetur Dissertatio Astronomica, de ratione corrigendi typos & calculos eclipsium solis & lunæ, ob figuram telluris non sphæricam huc usque adhibitam, sed sphæroidalem, Autorem agnoscit eruditissimum Virum, *Nicasium Grammaticum*, qui hujus Dissertationis specimina jam nonnulla prægustanda nobis dedit in literis d. 17 Julii 1733, occasione Dissertationis cujusdam de istius anni eclipsi Solis, ad nos exaratis, quæ lucubratio, cum & forma Tractatus ex typographia *Adelbulneri*, eodem tamen & chartæ & typorum nitore, prodierit, nobis forsan alio tempore plura dicendi occasionem præbebit. Ut vero Lector sciat, quæ in hoc Commercio quærenda, ex Præfatione hæc Cl. Autoris verba adjicienda videntur: *Commercium Astronomicum comprehen-*

det omnis generis Observationes Astronomicas, de luminarium eclipsibus, de immersionibus & emersionibus satellitum, inprimis Jovis, de occultationibus fixarum, & insignibus planetarum congressibus, de cometis, de stellis novis &c. dein inserere libet monita, vel invitationes Astronomorum, ad observationes quasdam peculiari studio instituendas. Nec ingratum fuerit in illo quoque calculos de insignibus phænomenis in cœlo futuris mature indicare, in eorum præcipue, qui ephemeridibus motuum cœlestium destituuntur, gratiam. His denique adjungentur recensiones librorum Astronomicorum typis exscriptorum, ut quisque sciat, quid in Astronomicis actum, vel peractum sit. Uno verbo, in plagulis hisce nuntiabuntur, quæcunque ad Astronomiam referri posse videntur. Hæc huc usque Autor bene præstitit, ac, ut speramus, in dies melius præstabit.

NOVA LITERARIA.

Jo. *Meursii*, Viri Clarissimi, Opera ea apud omnes præstantia atque eruditione censentur, ut pro inutili ac supervacaneo haberi possit, illa in præsentia laudibus efferre, & cultis doctisque hominibus commendare. Unum tantum eorum gloriæ, ac literatorum virorum usui & commoditati, deesse videbatur, & id quidem ab universis exoptatum vehementer, ut omnes videlicet Viri adeo excellentis & incluti lucubrationes, in unum corpus collectæ, chalcographico opere publici juris iterum fierent; &, quæ dispersæ antea, & inventu partim, partim comparatu, difficillimæ fuerant, facili quis negotio in posterum posset acquirere. Id quidem cum animis suis versarent, & crebris doctorum, & optime de literis meritorum, hominum suasionibus excitarentur, nobilissimi urbis Florentinæ Typographi, *Jo. Cajet. Tartinius*, & *Sanct. Franchius*, duram arduamque provinciam susceperunt, & ad universa, quotquot exstant, *Jo. Meursii* Opera, in justum Voluminum corpus inclusa, denuo typis excudenda se composuerunt. Quæ editio ut locupletissima & omni ex parte instructissima evaderet,

deret, nulli labori aut impensæ pepercerunt, ut, si qua *Meursii* Opera *ἀνέκδοτα* alicubi delitescerent, tempestive hæc sibi compararent, sive Commentarii essent, sive Epistolæ, sive quicquid aliud ad ejus vitam Operaque illustranda pertinere videretur: quo vero ornatissima etiam & luculentissima esset, & vitam Autoris accuratam, & Præfationes eruditas, & Scholia perpetua, & opportunas castigationes, & crebra antiquitatis venerandæ monumenta, partim quidem alias a viris eruditissimis edita, partim vero nunc ab ipsis primum æri incisa, & publica luce donata, seu statuas, seu anaglypha, seu gemmas, seu nummos, seu ædificia, velitis, & Tabulas Geographicas, & urbium imagines, & Indices plures, eosque copiosissimos, adjicere non omiserunt. Quæ quidem omnia *Jo. Lamius*, Vir Clarissimus, in perillustri Florentina Academia publicus Historiæ Ecclesiasticæ Professor, & Bibliothecæ Riccardianæ Præfectus, vel conquisivit diligenter, vel haud incuriose elaboravit, atque perfecit. Eam autem in hac editione viam ac rationem sibi ineundam arbitrati sunt Editores, ut omnia quidem Opera in plures *Tomos* forma *folii* distribuerent, eademque insuper ita in certas classes distincta seponerent, ut, quæ solida atque integra *Meursius* marte suo elucubrasse, atque absolvisse, cognoscitur, primum locum obtinerent, secundum vero illa, quæ, cum alienæ Commentationes essent, nostri tamen Autoris studio in aliam linguam translata, aut castigata, aut explicata sint atque illustrata. Ea, quæ primi generis sunt, ita rursus divisa ac distributa fuere, ut res Græcorum alias præcederent, & quidem certo inter sese ordine; deinde Romanæ consequerentur; tandem subjicerentur ea, quæ vel varii argumenti sunt, vel recentioris historiæ monumenta complectuntur. Quod vero secundi generis Opera attinet, sacris & ecclesiasticis Scriptoribus primas detulerunt; deinde profanos collocarunt; & hos inter Græci quidem Latinis anteferuntur. At, cum horum Scriptorum plerisque nihil aliud *Meursius* contribuerit, quam Scholia quædam, & Animadversiones, nec ab eo primum editi fuerint; ne Opus in immensum excrescat, & emtores impensa inutili onerentur, eorum

hic rursus Opera excudere, animum non induxerunt, sed ejus tantum in illos Annotationes exhibebunt. Illud tamen perpetuum non præstabunt: si qua enim vel exiguæ molis erunt, vel rariora, & inventu paulo difficiliora, videbuntur, ea iterum formis describere, studiosorum hominum commoditatibus consulentes, haud supersedebunt. Ceterum, cum multa ac multigena in *Meursii* Operibus vel correcta deinceps, vel illustrata, a viris πολυμαθεστάτοις fuerint, horum castigationes, & annotationes, quotquot reperiri potuerunt, *Meursianis* Commentariis opportune atque apposite adscriptæ sunt: Additamenta etiam, quæ ipsa *Meursius* secundis curis meditatus fuerat, suis locis apte perpetuoque inserta. Quin & eo diligentia Editorum processit, ut Græcorum Autorum testimoniis, si qua indigebant, Latina interpretatio subjiceretur; & illis, quibus textus primigenius Græcus deerat, ex ipsis fontibus repetitus apponeretur; &, si qua minus recte in interpretationibus se habere visa fuissent, (neque enim in plerisque Operibus Græca *Meursius* Latine veterat) eadem, sedulo retractata, laboriose reficerentur; &, quod optabile quidem, sed vix credibile videatur, nonnullis Opusculis, minus absolutis, supplementa quædam identidem attexerentur. Et id quidem omne præstatur charta nitida & pulcherrima, latis paginarum oris vacuis relictis, ut characteres elegantissimi, decore & composite exstantes, facile lubenterque legantur. Jam vero *primum Meursianarum* lucubrationum *Volumen* ad umbilicum deductum est, & quamprimum prodibit in publicum; nec parum profecit *secundum Volumen*; idque inprimis curæ habebunt Editores, ut *Tomi* omnes, citissime excusi, & numeris omnibus absoluti, emittantur. Sed, cum nondum cuncta *Meursii* Opera, & ne excusa quidem alias, comparare licuerit, omnes Viri docti, & publicæ utilitatis amantes, enixe rogantur, ut, quæcunque in serie proxime subjecta minime annotata leguntur, si apud ipsos aliosve exstent, Editoribus significare non negligant, quo suo ista ære quærere, & editioni hoc melius consulere, valeant. Item, si qua *Meursii* Opera ἀνέκδοτα, sive Epistolæ sint, sive Commentaria, seu cujuslibet generis alia,

quæ

quæ ratione aliqua ad eum pertinere dignoſcantur, apud ipſos, vel alios, lateant, cum iisdem Editoribus communicare, aut indicare ſaltem, ne dedignentur, ut editio hæc tandem locupletiſſima, quod nos ipſi vehementer optamus, evadat. Et poſtremo, ſi qua ſint, quorum, utpote ad deſideratum ſpartæ, quam exornandam ſuſceperunt Editores, decus & perfectionem ſpectantium, monuerint ipſos, aut de aliorum doctorum virorum in *Meurſii* Opera animadverſionibus, & illuſtrationibus, ſive dedita opera & conſulto, ſive obiter & e re nata, factæ fuerint, certiores fecerint, maximam iis gratiam habituri ſunt, &, per quos profecerint, nominibus eorum inſcriptis, atque honeſta commemoratione laudatis, ultro ingenueque profitebuntur. Opera *Jo. Meurſii* edita, quæ nondum inveniri potuerunt, hæc ſunt: *Poemata varia, Lugd. Bat. 1602, 8; Panegyricus Jacobo I, Regi Britanniæ, in auſpiciis Regni dictus, Lugd. Bat. 1603; Meditationes Chriſtianæ in Pſalmos 116 & 119, Heidelb. 1604, 8; Apuleji Apologia, cum notis brevioribus, ibid. 1607; Herodis Inſcriptio Græca, totidem verſibus expreſſa, 4; Philoſtrati Epiſtolæ, cum Diſſertatione, Lugd. Bat. 1616, 4; Theophylacti, Bulgariæ Archiep. Epiſtolæ, Græce, cum notis, Amſt. 1617, 4; Variorum divinorum Liber, ſive Orationes Patrum, nunquam editæ, cum notis, Amſt. 1619, 1621, 4; nempe: Cyrilli Alexandrini in Transfigurationem Domini Oratio; Anaſtaſii Antiocheni in Annuntiationem B. M. V. Sermones II; Andreæ Cretenſis in vitam humanam, & defunctos, Oratio; Methodii de libero arbitrio Sermo; Timothei Presbyteri de iis, qui ad Eccleſiam accedunt, Oratio; ejusdem (ſeu potius S. Maximi) de duabus Chriſti naturis Sermo; Hilarionis Monachi de Euchariſtico Pane Oratio, Græce & Latine; Porphyrii Philoſophi omnia, cum notis, Lugd. Bat. 1620, 4.* His addimus Opera *Jo. Meurſii* ἀνέκδοτα, quorum quidem notitia ad Editores pervenit, quæ autem reperiri huc usque non potuerunt: *In Parthenii Erotica Notæ; Gloſſarium Latino-barbarum; Animadverſiones in Harpocrationis Lexicon X Rhetorum; Notæ in Aſtrampſychi Oneirocriticon; Induciarum belli Belgici hiſtoria; Athenæi Mechanica, Græce, cum notis; Apollodori Poliorcetica, Græce, cum notis;*

Julii

Julii Africani Cesti, Graece, cum notis; *Meletius de Natura hominis, Gr. Lat. Menander Rhetor de Divisione causarum in genere demonstrativo Gr-lat. cum notis*; *Familia Attica, Dionysia, sive de Bacchi apud Athenienses Festo.*

Graecarum Romanarumque Antiquitatum Thesauri, quos summi Viri, *Joannes Georgius Graevius*, & *Jacobus Gronovius*, congessere, *Tomis XXV* comprehensi, editique primum apud Batavos abhinc annis XLII, secundum nunc eduntur Venetiis. Ut locupletior haec sit editio, ei *Tomi tres* adduntur, quos *Albertus Henricus Sallengre*, qui in Opere augendo diligenter versatus est, adjecit; quatuor praeterea alii colligentur, continentes Opera, quae vel illos fugerant, vel post illorum obitum confecta, studio hominum doctissimorum in publicam lucem exierunt. Cum autem hac aetate maxime vigeat rerum antiquarum studium, Latinaeque & Graecae eruditionis, quae superioribus annis propemodum exaruerat, amor; unus, aut etiam alter, *Tomus* adjicietur eorum operum, quae Viri ingenio, aut summa quadam doctrina, praediti perscripserunt. Porro haec editio nostro tempore priori illi multis nominibus superior est, chartae nimirum ac marginum nitore, & magnitudine; typorum, tabularumque aenearum, elegantia ac nobilitate; sedula denique & accurata quadam scribendi edendique ratione, ac diligentia, mendorum omnium expultrice, qua eorum labor & industria, qui libros in vulgus edunt, magnopere commendatur. Haec cum ita sint, Veneti tamen *Tomi XXXIV* venibunt pretio librarum 1496, nempe 44 in *Tomos* singulos; cum Volumina illa Batavorum, quorum summa est raritas, nunc libris ter millenis ducentis & amplius vendantur. Hominum Societas ducentorum decem & octo ad hanc diem conflata est, qui cupide emtioni nomina dedere. Adhuc *Tomi XV* prodiere; ceteri, quam primum fieri potuerit, sequentur. Graeca autem omnis eruditio Romanaque, Veneta hac editione continebitur, curabiturque, ne earum rerum quidquam illustre (si fieri possit) desit. *Tomi sex*, qui, ut supra dictum est, editioni huic addentur, studio, industria, ac diligentia colligentur *Apostoli Zeni*, Poetae & Historici S. M. C. *Joannis Poleni*, in Patavino Gymnasio Matheseos Prof. & Fr. *Jo. Bernardi Mariae de Rubeis*, Ordinis Praedicatorum, qui & de editionis, & Editorum, praestantia monere homines poterunt. Hoc autem nunc monemus, ut, qui Societati nomina adscribere volunt, ad *Jacobum Feltrium*, ejusque Socios, literas Venetias dent. Negotium enim omne editionis ad eos solos spectat, iique sunt, qui suis sumtibus sub nomine *Joannis Baptistae Paschalis*, Veneti Librarii, rem curant; cui per multiplices occupationes, quibus distinetur, neque dare, neque accipere, literas missas licet. Id postremo omnes intelligant, Venetiis *Tomos* traditum iri, ibique pro his pecuniam pernumeratum.

❀ ❀ ❀

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXXVI.

CODEX THEODOSIANUS, CUM PERPEtuis Commentariis JACOBI GOTHOFREDI, Viri Senatorii, & Jurisconsulti superioris Seculi eximii. Præmittuntur Chronologia accuratior, Chronicon historicum, & Prolegomena. Subjiciuntur Notitia dignitatum, Prosopographia, Topographia, Index rerum, & Glossarium Nomicum. Opus posthumum, diu in foro & schola desideratum, recognitum, & ordinatum ad usum Codicis Justinianei, opera & studio ANTONII MARVILLII, Antecessoris primicerii in Universitate Valentina. Editio nova, in sex Tomos digesta, collata cum antiquissimo Codice MS. Wirceburgensi & libris editis, iterum recognita, emendata, variorumque observationibus aucta, quibus adjecit suas JOAN. DAN. RITTER, Prof. Publ.

Tomus I.

Lipsiæ, sumtibus Mauritii Georgii Weidmanni, 1736, fol. Alph. 8 plag. 8.

Satis constat, quanti momenti sit *Codex Theodosianus* ad interpretanda Jura, atque ad ornamentum elegantissimarum literarum; dudumque doctissimus quisque admiratus est *Ja-*

 cobum

cobum Gothofredum, qui Commentariis hoc antiqui Juris corpus instruxit elegantibus, in quibus quasi unum in cumulum congesta videre licet, quæ Græcia vetus atque Latium, Romanumque imperium, Augustis rem publicam tractantibus, habuere notatu dignissima. Commendabat librum præstantia, sed raritas augebat plurimorum desideria, exoptantium, uti denuo typis mandaretur. Jam, quod dudum in votis habuere, oculis usurpare possunt, & his ipsis deliciis antiquitatum frui. Fruentur autem iis majori cum jucunditate, quando intellexerint, hanc ipsam editionem longe superare Lugdunensem. Codex, quo cum Principum Constitutiones collatæ sunt, antiquissimus est, & inter cimelia Archivi Capituli Wirceburgensis servatur. Characterem in æs incisum addidit Cl. Editor, atque de antiquitate & præstantia Codicis in Præfatione late disseruit. Convenit autem literarum ductus accuratissime cum illo, quem servant Digesta, quæ in Florentino Palatio visuntur, atque inprimis observatum, Codicem Wirceburgensem Seculi V scripturam Romanam ætatis secundæ imitari, & certare, quod attinet ad accuratam literarum delineationem, cum Codice *Orosii* Mediceo *Laurentiano*, ex quo specimen dedit Cl. *Mabillonius* de Re Diplomat. Tab. V. Certe venit Cl. *Eccardo* in mentem, hunc Codicem Pandectis Florentinis forte esse ætate superiorem. At dubius hærebat Vir doctus; Editor autem Clariss. examine habito, & pensitatis omnibus, quæ antiquitatem MSti docere poterant, affirmare non dubitavit, esse eum antiquiorem Digestis Florentinis, atque Seculo VI scriptum. Notum enim est, Wisigothos, in Gallia sedentes, Romanorum reliquiis, quibus erat permissum, ut sua viverent lege, breviarium Legum Romanarum tradidisse, cujus exemplaria, Referendarii Gothici autoritate munita, ad Comites judicesque transmittebautur ex aula. Wirceburgensis autem Codex Cl. Editori inter primos fuisse videtur, qui jussu Regis *Alarici* conscripti sunt, & ad Comites provinciarum missi, testante id characterum forma, quæ proxime ad Seculum accedit quintum. Aliud se offert antiquitatis documentum. Fuit nimirum, uti videtur, inter Clericos Wirceburgenses vir sedulus, qui, relegens hoc Romanarum legum

legum breviarium, nonnulla emendavit, & literas, quæ vix apparebant, aut legi poterant, (vel quod liber per diuturnum in foro usum fuerat corruptus, vel in manus venerat barbaras, jacueratque neglectus,) multa cum solertia restituit, & tegula, ex nudis crassisque asseribus ruditer confecta, addidit. Est autem literarum ductus, quem observabis inprimis pagina ultima Codicis, cujus specimen in Præfatione videre licet, Seculi VIII, & convenit cum charactere, quem dedit *Mabillonius Tab. IX Tom. I*, & cum *Pastorali* S. *Gregorii* Papæ, cujus ex Bibliotheca Tegernseensi specimen habes apud Autorem rem Chronici Gottwicensis *Tom. I pag. 36.* Ex his facile quis judicare poterit, Codicem ipsum, qui Seculo jam VIII, quod in tot hominum manibus fuerat, atque forte sæpius in judiciis evolutus, literarum cum postularet renovationem, non posse non inter antiquissimos, quos habet Germania, numerari. Plura, quæ ad Orthographiam pertinent, observavit Cl. Editor, disputatumque fuit, an a *Burchardo*, Wirceburgensium Præsule, rarissimum hoc Opus ex Italia Wirceburgum translatum fuerit, quod videbatur Cl. *Eccardo.* Præter hunc Codicem rubricæ Theodosiani Codicis collatæ fuerunt, cum MSto Codice breviarii Legis Romanæ, quod in Guelferbytana Bibliotheca servatur. Codex Seculum quidem attingit VIII, Principum tamen Romanorum Constitutiones in illo non apparent, sed Gothica tantum interpretatio, cui ab aliis alia addita sunt. Librum putat Cl. Editor confectum a privato quodam Jurisconsulto, jussu monasterii cujusdam, ad usus practicos. Ex editis libris ad manus fuit *Sichardi* Codex, cui plus tribuit Cl. Editor, quam vulgo solent viri docti. Repræsentavit enim Cl. Vir integerrimum Compendium Legum Romanarum, quod Gothorum iussu confectum fuerat, & sunt iniquæ querelæ illorum, qui, integros libros desiderari in illo, clamitant. Habuit præterea *Sichardus* ad manus Codices MStos bonæ notæ, ex quibus optima fide omnia transscripsit, absque censura critica. Cum *Sichardino* labore conjunctus est, quem debemus *Cujacio*, Codex *Theodosianus*, Lugduni A. 1566 editus. Ex Tiliana editione Gothofredus excerpsit, quæ erant digna notatu, otiumque fe-

cit aliis. Cum vero maximus ille ICtus, morte præoccupatus, Operi incomparabili ultimam admovere manum non potuerit factum est, ut manca multa & in notis & in Commentariis superessent. Cum etiam inscripsisset animadversiones singulis schedis tumultuario ordine, alienum hinc inde locum nonnulla occuparunt, quod an incuriæ Cl. *Marvillii* tribuendum sit, ignoramus. Varia Autorum loca fugitivo tantum sunt inspecta oculo a *Gothofredo*, quæ judicium multamque desiderabant pensitationem, monuitque Cl. Editor lectores, singula bene prius a viris doctis expendenda esse, quam transscribantur ex Commentariis. Et, quo quis rectius judicaret ad *l. 7 de Cognitor. & Procurat.* ubi *Gothofredus* sibi proposuerat, semel de Cognitoribus differere, in Præfatione dedit Commentarium, disputans de Cognitoribus & cognitoria opera, & illustrans loca ea, quæ *Gothofredus*, nullo habito selectu, cumulaverat. Atque hoc erat, quod movere poterat, ut adderet Virorum doctrina & Juris scientia clarissimorum integras observationes, quod factum ad titulum de Assessoribus, ubi inveniet Lector, quæ *Petr. Burgius*, *Des. Heraldus*, & *Scipio Gentilis*, tradiderunt, & quæ de cancellariis *Casaubonus* ac *Salmasius* ad Augustæ Historiæ Scriptores notarant. Viderat quidem hæc *Gothofredus*, atque, quæ ipse reliquit, debet tantis viris, sed, uti solet cum operibus posthumis fieri, confusius omnia conjecta sunt in chartam, & sparsa hinc inde, neglectis etiam aliis, quæ tamen ad cognitionem harum rerum penitiorem maxime sunt necessaria. Habes etiam in hoc ipso *Tomo* observata *Goesiana* ad Titulum finium regundorum, sine quibus omnino cæcutiendum esset. Etenim vidit magni nominis Belga, quæ fugiebant *Gothofredum*, & id demum collegit ex omni re agraria, quod debebat ad harum legum illustrationem adduci. Quæ Cl. *Best* in libello de ratione emendandi leges, ad leges, quæ hoc *Tomo I* continentur, attulit, diligenti examine de iis instituto in Præfatione tetigit Cl. Editor, de reliquis, quæ apud eundem occurrunt, ad ipsas leges Deo dante judicaturus. Quo vero judicium melius fieri possit, quid in hac nova editione post *Antonii Marvillii* operas præstitum sit, singula, quæ continet *Tomus*

mus

mus hic, videamus. Primum occupat locum Chronologia, quam plurimis acceſſionibus auctam videbunt Lectores. Nuda apparent Conſulum nomina in editione Lugdunenſi, cum in hac Conſulatus faſtorum autoritate confirmati ſint, additis etiam marmoribus, quæ non modo inſigne conciliant faſtis ipſis decus, ſed & utiliſſima ideo dudum viſa ſunt, quod plura Conſulum nomina, quæ lapides repræſentant, cognoviſſe conducit, & Conſulatus numeri, toties falſo a librariis adſcripti, toties etiam neglecti, rectius vindicari non poſſunt, quam ex fide marmorum. Chronicon hiſtoricum *Gothofredi* Chronologiæ ſubjunctum, auctum eſt, & hinc inde multum emendatum ex recentiorum ſcriptis, atque inprimis ex *Anton. Pagi*, Critica ad Annales *Baronii*. Ipſis vero legibus, quæ conſulatus ordinem ſequuntur, ſubtextæ breves Virorum doctorum obſervationes, nomine eorum laudato, quo quis internoſcat a *Gothofredi* lucubrationibus. Nihil autem mutatum in Chronologia circa leges & obſervata *Gothofrediana*, ſed omnia expreſſa ſunt ad fidem editionis primæ. Fatetur Cl. Editor, multa occurrere & in Chronologia & Chronico, quæ omnino accuratius examinanda ſunt, & alia, quæ ne quidem poſſunt probari, quorſum refert illud, ubi *Gothofredus Gallum*, Cæſarem, mox mutato nomine *Conſtantem* dictum ſcripſit ad A. 351, & iterum ad *leg. 2 de inceſt. nupt. not. c*, cum tamen *Idatius* & alii Faſtorum compilatores, diſertiſſime autem *Socrates Lib. II, Cap. 28* *Conſtantium* appellent: *τότε δὲ ὁ βασιλεύς, Γάλλον μὲν ἀνέψιον ἑαυτοῦ καίσαρα καταστήσας, τότε εἰκὼν αὐτῷ ὄνομα, εἰς τὴν συρίας ἀντίοχειαν ἔπεμψε.* Sequuntur Chronologiam Prolegomena, quæ a *Gothofredo* tantum per lacinias diſpoſita, & quaſi præparata, relicta fuerant. Hæc a *Marvillio* in XII Capita digeſta ſunt: in quo tamen viro Cl. Editor deſiderat accurationem, cum plus aliquando promiſerit in Indice Capitum, quam in ipſis Capitibus pertractatum eſt. Exemplum dat in Præfatione ex *Capite VII*, cujus eſt inſcriptio: de uſu Theodoſiani Breviarii per Gallias & Hiſpanias, ſub Viſigothis, Burgundionibus, & Francorum Regibus primæ ſtirpis, & ſub Longo-

bardis per Italiam. Sed de Longobardis in hoc ipso Capite nihil dictum. Differit autem Cl. Editor in Præfatione de usu *Breviarii* inter Longobardos. Nihil se legisse hactenus apud coævos scribit, sed notat ex *Brencmanni Histor. Pandect. Florent. Cap. 9*, apud Pisanos quoque lege Romana jus redditum, quod docet Codex MStos *Strozzianus*, continens Constitutiones Pisanæ civitatis. Neque rari sunt Codices MSti Breviarii Gothici in Bibliothecis Italis, conjecturam stabilientes, hoc Juris Corpus & sub Longobardis obtinuisse, quod confirmavit *Sigonius Histor. de regn. Ital. Lib. VIII ad A. 1007*, ex tabulis Mutinensis Ecclesiæ docens, homines lege Romana vixisse, ubi Compendium *Alarici* Regis intelligendum, quod vulgo inscriptum est *Lex Romana*, probante id etiam *Gothofredo* in Prolegomenis. Putat tamen Cl. Editor, usum Breviarii non prius fuisse inter Longobardos, quam regno eorum a Francis destructo, a quibus sine dubio & legum corpus, quod inter Romanas reliquias in Gallia obtinebat, in Italiam introductum. Et, si qua mentio legis Romanæ eo tempore, quo adhuc firmissimum Longobardis in Italia imperium erat, intelligendus, aut Codex *Theodosii* integer, aut Edictum *Theodorici* Regis, aut quod maxime vult, *Justiniani* legum corpus, quondam in Italia maximæ autoritatis, & in Exarchatu Ravennatensi continuæ observantiæ. Ad Prolegomena accedunt Observationes, & præsertim differit Cl. Editor ad *Caput I* de Novella *Theodosii*, quæ est de Codicis autoritate, cujus subscriptio est, data XV Kal. Martias Constantinop. *Theodosio* A. XV. ubi *Gothofredus* & alii jam observarunt, clare reponendum *Theodosio* A. XVI. Cum autem in Codice Wirceburgensi subscriptio esset; dat. XG Kal. Mart. *Theodos.* A. XG, late differuit Autor de G, nota numeri senarii, advocatis in subsidium, quæ hac de re tractarunt *Mabillon, Norisius*, & alii. De die adjecto ad ipsas, Deo dante, Novellas dicetur. Cum vero perlustrandæ essent, Principum Constitutiones, quas *Gothofredus* notis & Commentariis instruxit, difficultates maximæ Cl. Editori fuerunt superandæ. Nulla enim occurrebat lex, quæ non inspecta fuerit; Autorum loca restituta, lacunæ suppletæ sunt, quarum numerus

numerus haud erat exiguus. Notas etiam adjecit Cl. Editor, si quando per tempus licuit, quod aliquando vix sufficiebat ad evolvenda tot Autorum testimonia, male vel ab ipso *Gothofredo*, vel a *Marvillio*, apposita, quæ facile observare poterunt diligentes atque accurati Lectores, inprimis ubi placuerit conferre hanc editionem cum priore. Accessit tandem vita Cl. *Marvillii*, a Genevensi viro docto conscripta eleganter, quæ delectare tanto magis poterit, quanto obscurior hactenus hujus Viri fuit memoria.

HISTOIRE UNIVERSELLE. &c.

h. e.

HISTORIA UNIVERSALIS SACRA & profana, inde ab origine mundi ad nostra usque tempora. Autore R. P. Dom AUGUSTINO CALMET, Abbate Senon. & Congregationis S. Vann. & S. Hidulph. Præside.

Tomus I.

Argentorati, apud Jo. Reinald. Dulsseckerum, 1735, 4.
Alph. 4 plag. 5.

Cum tanta sit hominum animorumque diversitas, ut eadem omnino res alio identidem atque alio convestita integumento, suos semper amatores habeat atque admiratores, quibus, ut reliqua desint omnia, grata saltem novitatis specie se commendet; dubitandum minime est, fore, ut hoc etiam Opus hominis, industria scriptorumque multitudine celebrati, non apud nullos plausum ferat. Quanquam enim Historiarum Universalium tamen immensus est numerus, copia fere ut earum laboremus, nemo tamen unus, uti nunc sunt tempora, vitio dabit Autori, quod suam, quæ præcipua ejus dos est, non dissimili licet ab aliis argumento, dissimili tamen fecerit Historiam oratione ac stilo, ac, quæ convenere, in eandem transtulerit ex aliis. Hac nempe via permultos, qui in eruditis

tis cenſentur, nec id ſine ſucceſſu, ad gloriam nominisque celebritatem graſſari, eamque ex voluminum mole metiri, videas. Noſter quidem certe Hiſtoriam ſuam hoc inprimis nomine commendat, quod nullam prorſus omiſerit cauſam, notam quantumvis ac pervulgatam, at nihilo tamen ſecius in *ſex* tantummodo *Voluminum* limites eam concluſerit. Nihil autem hic habes, quod auribus magis, quam animis, ſcriptum ſit, non verborum ornamenta ſtudio quodam conquiſita, non lenocinia, quæ Rhetores expromant, non imagines, ingenii ope adumbratas, ſed ſimplices rerum deſcriptiones, amplioribus cauſarum, unde quævis exſtitit, commentationibus in Prolegomena rejectis. Ubi Autores in diverſa trahunt, raro, quid ipſe ſentiat, præ ſe fert, in poſtrema recenſitarum opinionum acquieſcere viſus. Laudat tamen, uti dictis fides conſtet, quos habuit, Autores, omnia vero ad ſacri Codicis oracula exigit. Ex ea re mirum non eſt, quod totum fere ſacrum veteris inſtrumenti Pandecten, quoad hiſtorica continet, vel deſcripſerit ad verbum, vel, ubi concinnius quid ſcriptum erat, latius enarraverit. Nobis propterea ſatis erit, ſumma librorum Capita indicaſſe, non omiſſis paucis iis, quas proprias ſibi habet ac peculiares, ſententiis. Libro igitur I, firmamentum *Gen. 1* aerem eſſe, credit, in quo nubes nebulæque gignuntur; aquas adeo, ſuperiores dictas eſſe, quo diſtinguantur ab inferioribus, quæ maria, flumina, fontes, ſuppeditant. In hiſtoria Ægyptiaca temporum rationes incertas perhibet, *Diodorum* tamen *Siculum* ac *Herodotum* ſequitur, atque, ſicubi a Codice S. abeunt, emendat. Circumciſionem *Abrahami* poſterorumque, non abolendæ primæ labis, uti *Auguſtinus* aliique ſtatuunt, verum diſcriminis cauſa, ac ſigni, inſtitutam exiſtimat, quo ab aliis gentibus diſtinguerentur. *Manethonis* narrationem de Regibus paſtoribus, *Hyc - ſos* dictis, ac ſumma quondam rerum in Ægypto potitis, quibus *Jacobi* ac *Joſephi* poſteros indicari, plerique omnes perſuaſum habent, non equidem extra omnem dubitationem poſitam, at probabilem tamen, eſſe arbitratur. Et hæc fere *Libro I.* *Secundus* incipit a *Jobo*, cujus hiſtoriam tragœdiam eſſe negat. Dum leges de lepra latas

latas enarrat, lepram veſtium multitudine vermium, adeo parvorum, ut ſenſus fugerent, veſtesque exedentium, excitatam tradit, ac pari modo de lepra domuum judicat. *Balacum* verum fuiſſe Prophetam, opinatur. Angelum, a *Joſua* viſum, *Michaëlem* perhibet. Chananæos, a *Joſua* fugatos, Africam verſus ad maris latera mediterranei ſedes conſtituiſſe, docet, atque ad ſingularem ea de re Diſſertationem, a ſe conſcriptam, Lectores ablegat. Hiſtoriam Judaicam Libro *III* antecedit Græca, quoad regna Argivorum ac Sycionenſe. In Chinæ rebus, cujus primordia ſub *Fohi* demum A. 392 poſt diluvium ponit, percenſendis multus eſt: omnia tamen, quæ de longa 22 Dynaſtiarum ſerie narrantur, incerta credit. Sequitur *Ogygis* diluvium & *Deucalionis*, regnum Trojæ, hiſtoria *Æneæ*, Argonautarum, *Herculis* & Heraclidarum, *Theſei*, *Oedipi* & *Jocaſtæ*, primi denique belli Thebani. Quod ad Judaica attinet, utrum *Jephta* filiam immolaverit, an, ut innupta maneret, devoverit, haud decidit. *Librum IV* hiſtoria *Saulis*, *V Salomonis*, occupat. *Sexto* tempus Græciæ hiſtoricum, ludi Olympici, Nemei, Iſthmici, *Draco*, *Solon*, *Lycurgus*, Lacedæmoniorum reſpublica, ac Carthaginienſis, vita *Homeri*, quem cœcum natum fuiſſe, ideo negat, quod res ſolo viſu percipiendas tali modo tam eleganter depingere non potuiſſet, *Heſiodus*, *Thales*, *Chilon*, *Pittacus*, *Bias*, *Cleobulus*, *Periander*, *Æſopus*, *Epimenides*, *Sardanapalus*, *Ninus* junior, ſucceſſores *Æneæ* in Latinorum regno, *Romulus* & *Remus*, Romæ fundamenta, Judæorum denique res, regno inter *Judam* & *Iſraëlem* diviſo, ex priſcis monumentis ſiſtuntur. *Libro VII* regnum *Ezechiæ*, *Nabuchodonoſoris*, Babylonis occupatio, regna *Iſraelis* & *Judæ* everſa, captivitasque, deſcribuntur. *Libro VIII* hiſtoria Medorum, Aſſyriorum, Chaldæorum, Græcorum usque ad *Cyrum*, traditur. In hiſtoria *Cyri Herodotum* inprimis ſequitur. *Xenophontem* plura addidiſſe de ſuo, exiſtimat, quæ magis commonſtrent, qualis princeps magni exempli eſſe debeat, quam qualis re vera *Cyrus* fuerit. Finem faciunt res Græcorum ad A. M. 3573, initium ſcilicet belli Peloponneſii, Athenienſes

inter ac Lacedæmonios conflati. Annexa eſt Tabula Chronologica, qua, quicquid latius expoſuit, comprehenſum, uno intuitu conſpiciendum præbet.

Die göttlichen Schrifften vor den Zeiten des Meßiä JEſus 2c.

h. e.

SCRIPTA ΘΕΟΠΝΕΥΣΤΑ *ANTE ÆTATEM Meſſiæ Jeſu, Leges Iſraelitarum continentia, verſione liberiori quoad Partem primam propoſita, obſervationibusque tantum non perpetuis illuſtrata.*

Werthemii, absque mentione Typographi, 1735, 4. Alph. 5 plag. 21.

Verſionis hujus, qua Pentateuchus in idioma linguæ Germanicæ translatus eſt, generalia quædam, de librorum divinorum autoritate, deque methodi regulis, quas fuerit ſecutus, in Præfatione ſatis copioſa Autor anonymus tradit. Quod ad autoritatem illius pariter & reliquorum librorum Biblicorum attinet, exiſtimari illos infallibiles, docet, adeo, ut & dogmata eorum, ſine ulla contradictione, aſſumi, & actiones ex eorundem præſcripto inſtitui, debeant; ejus opinionis rationem non aliam allegari poſſe, quam quod origo illorum ab entitate ſuprema derivetur, quæ inſpiraverit eos hominibus quibusdam, & obligationem, ad eosdem aſſumendos, univerſo generi humano impoſuerit; eam dignitatem conſecutos eſſe libros illos ex Autorum revelationibus, effectibusque inſolitis, quibus, ut, ſingularem iis cum Deo conſuetudinem, tanquam interpretibus, voluntatis divinæ placita explicantibus, adſcribendam eſſe, opinarentur homines, factum fuerit; Autores primos a ſucceſſoribus, ſcripta illorum allegantibus, in poſſeſſione præſtantiæ ſuæ divinæ

næ confirmatos, eandemque inter Judæos non levi opera conservatam fuisse; alios deinde accessisse doctores, hæc scripta illustrantes, & tanquam fundamentum suorum tractatuum producentes, ut hoc modo regna tandem integra exciperent libros divinos applausu universali, & eosdem regulam publicam dogmatum fidei & morum constituerent. Novus noster Interpres, libros divinos a Deo profectos esse, non negat diserte: providentiæ tamen divinæ, & efficaciæ verbi, ne minimam quidem facit mentionem: quod fieri debuisse, omnes studiosi veritatis nobiscum fatentur. Pergit, eundem locum hæc scripta obtinuisse ad nostram usque ætatem, qua majori cura examinentur veritates, ac antea factum fuerit; inter Judæos exstitisse paucos, qui contradicerent, aut pollerent eo judicio, quod ad formandam contradictionem pertineret; hinc & illos, & scripta illorum fuisse neglecta; simulatque autem ad Græcos & Romanos scripta horum pervenerint, intellectum maximopere colentes, fuisse oppositionem ortam, quod cum placitis suis ii principia Biblica componere non possent, plebem autem, rudem eorum, quæ faciunt ad sapientiam, cum in hypothesibus novis deprehenderet verisimilitudinem, quæ flectere mentes hominum posset, assumsisse eas, & cum absurdis, quas foverant, opinionibus commutasse. Sic & alios ad autoritatem iis concedendam, nondum ratione sufficiente convictos, nondumque nexu illarum cum aliis principiis satis evidentibus demonstrato, adductos, nec spem ullam superfuisse, futurum, ut religionis hujus defensores essent idonei ad efficiendam demonstrationem. Ita tandem scriptorum autoritatem divinam consecutam esse, quam quæsiverant. An hic efficacia verbi divina nihil fecit? an demonstrationis defectus in mysteriis, omnem captum finitum excedentibus, autorum quasi stupiditati impingendus? Vix credimus, futurum, ut ullius, qui veritatem colit, Theologi assensum assequatur Interpres & approbationem. Exstitisse quidem ait sapientes tam perspicaces, quibus remanserint dubia, eaque subinde clare satis exposita; quibus fuerit breviter responsum, demonstratio-

nem rerum omnium theologicarum dari non posse, id quod controversiæ, cum *Woolstono* & *Tindalio* agitatæ, satis superque declarent. Quæ annectit Interpres novus de jure adversariorum, quo recte sibi exposcant probationem & deductionem, qua nexum thesium inter se & harum cum principiis notis & evidentibus ostendi sibi volunt, ita se habent, ut recte vocentur in dubium. Fieri enim nequit, ut nexus veritatum inevidentium cum evidentibus principiis ostendatur. Unicum producimus exemplum incarnationis filii Dei, cujus nexum cum veritatibus divinis aliis ostendi haud difficulter potest; eundem autem si cum principiis rationis tentaveris, laborem tuum omnem esse inanem experieris: quia conditio rei ipsius adversatur. Sed de hac re dispiciant alii, cum in refutando per instituti nostri leges non versemur. Rem omnem ad duplex momentum, ait, redire, ad *historiarum* nempe, & *dogmatum*, veritatem. Quod ad *veritatem historiarum* attinet, rationem judicat satis sufficientem ad illas amplectendas, cum earum falsitas doceri nequit; accedere scriptorum aliorum fide dignissimorum harmoniam. Quod ad *dogmata*, multa affert de principiis generalia, quorum examen Logicis committimus. Multas nobis veritates manere, concedit, quoad modum incognitas, certas tamen, aut saltem probabiles: dogmata & principia, quæ in his scriptis contineantur, attinere ad ea maximam partem, quæ agenda, quæve sint omittenda, ad quæ moveatur homo motivis, voluntatem ad exercitium flectentibus, posse tamen illum miraculis ad fidem adduci. Sed, cum non omnes scripta hæc recte intelligant, doctores omni ferme ætate publicos fuisse constitutos, qui doctrina & instructione sua præire debeant aliis, ex his scriptis colligentes, quæ connectuntur inter se, quorum methodus vehementer differat. Se opinari, præmittendam versionem esse, qua via præparetur ad illud ipsum felicius exequendum, seque hoc scopo arripuisse calamum, ut, versione recte emendata, systema formaretur rerum divinarum, scopo suo accommodatum. Pollicetur itaque multa, quæ ad divino-

vinorum ſcriptorum rectiorem intellectionem conducant. Quod ut eo felicius procedat, regulas hermenevticas præmittit, quarum ſit uſum ſecuturus. Merentur illæ, ut afferantur. Interpretem genuinum iis, credit, uti loquendi formulis, quæ ſua ætate uſu ſint receptæ, ſuaque ſe commendent perſpicuitate. Locutiones figuratas a tropis ſuis eſſe liberandas, & proprie proponendas: numerum itaque verborum ab interprete iniri non debere, ſed attemperari eadem ad ſcopum præfixum. Interpretem juncturæ vocum rationem habere non debere, ſed attemperare ſe potius ad proponendi modum, aptum ſatis & materiis accommodatum, prout ſcopus & regulæ linguæ ſuæ id requiſiverint. Sic etiam eundem ad verborum ſonum ornatumque reſpicere debere. Se itaque a plerisque doctoribus reliquis, qui ad formulas ſe adſtringant, differre. Has cauſas eſſe, profitetur, cur ſcripta divina ſua verſione aliam faciem, ac huc usque habuerint, induant; non tamen res ipſas, nec earum notiones, nec ſcribendi rationem, ſcriptorum divinorum corrumpi aut mutari; nomina propria ita proferri, prout Oratoriæ regulis ſit conveniens; feciſſe ſe etiam ſectiones novas, easque, quæ uſu receptæ fuerint, in margine ſcripſiſſe, ut ſuæ verſionis tenor cum aliis verſionibus eo rectius compararetur. Verſionem ſe adornaſſe liberam, fatetur, minus autem periphraſin, quod alioqui majori uti potuerit libertate: interea eas loquendi formulas, quæ tædium creent lectoribus, omiſiſſe. Ceterum interpretationem ſuam & verſionem appellare liberam, quatenus adſtrictæ, quæ ad verba alligetur, opponatur; nonnunquam conceptus alia plane ratione, ac in textu reperiantur, adjectis tamen in caſu poſteriori obſervationibus, propoſuiſſe, nonnemine eruditorum magni nominis occaſionem ſuppeditante; hoc modo convenientiam oſtendere verſionis cum textu originali voluiſſe, paucis exceptis locis, in quibus ex antiquitate harmoniam oſtenderit, ut diſtincte omnia paterent. Quod ad obſervationes attinet, in his ſæpius excuſaſſe, quæ aſſumſerit, ut inſerviret ornatæ loquendi rationi,

evitaretque repetitiones unius ejusdemque vocis, sæpius nonnunquam factas. Explicationes fecisse diversas ab aliis, cum fuerint visæ ex mutationes inevitabiles, non diffitetur, operamque dedisse, ait, ut ad notiones, in sua versione sumtas, progrederetur, licet principia non omnia, ne copiosus nimis esset, probaverit; autoritati horum scriptorum, putat, nihil ita decedere, sed confirmari fidem. De rebus naturalibus diserte satis se, cum adversus honestatem illæ non impingant, locutum esse, monet. In locis, ubi desunt observationes, suam versionem cum textu originali concordare, sibi persuadet, quandocunque autem ordinem mutaverit, rationem ejus quærendam, dicit, partim in regulis Grammaticæ, partim Rhetoricæ, artisque ornate loquendi; supponere itaque se lectorem, facultate recte res percipiendi instructum, quod alii rite judicare nequeant. Se examinasse singula, & rationes indicasse, ait, quarum examen aliorum committat judicio. Non negat, dogmata, quæ ex locis certis probari soleant, ex iis robur aliquod mutuari non posse; se tantum rationem habere verborum, scribit, & parum curare, quomodo thesis aliqua in sensum alienum detorqueatur. Exhibere se versionem Partis primæ, quæ ante adventum Messiæ jamjam conscripta fuerit: quod ad reliqua attineat scripta, de iis propediem publicandis curam suscepisse, ordine librorum textus originalis observato. Recenset deinde, quæ ad historiam illius versionis pertinent, &, sperare se, ait, Dei fines hoc instituto propagatum iri: ita enim se locutum de Deo, ejusque actionibus, prout ejus proprietates, ad loquendi rationem, nostra ætate familiarem, requirant; neglectis diversis eruditorum opinionibus. Concludit tandem cum voto, ut theoria pariter & praxis Deo placens hoc suo labore insigniter promoveatur. Proferemus, ut benevolus Lector eo rectius de labore Interpretis judicare possit, unicum dictum, textu originali, & versione adstricta, & liberiori, & denique nostri Interpretis, allatis, sumta descriptione imaginis divinæ ex *Genes. Cap. I v. 26 & 27:*

Textus

Textus Ebræus.	Versio *Sebast. Schmidii* adstricta.	Versio *Castellionis* minus adstricta.	Versio *B. Lutheri*.	Versio nova Interpretis Werthemii latentis.
ויאמר אלהים נעשה אדם בצלמנו כדמותנו וירדו בדגת הים ובעוף השמים ובבהמה ובכל הארץ ובכל הרמש הרמש על הארץ:	*Tandem dixit Deus: Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram: & dominetur in piscem maris, & in avem cœli, & in bestiam, & in omnem terram, & in omne reptile, quod repit super terra.*	*Faciamus hominem ad imaginem nostram, nostri similem, qui dominetur piscibus, aquatilibus, volucribus aeris, pecudibus, denique toti terra, & quicquid in terra movetur.*	Und GOtt sprach: Lasset uns Menschen machen, ein Bild, das uns gleich sey, die da herrschen über die Fische im Meer, und über die Vögel unter dem Himmel, und über das Vieh, und über die gantze Erde, und über alles Gewürme, das auf Erden kriecht.	Endlich hatte GOTT beschlossen, auch Menschen hervor zu bringen, welche mit ihm eine Aehnlichkeit hätten, und denen er über so vielerley Geschöpffe die Herrschafft übergeben könte: nehmlich über die Fische im Wasser, über die Vögel in der Lufft, und über das Vieh, und über die Insecten, mit einem Worte, über die gantze Erde.
ויברא אלהים את־האדם בצלמו בצלם אלהים ברא אתו זכר ונקבה ברא אתם:	*Creavit itaque Deus hominem in imagine sua; in imagine (inquam) Dei creavit eum, masculum & fœminam creavit eos.*	*Itaque hominem Deus ad sui, id est, ad divinam, imaginem creavit, scilicet marem & fœminam.*	Und GOtt schuf den Menschen ihm zum Bilde, zum Bilde GOttes schuf er ihn, und er schuf sie ein Männlein und Fräulein.	Dieser göttlichen Absicht gemäß entstunden zwey Menschen, einer männliches, der andere weibliches Geschlechts, welche mit ihm eine Aehnlichkeit hatten: ich sage nochmahls, sie waren GOtt ähnlich.

Ex duobus his verſibus patet, quanta ſit inter textum originalem & verſionem novi Interpretis, quanta item inter verſionem *Caſtellionis* & ejusdem Interpretis, differentia. Noluit *Caſtellio*, adſtricta methodo, textum ſequi originalem, ut latinitatis terſioris genio inſerviret: ea tamen minus eſt uſus libertate, ut, relicto textu, verſioni ſuæ inſereret aut a mente autoris principalis plane aliena, aut pro arbitrio electa, nulla habita aut textus, aut conſtructionis, aut aliorum ſubſidiorum hermēnevticorum, ratione. Paucula verba illa, modo recte inter ſe comparata, quam audacter reliquerit Interpres textum, oſtendunt. Eadem uſus eſt ille in locis claſſicis reliquis interpretandi licentia, ut continuationem Operis non optemus, ſed eidem mentem, ad ſtudium veritatis Evangelicæ magis attemperatam, apprecemur. Ita candide pronuntiamus, nihil reformidantes tela, ſi quæ forte in nos emiſſurus ſit Interpres, ſicut emiſit nuper in *Actorum Eruditorum*, quæ vernaculo ſermone Lipſiæ publicantur, eruditiſſimos Autores, quibus candor ſuus, ſtudiumque veritatis, eandem de conſilio Autoris, turbandi rem ſacram temerariis moliminibus, ſententiam expreſſerat.

JO. CHRISTOPH. WOLFII, Paſt. ad D. Cathar. & Scholarchæ, Curæ Criticæ & Philologicæ in Epiſtolas S. S. Jacobi, Petri, Judæ, Joannis, hujusque Apocalypſin. Accedunt in calce Reſponſa quædam ex PHOTII Amphilochiis, adhuc ἀνεκδότοις, cum verſione Latina & notis.

Hamburgi, apud hæredes Jo. Chriſtoph. Kiſneri, 1735, 4.
Alph. 4 plag. 12.

Q*uartum* hoc eſt *Volumen* egregii Operis, quod S. Rev. Autor Novo Fœderi ex præſidiis Criticis & Philologicis illuſtrando impendit. De illius conditione jam olim in his *Actis* noſtris *A. 1725 pag. 348*, & alibi, copioſius diximus. Hoc itaque loco ſuffecerit monuiſſe, eandem curam & induſtriam etiam in hoc *Volumine* probari, qua ſe ſuperiora illa commendarunt. Speciatim Vir doctiſſimus ſe opponit tum aliorum, tum inprimis *L. M. Artemonii*, i. e. *Sam. Crellii*, profa-

nis

nis in ſacras literas conatibus. Quæ enim is, ut exemplo res conſtet, in *Initio Evangelii S. Joannis reſtituto* in *Apocal. XXII, 13*, nove, &, quod ipſe profitetur, contra omnium codicum fidem, auſus eſt, ut evinceret, ibi voces: ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, malo quodam conſilio in libros hodiernos illatas eſſe, ea graviter & ſolide refellit, & ex hac occaſione varia *Jeſaiæ* oracula, quæ hinc mutare, hinc inſolenter interpretari, inſtituit, a corruptelis ejus vindicet. Recte quoque conſultum illi viſum eſt, Rev. *Leonardi Twelſii* vindicias loci *Joannei 1 Epiſt. V*, 7, & Apocalypſeos quoque, quam nuper admodum Angli quidam oppugnaverunt, ex Anglicano ſermone Latine convertere, & communiori uſui conſecrare. Cum vero & ſpatii, huic Volumini deſtinati, & otii, aliquid adhuc reliquum eſſet, in calce exhibuit Reſponſa quædam ex *Photii Amphilochiis*, adhuc ineditis, quorum pars circiter tertia, ex Codice *Coisliniano* Pariſiis a *Franc. Dionyſio Camuſato* deſcripta, & cum *Colbertino* alio collata, ad ipſum Viri Cl. *Jo. Jac. Wetſteinii* opera pervenit. Ex hac parte ea ſelegit, quæ ad illuſtranda oracula difficiliora Novi Inſtrumenti pertinent. Porro omnia ac ſingula Latine convertit, & notis neceſſariis illuſtravit. De ipſo *Amphilochiorum* opere in Præfatione diligenter diſſeritur, atque inter alia oſtenditur, ſextam fere partem illius jam exſtare inter Epiſtolas *Photii*, a *Richardo Montacutio* editas. Quod cum ab aliis non eſſet obſervatum, factum eſt, ut nonnulli Reſponſa quædam, tanquam ἀνέκδοτα, ederent, quæ in illis pridem leguntur. Ex eadem Præfatione apparet, Virum diligentiſſimum Centurias XVI Epiſtolarum *Libanii*, Rhetoris quondam Antiocheni, Græce una cum interpretatione ſua Latina & notis prelo paraſſe, quæ in Belgio operas *Waesbergianas* cummaxime exerceant, & intra anni ſpatium lucem viſuræ ſint. Præterea in calce Præfationis monetur, eundem nunc eſſe totum in recenſenda *Photii* Bibliotheca, quam nova hac opera dignam eſſe, inde a triginta annis Viri eruditi in Gallia, Italia, & Germania noſtra, recte cenſuerunt. Relatum nobis eſt, eum inter cetera inſtructum eſſe Codice quodam Amſtelodamenſi, manu exarato, nec contemnendo, alia vero aliunde exſpectare. Quod ad Curas ipſas ſpectat, ſingu-

lare Volumen in posterum sperare nos jubet, quod Supplementa, emendationes, & vindicias, complectetur. Ab eodem non pauca exspectamus Historiæ Ecclesiasticæ & literariæ incrementa, postquam accepimus, insignem apparatum Epistolicum & Literarium, quem Illustris *Zach. Conradus ab Uffenbach* sibi olim comparaverat, in Bibliothecam ejus nunc transiisse. Constat Epistolicus ille, quod ex Indice edito didicimus, *Voluminibus LXV* in fol. *&* *LIV* in quarta forma, quæ maximam partem αὐτόγραφα Virorum doctorum, qui Seculum XVI, XVII, & XVIII, hactenus ornarunt, exhibent. Summum Numen vitam, valetudinem, animique vires, illi clementer largiatur.

ELEMENTA JURIS GERMANICI, TUM veteris, tum quod hodie in ipsis obtinet rerum argumentis. Tomus I. Ex genuinis principiis eruit, & commoda Auditoribus methodo adornavit, JO. GOTTL. HEINECCIUS, JCtus, Potent. Pruss. Regi a Consil. Sanctior. & Jur. ac Philos. Prof. P. Ord.

Halæ, impensis Orphanotrophei, 1736, 8 maj.
Alph. 2 plag. 5.

Quod Jurisprudentiæ & rectioribus studiis bene eveniat, nova in dies incrementa capit *Heinecciana* & doctrinæ & meritorum fama, atque ita eundo crescit, ut a supremo suo fastigio jam haud adeo abesse longe videatur. Habent sane, cur pro incolumitate tanti civis sui, ad gloriam decusque literarum vere nati, &, quicquid est sublimioris doctrinæ, felicissimo ingenio complectentis, conceptis votis Superos implorent, Germani nostri, quippe, quantum ipsis commodi aut præstiterit huc usque, aut præstet quotidie, tam comta & polita Musa, re ipsa fatis experti. Quam pulchra enim & decora facie, ex quo carum hoc & illustre nomen eruditis innotuit, incesserint elegantiora studia, Historia inprimis & Antiquitates Romani Juris,

quam

quam feliciter priſcum illum ſqualorem ſuum ipſæ Romanorum leges depoſuerint, & notum eſt omnibus, & condignis dudum optimorum virorum laudibus celebratum. Poſt præſtantiſſima tot ingenii & eruditionis exquiſitæ ſpecimina, jam novum Vir Illuſtris laborum ſuorum velut curriculum ingreditur, quod utinam ſero feliciterque emetiatur. Seposito pauliſper antiquo Romanorum Jure, de quo, neſcimus, an noſtra ætate quisquam fuerit præclarius promeritus, ad illuſtrandas leges patrias convertitur, idque agit, ut harum doctrinam omnem, quod ante eum aut conatus nemo fuerat, aut, qui conati fuerunt, parum dextre perfecerant, in juſtam quandam formam redigeret. Gratiſſimus & patriæ & exteris labor, maxime tamen patriæ, cui nemo poſtea Juris domeſtici inopiam objiciet. Neque vero avocari ſe a prudentiſſimo inſtituto paſſus eſt Ill. Autor ignobili hominum quorundam, qui funeſta dudum ad perniciem legum noſtrarum conſilia contulerunt, judicio, nihil aut ſani, aut quod uſum præſtare poſſit ætati noſtræ, expectari poſſe a majoribus noſtris, clamitantium, quippe barbaris, & omni legum ferendarum peritia deſtitutis. Quorum ignavus ſtrepitus ne quid aut dignitati legum noſtrarum, aut huic ipſi labori, officeret, hos, priusquam operi tam ſalutari manum admoveret, oppugnandos debellandosque juſtis armis putavit, omnibusque aut ingenii aut eloquentiæ non vulgaris præſidiis inſtructus, ampliſſima Præfatione, ipſam libri frontem ornante, pro Jurisprudentia Germanorum, tam veteri, quam recentiori, graviter & ornate dixit. Ubi cum nihil facile prætermittat, quod ad cauſam hanc eleganter perorandam ullo modo pertinere videatur, cum rationibus graviſſimis & ex re ipſa ſumtis pugnet, & ad harum nervos ipſa robora verborum adjungat, denique cum ad ſenatoriæ illius facundiæ, qua pro roſtris olim fortiſſimus quisque Orator uſus, majeſtatem proxime acceſſerit, noſtro judicio illud aſſecutus eſt Ill. Autor, ut, qui bene cupiunt Germaniæ noſtræ, his jam patrii honoris vindex ſit dicendus atque propugnator maximus. Fugatis nunc iis copiis, quæ intervertendi tam præclari inſtituti cauſa in aciem proceſſerant, bonis au-

ſpiciis ornandæ, quam ſibi ipſe dederat, provinciæ operam ſtudiumque ſuum omne impendere, & diſperſas paſſim Jurisprudentiæ noſtræ reliquias tam dextre ex antiquitatis monumentis variis eruere, tamque apte inter ſe conjungere, & ſordibus purgare vetuſtatis, cœpit, ut, ſi quis antea de legibus noſtris abjecte & contemtim ſenſerat, is, quam ſuaviter erraverit judicio ſuo, videat, jamque feliciter æmulari Jurisprudentia noſtra illam Romanorum, quantumvis ſplendidam & auguſtam, poſſit. Ipſum ſcribendi genus, ut eſt terſum & elegans, prorſusque tale, quale in ceteris Illuſtris Viri ſcriptis dudum admirati ſunt eruditi, ita ordine inprimis & congrua rerum diſpoſitione commendatur, quo fit, ut levi negotio impeditiſſimæ Juris quæſtiones enodari, & obvenientes quæcunque cauſæ ad ſua principia revocari, unicuique lectorum poſſint. Nam, qua olim Celeb. Autor in *Inſtitutionum Juris Civilis*, & *Pandectarum*, *Elementis* uſus eſt docendi ratione, ut primum leges ipſas, & id, quod juris certi eſt, ex ſuis fontibus erueret, inde juris quædam principia eliceret, plerisque gentibus communia, & ad id idonea, ut univerſæ Jurisprudentiæ firmiſſimi eſſe loco fundamenti poſſint, denique ex his ipſis principiis concluſiones certas, & ad uſum Lectorum forenſem inprimis accommodatas, duceret, ſimilem eandemque prorſus in ipſa Juris Germanici doctrina adhibuit, hoc majoris rem operæ & laboris aggreſſus, quo minus huc usque creditum eſt, legum Germanicarum apparatum adornando tanto operi ſufficere. Accidit & hoc acceptum inprimis Juris patrii ſtudioſis, quod jura Germanorum ad eandem hic, ad quam illa Romanorum in *Inſtitutionibus Juſtinianeis*, exacta normam inveniant, videantque jura *perſonarum* primum, poſtea *rerum*, denique *actionum*, explicata. Eſt enim, præeunte ita *Juſtiniano*, Opus univerſum *Libris tribus* diſtinctum, ſed quorum non niſi *prior*, atque *poſterioris* ea pars, quæ in juribus ex obligatione deſcendentibus terminatur, *Tomum* hunc *primum* abſolvunt. In limine Operis generale Caput *de Juris Germanici natura & conſtitutione* legis. Hic, quid ſit Jus Germanicum, oſtendit, idque vel *publicum* eſſe, vel *privatum*, docet.

Pri-

Privatum partim in *Provinciale, Feudale*, & *municipale*, partim in *non ſcriptum* & *ſcriptum*, dividit. *Scriptum* pro varia legum Germanicarum ratione, aliud *antiquum*, aliud *medii ævi*, aliud *novum*, dicit, de ſingulis docte, diſtincte, & accurate, differens, præcipuosque Juris noſtri fontes indicans. *Librum primum*, qui tradit *Jura perſonarum*, ingreſſus, duplex Germanorum hominum genus conſtituit, *Liberorum* & *Servorum*. Ad *Liberos* refert *Nobiles*, *ingenuos*, & *Libertinos*, quibus & recentiori ævo *Burgenſes* acceſſere. De ſingulis ſigillatim & copioſe agit, ita quidem, ut eorum originem, diverſam, ſi tempora ſpectes, conditionem, jura, aut communia, aut ſingularia, viciſſitudines & incrementa, ex probatiſſimis Scriptorum partim, partim Diplomatum, monumentis nos doceat, &, quantum in his omnibus a Jure Germanico diſcrepet Romanum, oſtendat. Inde, Juris Romani veſtigia ſecutus Ill. Autor, ad alteram hominum diviſionem progreditur, qua dicuntur alii *ſui juris*, alii *alterius juri ſubjecti*. In alterius poteſtate, ſeu, quod Germanorum eſt vocabulum, *mundio*, fuere ſervi, domino ſubjecti, liberi, parentum legibus viventes, uxores, maritis addictæ, minores, tutorum imperio alligati, libertini, adſtricti iis, in quorum ſe poteſtatem dederant, Eccleſiæ, civitatesque, traditæ in clientelam Principum. Ceteri omnes ſui juris homines, Germanis *amond* dicti. Subnata hinc Cel. Autori ampliſſima materia dicendi de poteſtate parentum in liberos, quæ cum illa Romanorum nihil fere commune habuit, de modis illam acquirendi, qui ſunt, ut apud Romanos, juſtæ nuptiæ, legitimatio, & adoptio, de modis eandem diſſolvendi, qui redeunt ad ſeparationem ſimplicem, variis temporibus varie inſtitutam, de maritorum in uxores poteſtate, de ſponſalibus, nuptiis, & aliis Germanorum juribus connubialibus, qualia ſunt jus dotium, dotalitii, morgengabæ, & augmenti dotis: de tutela maritali, & bonorum communione inter conjuges: de matrimonio ad morganaticam, diſparagio, pellicatu, & concubinatu: de divortiis & repudiis; porro de perſonis, quæ ſub tutela vivunt, & ipſa Germanorum tutela, quæ vel ſuprema, vel teſtamentaria, vel

pactitia, vel legitima, (quo pertinet & materna) vel dativa, fuit; denique de officio & adminiſtratione tutorum, modisque, quibus tutela Jure Germanico finitur. Quibus diligenter explicatis, accedit ad tertiam hominum diviſionem in *eos, qui integra exiſtimationis*, & *qui infames ſunt*. Infamiam majorem aliam, aliam minorem, vocat. Illa notati, qui arma reliquerant, ignavi, imbelles, deſertores, ex prælio fugientes, perfidi, impudici, adulteræ, ſtupratæ, meretrices, pœnæ addicti a ſacerdotibus, excommunicati, capitali, vel corporis afflictiva, pœna affecti, manu truncati, vel eam redimentes, & ſuper crimine famoſo tranſigentes; hanc campiones, artem ludicram facientes, & illegitime nati, incurrerunt. Ultimam hominum diviſionem in *cives originarios*, *adventitios*, & *peregrinos*, ponit, ſed quam, ob inſignem Germanorum hoſpitalitatem, non tanti apud hos, quanti apud Romanos, aut olim fuiſſe, aut nunc eſſe, momenti, docet. Inter alia tamen, quæ erudite hic diſputat, de nobiliſſimo illo *Albinagii* jure copioſe & diligenter commentatur, ſed cujus jam nullum amplius in Germania ſupereſſe veſtigium, cum *Bodino* & aliis contendit. Ad Jus rerum nos Liber ſecundus vocat, cujus principium diviſionem rerum in eas, quæ ſunt divini, & quæ humani juris, ipſis Germanis vindicat, oſtenditque, fuiſſe & his *rerum ſacrarum*, *ſanctarum*, & *religioſarum*, diverſa genera. Tum ad *res humani juris* referuntur, Romanorum more, *communes*, *publicæ*, *univerſitatis*, & *ſingulorum*, *corporales* etiam & *incorporales*, inprimis vero *propriæ* & *fiſcales*, quam rerum diviſionem vere Germanicam Noſter dicit. *Propriarum* aliæ *alodia*, aliæ *hereditariæ*, vel *avitæ*, aliæ *ex comparato*, vel *ex conquiſitu*, *fiſcalium feudales* aliæ, aliæ *Salicæ*, aut fuere, aut nunc ſunt. Jura rerum Germanis non minus commode, quam Romanis olim, in ea, quæ *in rem*, & quæ *ad rem*, competunt, diſpeſcuntur. Eadem porro jurium *in re* diviſio, quam quadruplicem facit Ill. Autor, ita, ut *poſſeſſionem* omittat. Diverſa eſt apud Germanos dominii ratio, quod varia prædiorum genera docent, *cenſiticorum*, *laudemialium*, *redituum annuorum*, & his plurium. Ad *uſumfructum* Germanorum referuntur

runtur ab Ill. Autore *dotalitium*, & *precaria*, ſed ab eodem diſtinguit idem *uſumfructum maritalem* & *tutorium*, nec non *majoratum*. Cum *modos acquirendi dominium naturales* recenſet, pluribus agit de *Venatione*, illuſtri Romanorum jure, de *traditione*, *præſentibus teſtibus*, *in judicio*, nec non *per glebam & ramunculum cultello erutum*, *per feſtucam vel laiſowerpum*, *per andelangum*, per porrectas alias res quascunque, quin *per propinationem*, facta. Inter *modos acquirendi civiles* numerat inprimis *præſcriptionem*, quæ tricennaria fuit apud Germanos, nec in omnibus cum Romana convenit, & *Inveſtituram*, proprium Germanis acquirendi modum, in quo totus eſt explicando, & ad leges noſtras exigendo. Servitutes Romanorum non in patiendo tantum, aut non faciendo, ſed in faciendo etiam, conſiſtunt, quod exemplo *operarum*, *angariarum* & *parangariarum*, *jurium bannariorum*, ſimiliumque, patet. *Hæreditas*, Germanorum jure, non teſtamento, ſed vel pacto, vel lege, defertur. *Pacta* nobis vel *diſpoſitiva*, vel *conſervativa*, vel *renuntiativa*, vel *acquiſitiva*, quorum diverſa ratio ex diverſis populorum Germanicorum legibus hic illuſtratur. *Teſtamentorum* in Germania origo & incrementa ſingulari Capite exponuntur. Diſcas vel hoc uno exemplo, qua ratione ſenſim in Germaniam invectæ ſint Romanorum leges. *Exhæredatio* & *ſubſtitutio* antiquiſſimis Germanis nulla; *codicilli*, *legata*, & *fideicommiſſa*, ante hæredis inſtitutionem cognita. Amplum inprimis & bonæ frugis plenum eſt Caput *de Succeſſionibus ab inteſtato*, vel *ex lege* delatis, ubi, per partes eundo, quæ fuerit deſcendentium, quæ adſcendentium, quæ collateralium, quæ conjugum, ſucceſſio, diſputat Ill. Autor, & veteris Juris reliquias hodie paſſim ſuperſtites digito indicat. Etiam in *acquirenda vel omittenda hæreditatis modis* percenſendis inſignis eſt Autoris Celeberrimi induſtria. Subnectit his utilem in foris noſtris *pignoris* doctrinam, cujus dominium apud alias gentes ad hæredem tranſiiſſe, apud alias non tranſiiſſe, ipſis adductis legibus confirmat. Jam, ita ferente dicendorum ordine, ad *jura ad rem* converſus Ill. Autor, parum hic commune Germanis cum

Roma-

Romanis fuiſſe, & pervulgatam illam pactorum & contractuum diſtinctionem, omnemque illam contractuum familiam, quæ potiſſimam Juris Romani partem abſolvit, exulare majorum noſtrorum curiis, animadvertit. Itaque de *pactis* tantum diſſerens, ad quæ omnis redit Germanorum obligatio, hæc in *benefica* & *onerofa* dividit, atque illis *donationes*, *commodatum*, *mutuum*, *precarium*, & *mandatum*, his *emtionem venditionem*, *locationem conductionem*, *permutationem*, *ſocietatem*, itemque *conventiones aleam continentes*, *facio, ut facias*, *do, ut facias*, *facio, ut des*, accenſet. Utrique generi acceſſorias conventiones addit, *pignora* & *fidejuſſiones*, *obligationem ad obſtagium*, & *ad patiendam deprædationem*. Quæ ubi ſingula perſequitur, inſtructiſſimum nobis Juris patrii theſaurum recludit, quo ſi utantur in poſterum in rem ſuam Germani, forſan pudebit hos aliquando, in tanta Juris domeſtici luce moribus peregrinis vivere. Dedimus, qua fieri potuit brevitate, *Heinecciani* Operis argumenta ſumma, quibus vel leviter inſpectis, cuilibet, quam ex Juris noſtri commodo ceſſerit præclarus iſte labor, proclive ſit judicatu. Jam vero, ſi ad ſingularia devenire nobis per anguſtiam paginarum liceret, illud ſane multis ſpeciminibus doceri poſſet, non Juris tantum inſigni peritia, ſed hiſtoriarum etiam, antiquitatum, criticesque, præſidiis opus fuiſſe Ill. Autori ad componendum Opus novum, nulli ita tentatum, omnium votis expetitum, gloriæ futurum non Autori tantum ſuo, ſed ipſi etiam patriæ noſtræ, jam caput erigenti, & peregrinis Romanorum legibus præter meritum turbatos fines ſuos conquerenti. Sed, quo major eſt eorum, quæ ſunt bona hic & lectu digna, copia & apparatus, hoc minus, quid præ ceteris ſeligamus, decernimus, id vel duobus verbis ſignificaſſe Lectoribus ſatis habentes, eorum, quos rectæ & ſinceræ Jurisprudentiæ, intra fines noſtros natæ atque educatæ, cura ſtudiumque tenet, carere hoc Opere præſtantiſſimo haud facile quemquam poſſe.

A NEW ESSAY ON MUSCULAR Motion &c.

h. e.

h. e.

NOVA EXPOSITIO MOTUS MUSCULARIS, ad ductum experimentorum, observationum, & Philosophiæ Newtonianæ; Autore BROWNE LANGRISH, *Chirurgo.*

Londini, apud Betteswortham, 1733, 4.
Plag. 13.

Inter difficiliora doctrinæ Physiologicæ problemata quæstionem de causa modoque muscularis motus esse referendam, neminem, nisi prorsus in his scientiis hospitem, latet. Plerique, mechanice, legibusque motus convenienter illum fieri, concedunt; in vero tamen ejus mechanismo tradendo ob minus perspectam musculorum fabricam interiorem, materiamque impellentem, mire dissentiunt, neque ulla ex datis hactenus solutionibus suis caret difficultatibus. Quibus argumentis motus Cl. Autor, suas quoque tentare vires, &, assumta de attractione & repulsione corporum pro diversitate polorum hypothesi ex *Newtoniana* Philosophia, novam hujus motus theoriam tradere constituit. Plerique hactenus, nervo vel arteria, Pag. 13 seq. ad musculum quempiam tendente, ligatis vel resectis motum illius perire, asseruerunt, quod, uti de nervis facile concedit, ita de arteriis minus valere, institutis sæpius experimentis se esse edoctum, perhibet. Etsi enim carotides arterias canis vivi prope cor absciderit, capitis tamen motum superstitem mansisse, neque minus, crurali arteria dissecta, inferioribus extremitatibus inniti animalia, ipsa tamen aorta descendente ligata, ut nulli rami, etiam minores, sanguinem ad inferiora derivare possint, motum omnino perire, concedit. Id saltem inde patere censet, tantam non esse sanguinis ad producendum motum necessitatem, quanta esse solet fluidi nervorum, sed secundario magis eo spectare arterias, dum partim, prope nervos sitæ, motu suo vibratorio fluidi in nervis motum accelerent, partim humore allato debitum calorem & flexilitatem fibris concilient; ipsam vero contractionem adeo non juvare, ut po-

Pag. 22. tius fibras replendo eandem impedire videantur. In tradenda fibræ muscularis structura illis assentitur, qui cylindricam eis figuram intus cavam assignant, eademque ratione transversas etiam constructas esse, quæ retinendis in ordine longitudinalibus apprime inserviant, fibras vero in distinctas cellulas vel vesiculas esse divisas, nullo idoneo experimento probari posse, censet. Fibras corporis nostri esse elasticas, sive vi quadam, si extendantur, iterum se contrahendi gaudere, docet experientia, causa vero minus in aprico est. Hanc ut eruat Cl. Autor, ab insita materiæ vi attrahendi vel repellendi pro diversitate polorum derivare conatur. Terram enim nihil aliud esse, censet, nisi magnum quendam magnetem, omnesque ejus partes simili virtute imbutas, ad se invicem rapi, vel longius recedere, prout polorum, quibus instructæ sunt, relatio illud concedat, quod exemplo solutionis, effervescentiæ, crystallisationis salium, similibusque operationibus chemicis, ab hac causa derivandis, copiose illustrat. Ipsius etiam aeris insignem adeo elasticitatem a vi particularum ejus, a se invicem resilientium, pendere putat. In corporibus solidis elasticis, sibi relictis, quasvis eorum partes, juxta polorum convenientiam dispositas, uniri supponit; inde vero vi externa compresso corpore unius lateris particulas a se disjungi, alterius lateris nimis appropinquari, unde, mutata polorum cujusvis particulæ relatione ex una parte conatus attrahendi, ex altera repellendi, augeatur, qui, simul ac impedimentum removetur, in effectum ducitur, corpusque in pristinam figuram restituitur. Idem in fibra musculari obtinere asserit. Extensa enim fibra, quasdam ejus partes propius ad se invicem adduci, quasdam autem magis diduci, quam naturalis earum cohæsio ferat, unde conatus ille sese restituendi, in corpore deprehensus, pendeat. Nihilo minus, fibras corporis nostri perpetuo tensas, sicque in statu violento esse, vel dissectio musculi in animali vivo docet, cujus fibræ in medico vulneratæ cum impetu veluti resiliunt, vulnerisque hiatum majorem reddunt. Uti vero distensio illa ab humorum influxu dependet, ita retractionem dissectarum eandem cum elasticitate fibrarum causam agnoscere, probat. Quodsi enim fibræ nimis

50.

rela-

relaxatæ fuerint, uti in anasarca contingit, illæ, etsi vulneratæ, nunquam retrocedent. Pariter, cum omnes musculi æquali tensionis gradu in æquilibrio serventur, uno illorum paralytico antagonista ejus tam diu vi propriæ tensionis contrahetur, donec prior restitutus fuerit: quamdiu vero omnes fibræ æqualiter tensæ manent, aptæ sunt ad motum voluntarium levissima determinatione suscipiendum. Ut vero eo melius pa- Pag. 53.
teat, quid sit illud superpondium, quod in motu musculari fibris accedat, attendere jubet ad res externas, quæ contractionem fibrarum augent. Sunt eæ vel spirituosæ vel adstringentes, quæ, fibrarum interstitia subeuntes ad motum illas incitant, vimque attractricem particularum augent; unde, pariter in musculari motu materiam subtilem atque volatilem per nervos fibris instillari, conjicit. Qua occasione ex structura cerebri, 56.
quæ, secretionem satis insignem ibi fieri, docet, contra illos disputat, qui, nullum per nervos fluidum ferri, volunt, quoniam ob tenuitatem suam sensibus percipi non potest, atque nulla verosimilitudine niti illos ostendit, qui, nervos munere suo instar chordæ trementis fungi, perhibent, cum sic neque distinctis sensationibus, neque motibus, producendis apti essent. Musculos in ipso contractionis actu non inflari, sed potius ali- 73.
qua ex parte subsidere, minusque, occupare spatium, noto *Glissonii* experimento, quo brachium viri robusti vasi vitreo aqua repleto imponitur, ubi, tempore contractionis musculorum, aqua minus occupat spatium, relaxatis vero musculis, iterum assurgit, tuetur, nihilo minus, singulas fibras veluti corrugatas in medio tumidiores reddi, concedens. Ipsum vero mo- 76.
tum muscularem ab influxu spirituum animalium subtilissimæ & vere æthereæ indolis deducit, quo vis attractionis particularum, fibras constituentium, augeatur, ut propius ad se invicem accedant, quam diu hæc vis extranea in musculo hæret; quæ vero ob summam spirituum tenuitatem brevi iterum evanescit, musculumque in statu relaxationis relinquit. Ut vero 78.
discrimen illud inter motus voluntarios & involuntarios distinctius explicet, nova hypothesi supponit, musculorum voluntariorum nervos circa extremitates peculiariter veluti constrictos

 esse,


esse, ut tanta spirituum quantitas, quanta ad contractionem musculi necessaria est, penetrare nequeat, mentis vero nutu accedente, majorem eorum copiam, aut eandem majori impetu eo deferri, sicque obstacula illa superari, motumque musculi ob copiosum influxum succedere. Alia vero ratione rem se in musculis involuntariis habere conjicit, inter quos solum fere cor numerat; cujus perpetuus motus reciprocus systoles atque diastoles majorem semper attentionem mereri visus est. Etsi
Pag. 84. enim systole ejus eadem ratione contingat, qua aliarum carnium contractio, diastoles tamen causam male sanguinis appellentis momento a plerisque tribui censet. Inde potius asserit, nervos, ad cor tendentes ejusmodi circa extrema constrictione, qualem in voluntariis musculis supposuerat, destitui, sicque a perenni influxu perpetuam etiam expectandam fore contractionem; nihilo minus, dum omnes ejus fibræ, mirabili tractu decurrentes, in se ipsas contraherentur, extremitates nervorum, in fibras desinentes, simul comprimi, ut transitus fluido contento denegetur, quo ipso vires cordis debilitentur, ut jam sanguini ab auriculis ad orificia ventriculi propulso cedant, sic ut sensim cor dilatetur, quo ipso novus nervorum fluido aditus concedatur, & contractio protinus iterum inchoetur, eundemque mechanismum in auriculis, tanquam vero cordis antagonista, valere, sine quo nunquam insignem cordis & auricularum vim contrahendi a sanguinis appulsu superari posse, opinatur.

J. C. POHLII, MED. D. OBSERVATIO DE TUMORE capitis fungoso, cum cranii carie, & cerebri colliquatione.

Maria Beckia, annorum septem & quadraginta fœmina, ante tredecim jam annos, negotiis œconomicis intenta, casu infortunato caput illiserat trabi, adeo, ut, fortissima contusione percussa, & humi prostrata, graviore lipothymia corriperetur. Symptomata, in principio graviora visa, præter dolores

TAB. V ad Maj. pag. 221. 222. 223. 224.

Fig. I.



lores capitis mediocres, brevi remiserunt, tumor vero nucis avellanæ magnitudine enatus eſt, quem per duodecim annos in eodem ferme ſtatu, ſine majori incommodo, geſtavit. Anno 1734 novas contuſiones ex improviſo perpeſſa eſt, unde, menſium ſimul fluxu ceſſante, tumor ille in dies fuit auctus, in tantam excrevit magnitudinem, quantam Figuræ æneæ & ſequens deſcriptio exhibent. Sedem maxima ex parte quidem tumor habebat in oſſe bregmatis ſiniſtro, ſed ſuturæ ſagittalis limites ſupergreſſus, occupabat partem adhuc quandam oſſis bregmatis dextri, &, anteriora verſus, usque ad ſuturam coronalem porrigebatur. Tumor exterius erat, qui in Chirurgia nomine ſarcomatis inſignitur, & adeo extendebantur integumenta externa, ut peripheria tredecim pollices, altitudo vero ſeptem pollices, æquaret. Totus tumor pilis erat refertus, magnitudine capitis infantis recens nati haud minor viſus, cum ablati capilli eſſent. Cum vero tumor non ſolum continuo increſceret, ſed ægra etiam de cruciatibus capitis intolerabilibus conquereretur, qui dolores tum a pondere externo, tum a cauſis internis, originem ſuam ducebant, de exſtirpatione ejus cogitabam, ſectionem vero chirurgicam diſſuadebant defectus virium, & ſtatus cachecticus hujus miſeræ. Nam, licet in ſecandis ramificationibus arteriarum, integumenta verticis percurrentium, quatenus in ſtatu naturali exiſtunt, hæmorrhagia ſubſequens adeo metuenda haud eſſet, nihilo tamen ſecius pulſus, quem manus, tumori admota, utut obſcurum, ſentiebat, ſectionem ſuſpectam ob metum futuræ hæmorrhagiæ, & hinc neceſſario ſubſecuturæ maximæ proſtationis virium, reddebat. Præterea facile prævidi, ſubeſſe cariem, eamque abſconditam altiores egiſſe radices, quam ut ferro tuto ſatis ea exſtirpari poſſet. Hinc, mediante ligatura, tumorem auferre tentare malui. Filo igitur ſerico (*Fig. II bb*) verſus radicem Chirurgus conſtringebat tumorem, quæ conſtrictio quotidie augebatur, prout dolores permittebant, quo tempore in tumore obſervabantur maculæ quatuor, & loca, materia quaſi ſebacea repleta, per quæ mox poſt ligaturam liquor purulentus effluebat, & hinc totidem ulcera in parte poſteriore enaſcebantur. (*Fig. II, aaaa*)

TAB. V Fig. 2.

aaaa) Post quatuordecim dies, basis, quæ, uti supra dixi, tredecim erat pollicum in peripheria, per ligaturam ad unum pollicem redigebatur; qua cultro resecta, tumor a cranio plenarie est separatus. Hic tumor resectus quatuor libras & sex uncias ponderabat, qui ante sectionem sine dubio fuerat ponderosior, quia antea Ichor & materia purulenta graveolentissimi fœtoris maxima in copia effluxerat, quod ipsum magnam ponderis partem tumori detraxit. Ablato externo tumore, magna festucarum ossearum copia, per subjectam cranii partem dispersarum, in conspectum veniebat, quæ suspicionem cariei insignis, parum adhuc retectæ, movebant, inspersо vero pulvere Aristolochiæ, & aliis remediis adhibitis, caries ipsius cranii plenius in oculos incidebat. Circa cariem corona ossea
TAB. V (*Fig. III a*) variis eminentiis, cristæ galli instar (*b*) ornata
Fig. 3. reperiebatur. Neque exteriorem tantum laminam cranii occupabat caries, sed partes cariosæ etiam a lamina vitrea discesserant, ita, ut sinus quidam, tanquam tot ulcera distincta, detegerentur, qui ad cavitatem internam ferrent. Inter hos sinus præcipue anterior, quem nostra Figura (*Fig. III f*) exhibet, pulsum ramificationum arteriarum in dura meninge contemplandum egregio spectaculo, permisit. Licet vero exfoliatio ex parte satis feliciter succederet, sinus tamen supra descripti descensum materiæ purulentæ permittebant, atque corruptionem quandam non solum substantiæ corticalis, sed etiam medullaris, fatalem futuram esse, non uno indicabant argumento. Præterlapsis aliquot hebdomadibus, ægra convulsionibus corripiebatur, quas per sex horas in toto latere opposito, nempe dextro, perpessa, diem tandem obiit supremum 29 Januarii anni 1735. Die igitur subsequente, cum caput aperirem demortuæ, remotis capitis externis integumentis, caries cranii conspiciebatur, quantam Figura ænea III demonstrat, quatuor pollices lata, quinque longa. Circa marginem erat quasi ossis excrescentis, ast tamen maxime duri, corona (*Fig. III, a,*) variis eminentiis, instar cristæ galli, (*Fig. III, b,*) ornata & aspera, & in superiore parte circa os frontis sutura frontalis maximam partem erat obliterata. Suturæ sagittalis nul-

nullum aderat vestigium, excepta ejus exigua parte, (*Fig. III, d*) ubi posterius connectitur cum sutura Lamdoidea. (*Fig. III, e*) At in media parte coronæ illius, supra descriptæ, irregularis figuræ tumor ossis cariosi (*Fig. III, c,*) apparebat, qualis in tota ferme parte vitiata laminam vitream jam occupaverat, & substantia erat fungosa, porosa, lapidis pumicis similis, inæqualis, & aspera, coloris nigricantis; interstitia vero, ubi nimirum caries profundius paulo progressa erat, lividum & ex flavo viridescentem ostendebant colorem. Inprimis vero in anteriore parte foramen erat majus (*Fig. III, f,*) quadrangulare ferme digitum admittens, quod antea ramificationes pulsantes arteriarum monstraverat; versus sinistram vero & exteriorem partem sub osse duriore caverna quædam excurrebat semilunaris, (*Fig. III, g,*) quæ usque ad alterum in osse hiatum, qui jam sequitur, extendebatur. Nam medio fere ossis cariosi loco, & quodammodo sinistrorsum, foraminulum (*Fig. III, h,*) reperiebatur, calamum scriptorium vix admittens, ast tamen penetrans duram matrem. Hæc omnia conspiciebantur cranio adhuc nondum remoto; quo vero eo melius perspici possint, horizontaliter, ut vulgo solet, resecabatur cranium, serra jam penetraverat circum circa ad duram matrem, attamen nec elevatorii vi tolli poterat cranium, ut metus esset cum cranio evellendi totum cerebrum, nihilo minus tandem, agitatione sæpius repetita, cranium remotum fuit. Ab omni parte duræ matris ossis cariosi spicula infixa animadvertebantur, quæ cuneorum in modum os cum dura matre connexum tenuerunt. Dura mater, in cetera capitis parte admodum sana, nec maculam, vel aliam læsionem, videndam exhibebat, in loco vero sæpius jam nominato triplo crassior naturali, & magis tendinosa, ac firmior, apparebat, adeoque cum pia matre & cerebro connexa erat, ut hæc superari invicem haud possent. Jam foramen minus, quod specillum exiguum admittere diximus, a latere processus falciformis ultra pollicem in cerebrum subjectum penetrabat. Præterea tertium erat in cranio carioso foramen (*Fig. III, i,*) & veluti sinus ad ambitum læsionis visus, specillum admittens, sub quo interius maxima materiæ puru-

purulentæ fœtidiſſimæ copia accumulabatur, quæ, cum etiam ad ventriculum tertium proſerpſerit, ſenſim ſenſimque notabilem cerebri, & corticalem, & medullarem, partem deſtruxit, & hinc convulſionum fatalium ſine dubio cauſa extitit.

TAB. V. Fig. 1. Figurarum æncarum explicatio. *Fig. I* ſiſtens Tumoris faciem anteriorem, cujus ſitus & reliquæ circumſtantiæ patent. 2. *Fig. II* exhibens Tumoris faciem poſteriorem. *a a a a* Maculæ, & loca materia quaſi ſebacea repleta, poſt ligaturam ſuppuratione in ulcera mutata. *bb* Filum ſericum tumorem circa radicem conſtringens. 3. *Fig. III* Cariei conſpectum in cranio demonſtrans. *a a a a* Corona circa cariem. *b b b b* Eminentiæ in corona hinc & inde conſpicuæ. *c* Caries in media parte conſpicua. *d* Suturæ ſagittalis portio. *e e* Sutura Lamdoidea. *f* Foramen majus. *g g*) Caverna ſemilunaris a ſinu majori ſiniſtrorſum ſe extendens. *h* Foramen minus. *i* Foramen tertium, vix conſpicuum.

TRAITÉ GENERAL DES HORLOGES, &c.

h. e.

TRACTATUS GENERALIS HOROLOGIORUM, Autore R. P. DOMINICO JACOBO ALEXANDRO, Religioſo Benedictino Congregationis S. Mauri.

Pariſiis, apud Hippolytum Ludovicum & Jacobum Guerin, 1734, 8 chart. aug.

Alph. 1 plag. 2, Tabb. æn. 25.

Deſiderata hactenus fuit accurata Horologiorum deſcriptio. Quæ enim alii dederunt, partim imperfecta, partim adeo rara ſunt, ut haberi non poſſint. Defectum igitur ſupplere voluit Cl. Autor, dum omnium Horologiorum deſcriptionem exactam in præſente Tractatu dare conatur. Præmittit nonnulla ex Chronologia de diviſione anni in menſes, dies, & horas, & annorum differentia apud veteres, nec non de diviſione

Operis

Operis sui, ubi simul brevem horologiorum historiam exhibet. Primus, referente Nostro, in Græcia horologia solaria fecit *Anaximander* A. 540 ante Christum natum. *Plinio* autore Romæ clepsydras primus construxit *Scipio Nasica*; *Vitruvius* tamen honorem inventionis tribuit *Ctesibio*. A. C. 490 *Theodoricus* Rex ad *Gondebaltium*, Regem Burgundiæ, clepsydras misit, a *Cassiodoro* inventas, quæ motum siderum repræsentabant. A. C. 809 *Aaron*, Rex Persarum, ad *Carolum M.* Franciæ Regem, clepsydram ex metallo confectam misit, ejus propemodum formæ, quam refert *Ctesibiana* apud *Vitruvium*. A. 1690 R. P. *Dominicus Carolus Vailly*, Religiosus Benedictinus e Congregatione S. Mauri, novum dedit clepsydrarum genus, quod ope liquoris, tympano, in plures cellulas diviso, inclusi, & successive ex una cellula in alteram defluentis, horas, ejusque partes, accurate monstrat. Inventio horologiorum automatorum admodum dubia: placet tamen Nostro opinio *Moreri*, qui in suo Dictionario eandem tribuit *Gerberto*, monacho, qui per varias dignitates ecclesiasticas tandem A. 999 sub nomine *Sylvestri II* ad Pontificatum maximum adscendit. Erat rerum mathematicarum & mechanicarum ultra genium seculi peritus, ut ideo pro mago haberetur, & *Guilielmus Marlot* in Metropoli Lemensi *pag. 48 edit. Remerf.* A. 1679 narrat, ipsum admirabile horologium fabricasse per instrumentum diabolica arte inventum. *Richardus Wolingfort*, Abbas S. Albani in Anglia, circa A. 1326 horologium construxit, cui simile non exstabat in universa Europa. A. 1370 *Carolus V Sapiens*, Galliæ Rex, opera *Henrici de Vick*, Germani, Parisiis primum horologium magnum construi jussit, & in turri palatii sui posuit. *Galilæus*, cum usum penduli in dimetiendo tempore detexisset, de ejus ad horologia applicatione cogitare cœpit; sed propositum filius demum *Galilæi*, *Vincentius*, executus est Venetiis A. 1649. Demum *Christianus Hugenius* A. 1657 pendulorum ad horologia applicationem adeo perfecit, ut inventum totum ipsi tribui mereatur, quemadmodum videre est ex ipsius Horologio oscillatorio, quod A. 1673 Parisiis primum

 prodiit.

prodiit. Noſter A. 1698 invenit pendulum, quod motum apparentem ſolis, & tempus verum ſolare, indicat, & Academiæ
Cap. I. Regiæ Scientiarum obtulit. Tractationem ipſam Autor noſter orditur ab horologiis ſolaribus. In delineandis majoribus præfert methodum determinandi ſitum linearum horariarum per calculum, quam in horizontali & verticalibus regularibus atque declinantibus, & in inſcribendis arcubus ſignorum cœle-
II. ſtium ac longitudinis dierum, exponit. Progreditur ad clepſydras, ubi totus eſt in deſcribendo tympano horario, cujus paulo ante fecimus mentionem, & quod rerum mechanicarum
III. gnaris non eſt ignotum. Plus negotii faceſſit horologiorum automatorum deſcriptio. Autor noſter initium facit a majoribus. Præmittit explicationem terminorum, hoc eſt, nominum, quibus ſingulæ partes indigitantur, utque recte intelligantur, partes ipſas accurate delineatas oculis ſpectandas exhibet. Quoniam motu pendulorum ad regularitatem reducitur motus horologiorum; primo loco agit de pendulo ſimplici. Optimum judicat pendulum trium pedum, octo linearum cum dimidia, a puncto ſcilicet ſuſpenſionis usque ad centrum oſcillationis, cum unica vibratio intervallo unius minuti ſecundi abſolvatur, & altitudini horologii bene reſpondeat. Cum tamen longitudinem ſubinde variari neceſſe ſit; quomodo ex dato vibrationum numero intra horæ intervallum reperiatur penduli longitudo, computare docet, & ad uſum faciliorem tabulam computatam exhibet. Exponit etiam inventum *Hugenianum*, pendulum intra duos arcus cycloidales ſuſpendendi, ut vibrationibus rectificatis motus evadat iſochronus. Horologia majora animantur a pondere deſcendente. Docet igitur Noſter, quomodo ſit aptandum pondus, ut pendulum vibrationes ſuas juſto tempore abſolvat, & actionem ponderis in rotas, quibus motus penduli efficitur, ex principiis ſtaticis computat. Ponderis vicem in horologiis minoribus ſupplet elater ſpiralis, ceteris manentibus iisdem. Generalibus hiſce præmiſſis, horologia automata dividit in majora, media, & minora. Majora ſunt, quæ in turribus collocantur; media, qui-

quibus in conclavibus locus quidam assignatur; minora denique portatilia, hodie nemini ignota. Horologia automata majora tempus solare indicant non modo motu indicis, verum etiam sonitu campanæ, tam in horis, quam in quadrantibus horarum. Noster igitur distincte tradit omnem apparatum mechanicum, quo singula præstantur. Docet etiam mechanismum, quo opus est ad repræsentandum motum solis annuum per horologia. Nec minus eum exponit, quo nocturno tempore ad excitandos e somno dormientes uti datur: quam horologii partem Galli *Reveil* vocant, nos *den Wecker* appellamus. Horologia communia construuntur juxta motum medium solis, quem ab apparente diversum esse, ex Astronomia constat. Quamobrem, ne quid desit, quod ad perfectionem artis requiri videatur, Noster etiam docet construere horologium juxta motum apparentem sive verum solis. Refert ex Tractatu *Henrici Sally*, qui Parisiis A. 1717 sub titulo: *Regle artificielle de temps*, prodiit, & e constructione horologiorum automatorum multa notatu digna continet, A. 1699 *Carolum II*, Regem Hispaniarum, jam possedisse istiusmodi horologium, ut adeo horologiopœi Parisienses, *Bonnius* & *Regius*, A. 1717 falso sibi persuaserint, se primos in hoc inventum incidisse. Immo Noster jam A. 1698 Academiæ Regiæ Scientiarum pendulum exhibuit, quod motum apparentem solis sequitur. Multus quoque est in describendis horologiis, quibus motus singularum planetarum repræsentantur, & quæ *Automata planetaria* appellari solent: quale, post alia, imperfectionibus multis obnoxia, invenit, & in posthumis describit *Hugenius*. Quemadmodum in ceteris, ita hic quoque, singula traduntur, ad captum artificum, & ad executionem operis, sufficientia. Methodum tradit *Hugeniana* meliorem. Postquam igitur abunde exposuit, quæ in omni horologiorum majorum constructione desiderari possunt; eadem diligentia ea persequitur, quæ ad structuram horologiorum mediorum spectant. Agit hic de ponderibus & contrapondiis, quibus utimur ad animanda horologia media. Et, quoniam ab artificibus ponde-

Cap. IV.

V.

VI.

ribus quoque ſubſtitui ſolet elater ſpiralis; ejus quoque rationem accurate exponit. Deſcribit deinde pendulum, quod in iſtiusmodi horologiis uſui eſt, & omnem rotarum apparatum, quibus agitatur, & index circumrotatur. Denique mechanismum repræſentat, quo debito tempore campana pulſatur, & eo, quo lubet, dormientes e ſomno excitantur.

Cap. VII. Eodem modo perſequitur ſingula, quæ ad conſtructionem horologiorum minorum, ſeu portatilium, neceſſaria: ubi inprimis declarat inventum Abbatis de *Hautefeuille*, ab *Hugenio* ulterius perfectum, quo animellæ ſive roſtri motus regularis efficitur.

VIII. Et, quoniam horologia minora repetitoria etiam conſtrui ſolent, quæ quovis momento ad deſiderium poſſeſſoris per pulſum campanulæ indicant horam proxime præterlapſam; hoc quoque artificium exponit. Addit deſcriptionem inſtrumenti, cujus ope artifices rotas dividunt, ut ſint quantumlibet accuratæ.

IX. Colophonem imponit Catalogus Autorum, qui de horologiis ſcripſere. Recenſet Autor librorum titulos cum loco & anno impreſſionis, ac ſubinde judicium ſuum interponit. Primo loco comparent Autores, qui de horologiis ſolaribus ſcripſere, quorum magnus eſt numerus. Succedunt, qui de clepſydris & clepſammiis quædam memoriæ tradiderunt, numero admodum pauci. Unus eſt, qui data opera de clepſammijs commentatus eſt, *Archangelus Maria Radi*, cujus Tractatus ſub titulo: *Nova Scienza di Horlogi a Polvere*, Romæ A. 1655 in 4 prodiit. Ultimo loco ſiſtuntur, qui ad automata ſpectantia explicuere, ſive a ſe, ſive ab aliis, inventa. Et in horum libris recenſendis multo copioſior eſt Noſter, ita, ut non modo hiſtoriam Autorum, verum etiam ipſius artis, multa cum induſtria exequatur. Monet inter alia, inventa, quæ ante applicationem penduli ad horologia ab Autoribus traduntur, plus ſubtilitatis, quam utilitatis, habere, ita, ut non multum tribuendum ſit iis, qui ante annum 1650 de automatis commentati ſunt. Oſtendit, *Planetologium Rheitanum novum*, quod deſcribit *Schottus* in Technica curioſa, non magni eſſe momenti, utpote ſupponens annum ſolarem 365 dierum præciſe & quoad proportionem or-

orbium observationibus recentiorum Astronomorum e diametro contrarium. Immo nec automatum planetarium *Hugenianum* prorsus probat, tum quod annum solarem supponit 365 dierum, quemadmodum fecerat *de Rheita*, tum quod proportio revolutionum Planetarum non satis præcisa: etsi enim largiatur, methodo *Hugeniana* accuratiores reperiri non posse, sua tamen methodo, quam supra exposuit, idem obtineri affirmat. In Tractatu *Sulliano* reprehendit, quod desint figuræ, sine quibus difficulter intelliguntur, quæ in hoc genere traduntur. Librum *Derhami*, qui sub titulo: *the artificial Clockmaker*, Londini primum prodiit, deinde apud nos a Cl. *Doppelmayero* in linguam Germanicam translatus, A. 1731 autem Parisiis in idioma Gallicum conversus comparuit sub titulo: *Traité de l'Horlogerie pour les montres & les pendules*, copiose Noster recenset, etsi suum de eo judicium non interponens. *Oughtredi* tamen conatus in opusculis mathematicis non multum laudat, cum omnia clarius & ad captum artificum accommodatius proponere potuisset. *Gilbertus Clark* A. 1682 dedit Londini *Oughtredum explicatum*, in quo, *Leibnitio* judice, partem arithmeticam Horologiopœiæ bene tradidit.

DE ÆRA SEU EPOCHA CONDITI, ET per natales ac mortem filii Dei reparati, terrarum orbis Dissertatio Chronologica, in qua e S. Scripturæ infallibilibus oraculis, nec non indubiis Astronomiæ characteribus, ostenditur mundi ætas, verumque nati ac passi Christi tempus, Autore R. P. NICASIO GRAMMATICI, e S. J.

Ingolstadii, sumtibus Joannis Andreæ de la Haye, Bibliopolæ Academici, 1734, 4.

Plag. 17.

Pag. 2. Supponit Cl. Autor, 1) annos in S. Scriptura serie aliqua nota-
tos pro integris accipi posse; sic enim anni completi dies red-
undantes a currentis adhuc deficientibus compensari, nisi ex-
presse dies, & menses notentur; 2) e fontibus Hebræis potius,
quos vulgatam sequi asserit, quam Græcis, supputationem pe-
3. tendam; 3) annos, in S. Scriptura signatos, vel fuisse perfecte
solares, vel parum ab iis diversos. Tribus Sectionibus, I de æra
5. mundi conditi, II Christi passi, III nati, agit. *Sect. I Cap. I*
ostendit, ab *Adamo* ad cataclysmum præterfluxisse 1656 annos.
6. *Cap. II,* secundam mundi ætatem a diluvio usque ad exitum
Israel ex Ægypto, seu legis scriptæ promulgationem, fuisse
annorum 797, i. e. exiisse *Israel* anno Æ. M. (æræ mundi) 2454,
7. ante Æ. V. (æram vulgarem Christi) 1547, evincit. Objectionem,
8. 9. quæ hic moveri poterat, tollit. *Cainan,* cujus meminit *Lucas Cap.
III,* nil turbat genealogiam Christi. Id enim manet indubium,
Salemum Arphaxadi anno 35 natum esse. Dicatur dein ab i-
pso, ut patre, genitus immediate, vel tantum mediate, ut ab a-
vo, quatenus *Arphaxad* anno 18 genuerit *Cainanum,* iste ve-
ro anno 17 *Salemum.* Ibidem in notissimo dubio, circa annum
geniti *Abrahami,* cum *Augustino* duplicem *Abrahami* de Cha-
11. ra exitum admittendo, totam rem salvat. *Cap. III* tertia mun-
di ætas ab egressu ex Ægypto ad Templum Salomonicum
construi cœptum complectitur 520 annos. Obstat locus 1 *Pa-
ral. VI, 1,* qui 480 annos assignat. In solvendo hoc nodo se-
quitur *Petavium de Doct. temp. Tom. II Lib. IX Cap. XXXV
pag. 44 edit. Antverp. Salomon* proin templum ædificare inci-
18. piebat Æ. M. 2974, ante Æ. V. 1027. *Cap. IV* ab exstructione
usque ad excidium templi 421 annos statuit. Id contigit Æ. M.
3395, ante Æ. V. 606, ubi Autor noster iterum *Petavii* insistit
25. vestigiis. *Cap. V* annos 71 ponit, elapsos ab excidio templi us-
que ad ejus reparationem, quæ incidit in annum 2 *Cyri,* & fieri
29. cœpit Æ. M. 3466, ante Æ. V. 535. *Cap. VI* quatuor Baby-
lone olim observatas eclipses lunares, relatas a *Ptolemæo* in
Almagesto, calculis subduxit R. P. e Tabulis *Hircanis* edi-
tionis Ingolstadiensis, quod mirum videtur, cum suppe-
tant correctiores, Noribergensis, & Parisiensis novissima.

Ex

Ex his ergo eruit, 535 annos intercedere inter templum restitutum & Æ. V. *Cap. VII* e vetustissima solis eclipsi, in Sinis visa, ostenditur, natum esse *Abram* anno 70 *Thara* patris. Pag. 37.
Tandem *Cap. VIII* concludit, Christum natum Æ. M. 4000, addendo sex ætates 1656 + 797 + 520 + 421 + 41.
71 + 535 = 4000. *Sectio II* de æra mortis Christi inscripta est. *Cap. I*, omnes quatuor Evangelistas feriam hebdomadis VI, & pascha judæorum, suppeditare, docetur, quod 49.
tamen haud prius concedendum erat, nisi evicto antea, post *Augusti* reformationem nil in Calendario *Juliano* fuisse mutatum. Solida est ac elegans R. Patris probatio hujus asserti. *Cap. II*, necessario contigisse mortem Christi, ostendit, 57.
inter annum 25 & 36 Æ. V. *Cap. III* accuratius inquirit in 61.
annum mortis Christi, ac perbella tabula evincit, annis 29, 30, 63.
33, vel 36, Christum esse mortuum. *Cap. IV* annos 30, 33, 64.
36, removet, ubi præcipue *Fl. Josephi* nititur testimoniis. 70.
Cap. V, si adstrui debeat, quod anno Æ. V. 29 Christus mortem subierit, Coss. *Rufo* & *Rubellio* Geminis, anno 15 regiminis *Tiberii*, duo necessario initia imperii illius supponi. 72.
Unum inchoatum anno Æ V. 14 die 19 Aug. eodem die ultimo *Octaviani Augusti*, succedente *Tiberio*, vi cujus, XXII annos, aliquot menses, *Tiberium* regnasse, asserunt Autores, ex quibus R. Pater adducit *Clementem Alexandrinum.* Alterum computari potest a tempore, quo *Tiberius* collega imperii, ac consors tribunitiæ potestatis, assumebatur, testante *Tacito Ann. I, 3*, *Vellejo*, *Monumento Ancyrano*, & *Suetonio Tib. XXI, 1.* Hinc ergo haud improbabile, quosdam, & inter eos S. *Lucam*, hoc secutos esse initium, cum præcipue *Clemens Strom. I pag. 406. edit. Potter.* asserat, quosdam *Tiberio* annos 26 tribuisse. *Cap. VI* evincit, mirabilem defectum 80.
in obitu Domini contigisse anno Æ. V. 29. Nemo veterum annum, quo hoc fiebat miraculum, annotavit, excepto *Phlegonte*, *Hadriani* liberto, qui per Olympiadas hunc annum designavit. Sed, cum opera *Phlegontis* temporum injuria perierint, a variis varie citatur. Sic *Euse-*

Euſebius ex *Phlegonte* annum citat 4, Olymp. CCII, h. e. annum Æ. V. 32 & 33. Sed *Africanus*, integro ſeculo *Phlegonte* junior, & qui ipſius opus ipſe ſine dubio vidit, annum 2 Olymp.
Pag. 81. CCII citat. Notandum tamen, *Africanum*, &, qui eum ſequebatur, *Syncellum*, biennio citius auſpicari Olympiades; hinc ex opinione *Phlegontis*, ac citatione *Africani*, anno 2 Olymp. CCII ſubſtituendus erit annus 4 Olymp. CCI, qui coincidit cum anno Æ. V. 29, quam ſententiam toto Capite valide
85. roborat R. P. *Cap. VII* adſtruere conatur Cl. Autor, æquinoctium vernum haud obſtare, quo minus anno Æ. V. 29 die 18 Martii paſſus & mortuus dici queat Dominus, & eo tempo-
86. re celebratum Judæorum paſcha. Concedit, Hebræis moris fuiſſe, ut illum menſem primum ſuo paſchati deputarent, cujus luna XIV in ſtrictiſſimum æquinoctium incideret, aut proxime illud ſequeretur. Sed inſuper contendit, eos & illum menſem primum habuiſſe, cui æquinoctium, latius non nihil acceptum, adhuc apte congrueret, & hoc ideo, ne nimium dilato paſchate ægre ſatisfacerent alteri legis præcepto, quo primitias frugum quinquageſimo a paſchate die Domino offerre tenebantur. At, ſi exactum æquinoctium hoc anno ſecuti eſſent, & ſequentis lunæ XIV, expectanda erat 16 Aprilis. Cum vero in Judæa circa finem Martii abſoluta jam ſit meſſis frumentaria, impoſſibile erat, 50 die poſt 16 Aprilis primitias offerre; ergo aſſumebatur, incidiſſe æquinoctium ſenſu latiore, quando die 17 Martii luna
92. XIV ſub veſperam celebrabatur. Sat ingenioſa opinio. *Cap. VIII* ex multis locis veterum conquiſitis hunc annum 29 mor-
100. tis Chriſti valide ſtabilit, & ſequente *Cap. IX* totus in eo eſt, ut oſtendat, cur plurimi veterum morti Servatoris diem 25 Martii aſſignarint. Ubi ingenue fatetur, ſe hoc neſcire, omnem tamen movet lapidem, quo oſtendat, ſi eo anno (29 Æ. V.) d. 25 Martii paſcha celebratum ſit, iſtud luna dichotoma accidiſſe contra expreſſum S. Scripturæ teſtimonium. Totum hoc Caput, plenum quidem conjecturis, nobis tamen arridet, cum modeſte ſatis ſuam exponat opinionem Autor. *Sectio III*
110. de æra nati Chriſti agit. *Cap. I*, nec 3, nec 5 paſchata a ſuſcepto

Ba-

Baptiſmo, ſed quatuor, ſupervixiſſe, clare, ut videtur, monſtrat. *Cap. II* evincit, 33 annos cum trimeſtri circiter in carne vixiſſe Servatorem, ac natum eſſe in diebus *Herodis*, de quo dubitandum valde, ſi modo 32 annos completos inter mortales degiſſe eum aſſerueris. *Cap. III Joſephi* vindicat Chronologiam regiminis *Herodiani*, quod Caput valde & ipſum nobis placuit. *Cap. IV* adhuc laborat *Herode*, ubi, obitum *Idumæi* non in paſcha Judæorum, ſed in Novembrem, incidiſſe, probabilius anni *Juliani* 42, quam 41, oſtenditur, quod quidem tantum probabile, ſed ſumme probabile, reddidit R. Pater, ac, cum duæ eclipſes lunares non ſufficiant ad definiendum annum, quo perierit *Herodes*, addit calculum, ea omnia, quæ *Joſephus* adducit, ſpatio 28 dierum, a 13 Martii nempe, deliquio lunæ inſignito, ad 10 Aprilis, ſeu paſcha, tranſigi vix potuiſſe, probabilius ergo fore, ſi alteram eclipſin hic intelligamus. Tandem *Cap. V*, omnia contrahens, concludit, Servatorem mortuum anno Æ. V. 29, *Juliano* 74, die 18 Martii; hinc, annis 33, menſibus 3, vitæ Chriſti ſubtractis, incides in annum *Jul.* 40 anno mundi 3995, quæ adeo computandi ratio quinquennio integro falſam prævertit æram.

Pag. 114. 116. 118. 122. 123. 126. 129.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΑΝΔΡΕΟΥ ΚΡΗ-
της εἰς τὸ γενέσιον τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν λόγος.

h. e.

SANCTI PATRIS NOSTRI, ANDREÆ CRETENſis, in natalem diem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Oratio, nunc primum e Laurentiana Bibliotheca Medicea eruta, interprete ANGELO MARIA RICCIO, in Florentino Lyceo Profeſſore Græc. liter. Publ.

Florentiæ, ex Typographia Bernardi Paperini, 1732, 4.
Plag. 6.

Cum ex Medicea Bibliotheca, velut ex locupletiſſimo literarum theſauro, libri & antiquitate & raritate gratiſſimi ſubinde prodierint; nec Autor Clariſſimus hujus gratiæ inter eruditos expers eſſe voluit. Primum quidem conſilium erat, per ſpicile-

cilegium, quæ huc usque in *Laurentiana* latuerint, ſcripta luci ſuæ reddere. Sed, cum & antea minus ab oculis valeret, & eos literaturæ Græcæ punctis hebetiores ſentiret factos, timens, ne iis plane caperetur, invitus, autore Medico, inceptis deſiſtere coactus eſt. Interim deſiderio ſuo ex parte ſatisfacturus, Orationem S. *Andreæ Cretenſis*, jam olim Latina donatam interpretatione, emittendam curavit. Cujus viri cum nomen & vita haud ſatis cognita ſint, haud alienum videtur, præmiſſam ex Cel. *Fabricii* Bibl. Græc. deſcriptionem paucis attingi. Erat vero is *Andreas* monachus, cui a loco Hieroſolymitano nomen eſt. A. C. 680 ad Concilium Conſtantinop. miſſus eſt, ejusque opera in pugna adverſus Monotheletas inſignis extitit. Pro tantis meritis Diaconus factus, deſcribendo acta illius ſynodi, tantam omnium iniit gratiam, ut ex eo tempore Archiepiſcopus Cretæ fuerit electus. Sunt, qui poſtea Cæſaream Cappadocum translatum putant, ibique ad annum 724 degiſſe. Plures tamen *Andream* hunc a Cæſareenſi illo diverſum affirmant. Præcipua ejus ſcripta jam olim Pariſiis *Combefiſius* edi curaverat; in iis vero adhuc deſiderari Orationem hanc, idem Cel. *Fabricius* dudum annotavit. Eo magis Editor ſe operæ pretium facturum, ratus eſt, ſi & hanc velut ſpicam ſolitariam transmiſiſſet. Oratio ipſa, in Virginis Deiparæ natalem diem habita, ita in prædicandis ejus laudibus progreditur, ut primo regia *Davidis* ſtirpe utique ſatam evincat. Cum verò, arborem optime ex fructu dignoſci poſſe, crediderit, Chriſtum filium certo *Davide* oriundum deducit, ſimul ad Judæorum obtrectationem retundendam, vaticiniis *Moſis* expoſitis, cetera eloquia Prophetarum producit. Inprimis vero multo labore ſingutim vaticinium *Jacobi Gen. XLIX* de Chriſto impletum explicat. Deinde vero ad celebritatem diei reverſus, *Annam, Mariæ* matrem, fortunatam prædicat, quod, demta ſterilitate, mulierum beatiſſimam peperiſſe ipſi contigerit. Facile apparet, laudes utriusque breviores eſſe, quam pro Orationis titulo, Autoremque magis explicationem vaticinii illius Jacobæi reſpexiſſe. Sermo alioquin dictione ſatis terſa, & felici ingenio, ſibi conſtat, nec deſunt, quæ ad explicandos typos aliquid contuliſſe videantur.

ELO-

ELOGIUM CHRISTIANI GOTHOFREDI HOFFMANNI, JCtorum Francofurtensium principis.

Inauſpicato prorſus fato illuxerunt Calendæ Septembres, quæ *Chriſtianum Gothofredum Hoffmannum*, JCtorum Francofurtenſium primum, e mortalium cœtu eripuerunt. Rarum hoc ſeculi ſui ornamentum anno ſecundo ſupra nonageſimum ſuperioris Seculi protulit Laubana, Luſatiæ oppidum, tanti Viri natalibus in poſterum nobile. Patrem habuit *Gothofredum Hoffmannum*, Scholæ primum Laubanenſis, poſtea Zittavienſis, Rectorem, priſcæ diſciplinæ cuſtodem, & morum ſanctitate commendabilem. Matrem coluit *Martham, Joachimi Güntheri*, Conſulis Laubanenſis, filiam, inſignis pietatis & perfectæ virtutis laude florentem, quam illætabili prorſus funere nondum quadrimulus extulit. Jam in puero inuſitata apparebat diſcendi cupiditas, & pueriles illi vagitus, & inſontes illæ lachrymæ, nunquam facilius, quam oſtenſo libello, & volutatu foliorum ejus, placari potuerunt. Tantum, tamque excellens, ingenium literarum amœniorum cultura erudiendum perpoliendumque dedit optimus parens *Chriſtiano Jacobo Günthero*, natione Turcæ, ſed ſalutaribus abluto aquis, & ſanctioris diſciplinæ myſteriis initiato, cujus præceptis ſedulo obſecutus Noſter, tam mirificos in literis elegantioribus progreſſus fecit, ut dignus a parente judicaretur, cui ampliorem, in quo excurreret, campum aperiret, & in Gymnaſio locum concederet. Ibi ſic emicuit generoſa ejus indoles, ut omnium commilitonum diligentiam longiſſime ſuperaret, nec intra ſcholaſtica penſa ſe contineret, ſed domeſtica lectione animum diſcendi labore indefatigabilem recrearet. Commode accidebat, ut Zittavienſis oppidi Patres Bibliothecam ſuam, quam a tempore puriorum ſacrorum a Divo *Luthero* reſtitutorum collegerunt, in meliorem ordinem redigendam decernerent; quam ſpartam Noſter, a parente ſibi delatam, avide in ſe ſuſcepit, & intra exiguum temporis ſpatium feliciſſime perfecit, operæ bene navatæ præmium ampliſſimorum Procerum, ſigillatim *Caroli Philippi Stol-*

ici, Consulis docti, eloquentis, & humani, gratiam reportans. Anno hujus Seculi undecimo in Academiam Lipsiensem commigravit, ubi vix per anni quadrantem commoratus, conflictus moderatore *Christiano Altmanno*, cathedram adscendit, & Dissertationem *de Senio eruditorum* contra tela adversariorum fortiter atque generose defendit. Jam cupido eum incesserat exteras visendi terras, cum funesta morte amitteret felicitatis suæ statorem, carissimum parentem, quæ subita fatorum vicissitudo pernobilem illam cogitationem deponere eum cogebat. Anno decimo tertio hujus Seculi moribus & studiis regendis duorum Principum Ruthenorum stirpis *Galliczyniæ* præficiebatur, quam spartam tanta cum fide, dexteritate, & diligentia, administravit, ut nominis sui gloriam ad barbaras illas olim, nunc cultissimas, gentes transferret, & dignus haberetur, qui cum Principibus illis in Belgium abiret, & præstabilis doctrinæ viros, qui tunc ad sacratissima interiorum literarum & solidioris Jurisprudentiæ adyta juventutem perducebant, præsens coleret. Neque defuisset sibi, aut auspicatissimam hanc occasionem, fruendi selectissimorum hominum familiaribus sermonibus, e manibus elabi passus esset, nisi auditores, qui ad eum, Doctoris Philosophiæ nomine jam celebrem, frequentes confluebant, precibus suis assiduis atque quotidianis impedimento ei fuissent. Interea jussu Principis Fundani Historiam Mansfeldicam conscripsit, & voluntati Principis cumulatissime satisfecit. Viderat hos improbos *Hoffmanni* conatus illustris Fridericiana, & amplissimo præmio, supremis in utroque Jure honoribus, eosdem condecorabat. Veniebat Philurea in jucundam hujus lætitiæ societatem, ipsumque primum Jus Naturæ & Gentium, post Regulas Juris & titulum de Verborum significatione, denique Institutiones, docere, impetratis regiis codicillis, jussit. In quo munere cum omnes præclari Jurisconsulti partes diligentissime expleret, & facili planaque ratione ad Jurisprudentiæ sacraria viam monstraret studiosis hominibus, tam mirificam laudem consecutus est Noster, ut fama ejus ad ipsas Potentissimi Prussorum Regis aures perveniret, isque tantam in cognitissima ejus eruditione fiduciam collocaret, ut

eum,

eum, triginta annorum juvenem, rarissimo exemplo, ad primariam Juris Professionem in Academia Viadrina obeundam, auctam Consiliarii sanctioris nomine, evocaret. Paruit divinæ voluntati, et cladem obitu incomparabilis *Henrici de Cocceji* Academiæ Viadrinæ illatam non solum feliciter restituit, verum etiam per duodecim, quibus in ea commoratus est, annos almam hanc literarum sedem compluribus, iisdemque prorsus egregiis, ornamentis ditavit, & eximiis fœcundi ingenii sui monumentis reipublicæ literariæ pomœria longissime protulit. Utinam diuturniori lucis usura frui licuisset Viro in commune bono, & supra modum pæne diligenti! At vero, dum magis reipublicæ, quam sibi, consulit, in febrem incidit, quam purpura rubra, & postea alba, insequebatur, quæ vitæ ejus finem fecerunt, eumque ipsis Calendis Septembribus præteriti anni cœlesti patriæ reddiderunt. Funus ejus solenni ceremonia in æternam domum transtulerunt Collegæ ejus conjunctissimi, & frater mœstissimus, *Jo. Guil. Hoffmannus*, J. U. D. Vir singularibus in Jurisprudentiam meliorem meritis conspicuus, fraternis manibus justas inferias diserta & eleganti Oratione, in amplissimo Academiæ procerum consessu recitata, obtulit. Sic e statione mortali abiit desideratissimus *Hoffmannus*, qui utrique, cui serviit, Regi suo religiosum obsequium præstitit, Academiarum, in quibus Jura caste integreque professus est, salute nihil prius, nihil antiquius, habuit, & illustre rarissimarum virtutum exemplum præbuit. Æquabilem in utraque fortuna animum retinuit, amicis integram fidem servavit, temporis accuratam rationem habuit, & non nisi raro, & vespertino tantum tempore, cum amicis colloquia instituit, sed cum his solum, qui de literatorum institutis ad eum referebant, & de communibus studiis sermones habebant doctos & jucundos. Unicam & veram voluptatem in instructissima & rarissimis præstantissimisque Codicibus referta Bibliotheca quæsivit, jucundum illud, quod librorum lectio ipsi afferebat, oblectamentum omnibus honoribus, divitiis, commoditatibus, sapienti consilio præferens. Inde nullum annum præterire passus

eſt, quo non pulcherrimum incredibilis diligentiæ ſuæ ſpecimen, idque nec protritum & vulgare, ſed ſelectum, ſed publici ſaporis, proferret, & res rationesque reipublicæ literariæ mirum in modum juvaret. Digna ſunt aurea *Hoffmanni* Opera, quorum integrum indicem, antequam manum removeamus a conſcribendo, quod manibus ejus mœſti, ſed lubentes, conſecrare decrevimus, elogio, hic proferamus. Evulgavit vero, ſi annorum, quibus ea publicæ luci commiſit, computum ſequamur, ſequentia Opuſcula, & argumentorum ſelectu, & elaborationis accuratione, magnopere commendanda: A. 1715 Diſſertationem *de fatis ſtudii politici*; *Aufrichtige und unpartheyiſche Gedancken über die Journale, Extracte, und Monaths-Schrifften*, Friburgi, usque ad A. 1716, *Tom. II*, 8; Diſſertationem *de origine & conditione procuratorum, Jure Romano & Canonico, nec non eorum progreſſu in forum Germanicum*, Halæ, A. 1716; *Specimen conjecturarum politicarum de origine & natura legum Germanicarum privatarum antiquarum, earumque ad ſtatum præſentem provinciarum Germaniæ, inprimis ad terras Proteſtantium, habitu*, Lipſiæ, eodem anno, 4; *Chriſtiani Weiſii Epiſtolas ſelectiores, cum Præfatione de utilitate ex lectione Epiſtolarum Virorum doctorum haurienda*, Budiſſæ, eodem anno, 8; *die Ehre des Hauſes Mansfeld in dem Alter ſeiner Ankunft, groſſen Verrichtungen ſeiner Fürſten und Grafen, inſonderheit in dem Leben und Thaten Peter Ernſten, Fürſten des heiligen Römiſchen Reichs und Grafen von Mansfeld*, A. 1717, cujus libri altera editio A. 1720, 8, prodiit; *Ausführliche Beſchreibung des Ruſſiſchen Reichs und Staates aus dem Italiäniſchen überſetzet*, Lipſiæ, 1717, 8; *Hiſtoriæ Juris Romano Juſtinianei Partem I*, Lipſiæ, 1718, 4; Progr. *de origine & cauſis querelarum de corrupta Jurisprudentia*, ib. eod. an. *die Europæiſche Fama a Parte CXCIX - CCLI*; *Scriptores rerum Luſaticarum antiquiores & recentiores*, Lipſiæ, 1719, 4; *Hiſtoriam juris Romano-Juſtinianei Chronologicam*, Lipſiæ, 1720, 4; Diſſert. *de Collatione juris Naturalis, Romani, & Canonici, circa doctrinam de emphyteuſi, cum legibus & moribus Germaniæ, inprimis quoad bona ſalinaria inclytæ li-*

beræ

beræ S. R. I. Civitatis Suevo-Halensis, ib. eod. an. Diss. *de ratione interpretandi leges Imperii R. G. publicas*, ib. eod. an. *Entwurf einer Einleitung zu der Erkenntnis des gegenwärtigen Zustandes von Europa*, ib. eod. an. 4; *Gegenwärtiger Zustand der Finanzen von Franckreich*, ib. eod. an. 8; Gottfrid Hoffmanns *kleine Deutsche Schriften, mit einer Vorrede von den Ursachen des verderbten Schulwesens*, Budissæ, eod. an. 8; Theodosii Gibellini *Cæsareo-Papia Romana, mit einer Vorrede von denen Scribenten wieder die weltliche Gewalt des Römischen Stuhls, vornehmlich denen, welche vor der Reformation gelebet haben*, Budissæ, eod. an. 4; Progr. *de investigandis verborum in Jure significationibus*, Lipsiæ, 1721; Diss. *de verborum in Jure Germanico ac Saxonico significatione, nec non antiquis eorum Jurium regulis*, ib. eod. an. *Delineationem Aureæ Bullæ, auspiciis Caroli IV in comitiis Norimbergensibus & Metensibus conditæ*, ib. eod. an. 4; Guid. Pancirolli *de claris legum interpretibus Librum*, ib. eod. an. 4; Dissert. *de Ærariis privatis*, ib. eod. an. 4; Diss. *de Fundamento decidendi controversias de præcedentia inter liberas gentes*, ib. eod. an. 4; Diss. *de Clericorum in feuda, inprimis S. R. I. majora, successione*, ib. 1722, 4; Francisci de Roye *Juris Canonici Institutionum Libros III, cum notis* Casp. Ziegleri, *& Præfatione de Juris Canonici apud Evangelicos autoritate, ejusque Juris recta discendi ratione*, ib. eod. an. 8; *Gründliche Vorstellung der im Heil. Röm. Reich obschwebenden Religions-Beschwerungen*, ib. eod. an. Georgii Beyeri *Delineationem Juris Germanici* secunda editione nonnullis libri secundi Capitibus, libro tertio, & Præfatione de Juris Germanici fontibus, illudque recta discendi ratione, auxit Lips. 1723, 4; Ejusdem *Opuscula*, & *Dissertationes Academicas*, ib. eod. an. 4, edidit; *Nachricht*, wie C. G. Hoffmann *in Lectionibus publicis und privatis über alle Partes Jurisprudentiæ privatæ & publicæ auf der Universität zu Franckfurth an der Oder mit göttlicher Hülffe zu verfahren gesonnen sey*, Francof. eod. an. 4; *de Fundamentis variantium in doctrina de matrimonio opinionum*, ib. eod. an. *Præcognita generalia Jurisprudentiæ*, Lipsiæ, eod. an. 4.; *Delineationem*

tionem Historiæ Juris Canonico-Ecclesiastici, Francof. 1724, 8; Dissertationem *de origine sceptrorum*, ib. eod. an. *Historiæ Juris Romani Tomum II*, Lipf. eod. an. 4; *Grundsätze der Rechtsgelahrtheit*, Francof. eod. an. *Introductionem in Jurisprudentiam Canonico-Pontificiam*, ib. 1725; Differt. *An nominatio socii criminis sub tortura fieri debeat?* ib. 1716; *de Jure separandi feudum ab allodio*, ib. 1727; *de Indole jurisdictionis voluntariæ ex principiis Juris Romani & Germanici*, ib. eod. an. *de Dissensu jurium in puniendo adulterio*, ib. eod. an. *de Donatione propter nuptias*, ib. eod. an. *de Principe ex justis causis aggratiante*, ib. 1728; *de Significatione & usu particulæ Quasi in Jure*, ib. eod. an. *de Cœmeteriis ex urbe tollendis*, ib. 1729; *de Communionis bonorum conjugalium vera natura*, ib. 1730; *de Jure consuetudinis*, ib. eod. an. *Summarische Beschreibung der auf dem Augspurgischen Reichstage vorgefallenen Actorum Religionis*, ib. eod. an. 4; *Novam Scriptorum ac monumentorum, partim rarissimorum, partim ineditorum, Collectionem*, cujus T. I A. 1731, II A. 1733, Lipsiæ, 4, lucem adspexit; *Analysin Pacis Westphalicæ*, ib. 1731, 4; Diff. *de insignioribus defectibus Jurisprudentiæ criminalis*, Francof. eod. an. *Collationem Constitutionis Criminalis cum Sanctione Josephina*, ib. eod. an. *de eo, quod justum est circa stipendia*, ib. eod. an. *Einleitung zu dem Teutschen Jure publico, nebst einer Bibliotheca Juris publici*, ib. 1733, 8; *Notas in Maximiliani I Constitutionem de Notariis*, ib. eod. an. 8; Diff. *de Rege Romanorum vivente Imperatore electo*, ib. eod. an. *Ad Constitutionem Joachimi I de successionibus*, ib. eod. an. *Historiæ Juris Romani Tomum I, longe auctiorem & emendatiorem*, Lipf. 1734, 4; Diff. *de minoris ætatis termino legibus & moribus inprimis novissima Sanctione Hamburgensi definito*, ib. eod. an. *Grundsätze des Teutschen Staats-Rechts*, ib. 1735. Inter Programmata recenseri merentur, quæ scripsit *de inveterata Duellorum in Germania consuetudine, de Juris Lubecensis antiquo quodam codice, de effectibus benedictionis sacerdotalis, de Friderico Guilielmo, Prussiæ Rege, optimi legislatoris exemplo, de majore ætate in electione Imperatoris observanda.*

❁ ❁ ❁

NOVA ACTA
ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXXVI.

THESAURUS JURIS ROMANI, CONTINENS rariora meliorum interpretum Opuscula, in quibus Jus Romanum emendatur, explicatur, illustratur, itemque Classicis aliisque Autoribus haud raro lumen accenditur; cum Præfatione EVERARDI OTTONIS, JCti, & Antecessoris.

Tomus V.

Trajecti ad Rhenum, apud Jo. de Brœdelet, 1735, fol. maj. Alph. 9 plag. 22.

Ergo nunc, faventibus Musis Charitibusque, ad exoptatissimum exitum perduxit pulcherrimum venustissimumque Opus Cl. *Otto*, & bonas illas horas, quas præstantissimis selectissimisque Opusculis, quæ in hanc Juris Autorum Syllogen commigrarunt, emaculandis & exornandis impendit, bene sapienterque collocavit, ut omnino jam possit ille hujus rei fructum ad conscientiam referre, & pro tam luculento beneficio a literatissimis Jurisconsultis quibuscunque gratias mereatur immortales. Nos, qui commerito plausu excepimus quatuor priores absolutissimi Operis *Tomos*, nunc, cum *quinti Tomi* mentio facienda est, eas omnes, quas olim diximus, laudes repetimus, atque, nihil fecisse reliqui Cl. *Ottonem*, ingenue fatemur, quam ut spem illam, quam de incredibili ejus diligentia, & summis,

 quibus

quibus rempublicam literariam ſibi jam dudum obſtrinxit, meritis conceperamus, non ſolum ſuſtineret, verum etiam mirum in modum ſuperaret. Neque enim hic, cujus recenſionem paramus, *Tomus* aut operum, quæ in hunc translata ſunt, præſtantia & nobilitate, aut elegantiſſimis Præfationibus, aut typorum elegantia & chartæ nitore, aut ceteris ornamentis, quidquam prioribus quatuor Voluminibus cedit, ut potius, quid natura & ars efficere poſſit, hic in unum quaſi conſpiraſſe videantur. Primum locum occupat *Hieronymi Groslotii*, Aurelianenſis, elaboratiſſimus *de Uſucapionibus* liber, quem decem & octo annorum juvenis Lutetiæ A. 1538 edidit, in quo ſenilem prudentiam maturumque judicium ubique oſtendit, & nodos in difficillimo hoc argumento non tam rupit, quam feliciter diſſolvit. Non plane immunis liber ab erroribus eſt; plura hujus libri capita majorem induſtriam poſtulaſſent, nonnunquam certiora ſubſidia ex Romanis antiquitatibus arceſſenda fuiſſent; quæ vitia, uti magis ætatis & temporum, quam hominis, ſunt, ita pulcherrimarum rerum farragine abunde compenſantur. Excipit hunc *Groslotiani* ingenii fœtum ejusdem *Groslotii Commentarius in ſpinoſiſſimam illam legem lecta 40 de reb. creditis*, (de qua olim in ſcholis dicere ſolebant: *lex lecta, nunquam intellecta*) ſimul cum eo, quod modo laudavimus, Opuſculo typis excuſus, in quo ſingulari ingenii acumine plerasque interpretum tricas evitavit, & certiora interpretandi argumenta attulit. Sequuntur III & IV *Marii Arcadis* & *Petri Aldobrandini interpretationes ad l. 1 C. de Edendo*, neque illæ ſua laude prorſus defraudandæ ſunt. *Quintum* locum ſibi vindicant *Jacobi Curtii* Εἰκαστῶν, id eſt, *conjecturalium*, *Juris Civilis Libri VI*, quorum tres priores, A. 1550 ſcripti, theoretica continent, tres poſteriores, A. 1555 ſcripti, ea potiſſimum complectuntur, quæ ipſo cauſas orante vel judicante ex facto tractata ſunt, qua occaſione ſingularia ejus in *Theophilum* merita ampliſſimis laudibus celebrat Cl. *Otto*. Plures hujus Opuſculi dotes ſunt. Primo enim quæſtiones graviſſimas & ſubtiliſſimas, in foro quotidie obvias, ſagaciſſimo ingenio excuſſit, poſt amœnis excurſionibus varia attulit ad vitas JCtorum & alias Romanæ

gentis

gentis antiquitates ſpectantia, tum Græca bene explicuit, eaque aliter a Latinis aliquando uſurpari, & Latina perperam in Græcam linguam transferri, docuit. Denique laudabilem operam in verborum Latinorum vi, proprietate, & origine, inveſtiganda conſumſit. Ordo nos ducit VI ad *Antonii Guiberti Coſtani*, Tholoſatis JCti, *Quæſtionum Juris memorabilium Librum*, in quo maximas & intricatiſſimas Juris Civilis & Pontificii controverſias viginti Capitibus pertractavit. Diem plerisque eorum addidit, ut auditoribus ſuis tempus, quo talia ex cathedra recitaverat, in memoriam revocaret, & exemplum ſecutus eſt *Jo. Coraſii*, Collegæ, aut deceſſoris ſui, qui in Opuſculis ſuis locum & tempus, quando ſcripta repetita & recognita ſunt, annotavit. Satis docte atque eleganter & longe politius, ac ceteri illius ætatis JCti, verſatus eſt in dirimendis maximi momenti controverſiis, & variam omnigenæ doctrinæ ſupellectilem ubique oſtendit. Excipiunt *Coſtanum* tria *Pardulphi Prateji* opuſcula: In primo Vir ſummus titulum Inſtitutionum *de officio judicis* ita interpretatur, ut ex ipſo textu axiomata eliciat, per quæ ſingulis verbis interpretatio aptetur, ſed nimis jejune atque tenuiter. Alterum *Prateji* Opuſculum comprehendit veteres populi Romani leges, non ſolum illas, quæ in noſtro Corpore Juris laudantur, ſed etiam in univerſum omnes, a Romanis perlatas, ordine alphabetico digeſtas, & Venetiis A. 1572 una cum Lexico ejus Juris Civilis & Canonici in forma majori editas, ſed compluribus mendis deformatas, præſertim in nominibus & annis Conſulum, quibus leges perlatæ ſunt, ingens deprehenditur corruptio, cui malo exoptatiſſimam medelam paravit Cl. *Otto*, qui veterum Autorum capita & verſus ſupplevit, aliaque veterum loca, quæ in promtu erant, & meliores legum ſingularium interpretes, adjecit, & animadverſiones ſuas, oppido utiles futuras humanioris Jurisprudentiæ ſtudioſis, virgultis incluſit. Tertia *Prateji* Commentatio legem Juliam de fundo dotali magis illuſtrat, quam rite explicat. Venimus jam ad quinque eruditiſſimorum Juris interpretum *Ant. Leſcurii*, *Julii Pacii*, *Jo. Mercerii*, *Fr. Davy Dargentei*, & *Marqu. Freberi*, Commentarios

in vexatiſſimam legem 38 *de Condict. indebiti*, quæ omnium, qui politiorem Jurisprudentiam excoluerunt, ingenia exercuit, ſatis bene ſcriptos, & lectu digniſſimos. Sequuntur *Petri Grangiani Paradoxa Juris Civilis* Lugduni A. 1581 edita, in quibus ſelectæ quædam recentiorum Juris interpretum ſententiæ contra receptam JCtorum opinionem exponuntur. Opus non quidem cum *Alciati*, a quo libri inſcriptionem mutuatus eſt Autor, Paradoxis comparandum, utile tamen & frugiferum. Progredimur ad *Elberti Leonini*, Jurisconſulti Lovanienſis, & plurimis legationibus celeberrimi, *Prælectiones in tit. C. de Jure emphyteutico*, quas ab interitu vindicavit *Rutgerus Rulandus*, qui formæ proceſſus judiciarii in cauſis emphyteuticis uſitati Francof. A. 1606 præmiſit, Opuſculum magna diligentia ſubactoque judicio elaboratum. Scripſit præterea ſummæ vir induſtriæ Emendationum libros tam Juris Civilis, quam Canonici, quorum ſeptem ad Jus Civile ſpectantes *Elbertus Zoſius*, ejus ex filia nepos, edidit. Pedem promovemus ad *Claudii Chifletii*, JCti Sequani, Tractatus quatuor, *de ſubſtitutionibus, de portionibus legitimis, de Jure fideicommiſſorum, & de legis Aquiliæ ſecundo Capite*. *Chifletius*, illuſtribus gentis ſuæ trophæis excitatus, inſignem bonis artibus opem attulit, & tum vita *Ammiani Marcellini*, tum libro poſthumo *de antiquo numismate*, clarum inter præſtantiſſimos viros doctos nomen conſecutus eſt. Accuratiora illa, quæ indicavimus, opera futura fuiſſent, ſi præſertim operibus de ſubſtitutionibus & fideicommiſſis ultimam manum admovere ipſi licuiſſet. Interim de bonis omnibus præclare promeritus eſt diſcipulus ejus, *Jo. Morelotus*, qui in ordinem redegit lacera illa & diſperſa Virbii membra, certisque Libris & Capitibus diſtinxit. Singularis eſt illius de ſecundo legis Aquiliæ Capite opinio, qua exiſtimat, conceptum illud fuiſſe de ſervo corrupto, mature autem in deſuetudinem iviſſe, poſtquam rigidius multo Prætoris Edictum ſubſecutum erat, quo actio pœnalis & perpetua etiam adverſus fatentem in duplum promittebatur, cum Aquilia inficiantem tantum coercuiſſet. Excipiunt *Chifletiana* Opuſcula *Gulelmi Ranchini*, in Montispeſulana ſchola Ante-

Antecessoris, *tres Libri variarum lectionum*, primum Parisiis A. 1597 editi, deinde Marburgi A. 1717 in *Schminckii* Syntagmate critico recusi, in quibus diversas dapes antiquæ, mediæ, & suæ ætatis lauto apparatu apposuit, & tum ex veterum Autorum locis menda feliciter sustulit, tum vel ex Justinianeo, vel ex novo jure Galliæ argumenta depromsit, eo quidem improbi laboris successu, ut summo plausu exciperentur a supremæ caveæ viris doctis quibuscunque. Hos *Ranchiniani* ingenii fœtus sequitur *Jo. de Solorzano Pereira de parricidii crimine* Dissertatio. Hanc more eorum, qui ad supremos in Jure honores adspirant, Salmanticæ publice proposuerat, & deinceps non contemnendis accessionibus adauctam, A. 1605 ediderat, atque A. 1628 Operi majori *de Indiarum jure* subjecerat, cujus novissima editio *Lugduni* A. 1672 prodierat. Mores diversarum gentium in puniendo hoc crimine non sine magno labore recensuit, sed creberrimis parenthesibus, non signatis, perspicuitatis laudem amisit. Quicquid sit, diligentiæ laude, ingenii fœcunditate, & methodo accurata, cunctorum plausum atque assensum meretur *Solorzanus*. Proximum locum tenet *Jacobi Leschasserii*, JCti Parisiensis, cujus stupendam in omni doctrinæ genere eruditionem scripta Parisiis collecta, & A. 1652 secunda vice auctius edita, aperte declarant, perelegans de vocabulis ad Geographiam Juris Romani pertinentibus Observatio. Succedunt *Henrici Ernstii, Helmstadiensis, variarum Observationum libri*, Amstelodami, A. 1636 typis descripti, pretio magis, quam mole, commendabiles. Non tantum enim varia utriusque Fœderis, & priscorum Autorum, verum etiam Pandectarum & Codicis, maxime vero Institutionum, loca obscura ex *Theophilo* in illis bene & egregie explicantur. Post hunc collocata videmus *Josephi Fernandez de Retes ad tit. de Interdict. & relegatis* Commentaria, primum A. 1642 publici juris facta. Posteaquam vero *Nicolaus Antonius*, Hispalensis, post septendecim annos interjectos Libros tres de Exilio Antverpiæ A. 1659 prelo exire jusserat, & in eo jura & historiam exulum ex omni antiquitate & vetere Jurisprudentia plenius descripserat, Noster A. 1660 notis & additionibus locuple-

tatum hoc volumen denuo emisit, & tertium Librum de testamentifactione deportati, & actionibus, quibus is experitur & convenitur, adjecit, & legem 17 C. Th. de Pœnis erudite exposuit. Quæ sequuntur *novæ veteres vindiciæ dignitatis & autoritatis Juris Civilis a Benedicto a Jesu Christo postulatæ*, indignæ sunt, quæ in hunc Thesaurum fuerint translatæ. Meliorem fructum spondent *Justi Zinzerlingii* opinationes variorum de vero intellectu vexatissimæ l. 5 *de Naut. fœnore*, & ejusdem, contra plerosque omnes, genuina explicatio, quæ Lugduni A. 1614 lucem aspexit, *Tussani de la Rue* amœnæ Juris Observationes, Parisiis A. 1697 excusæ, & *Jo. Koolii* Dissertatio inauguralis *ad Legem Ateriam Tarpejam de multis*, Trajecti A. 1698 habita. Agmen non solum *Tomi* hujus, verum etiam universi Thesauri, claudunt *Everardi Ottonis* Liber singularis *de vita Servii Sulpitii*, & *P. Alfenus Varus ab injuriis, veterum & recentiorum liberatus*, in quorum vitis conficiendis eundem, quem in *Papiniano*, ordinem tenuit, & de gente, de patria, de parentibus, de studiis, de libris, de discipulis eorum accurate disputavit, inimicorum criminationes sagacissimo ingenio detexit, nec quidquam omisit eorum, quæ ad ornandos & illustrandos præstabiles hos JCtos pertinere poterat. Dignus profecto Cl. *Otto*, cui ob servatos hos Quirites statua ponatur, cujusque desideratissimum nomen ad seros, si qui unquam futuri sunt, posteros transmittatur. Fruere itaque, Lector, tot apparatissimis, quæ Cl. *Otto* Tibi instruxit, epulis, hasque tibi ad palatum fore, nobis sponsoribus vadibusque, certissime confide, & gratias nobiscum age Viro tot innumeris laboribus bonipublici causa perfuncto, denique vegetas ipsi corporis & animi vires precare, ut cetera frugiferi ingenii sui, quæ prelo parata habet, monumenta in lucem conspectumque omnium proferre queat, & promeritum industriæ suæ fructum, longam & tranquillam ætatem, a Deo immortali, ex voto omnium, quibus Jurisprudentiæ salus curæ cordique est, referat.

GERARDI NOODT, NOVIOMAGI, JUrisconsulti & Antecessoris, Opera omnia, recognita, aucta,

aucta, emendata, multis in locis, atque in duos Tomos distributa. Huic novæ editioni inter alia accessit V. Cl. JOANNIS BARBEYRACII historica Vitæ Autoris narratio.

Tomi II.

Lugduni Batav. apud Arnoldum Langerak, 1735, fol. Tom. I Alph. 7 plag. 14, Tom. II Alph. 6 plag. 14.

Merebantur utique novum hunc ornatum *Noodtiana* Opera, eo quippe dudum eruditi orbis plausu excepta, ut, qui *Noodtium* non legerit, nihil ab eo in elegantiori Jurisprudentia expectari magnum posse ac singulare videatur. Vix enim inter eos, qui aut nostra, aut majorum nostrorum, ætate ad interpretandum Jus Romanum sunt conversi, invenire unum aut alterum possis, qui de ingenii & doctrinæ, aliorumque omnium præsidiorum, quibus opus est vetera Romanorum instituta explicanti, gloria contendere cum incomparabili illo Batavorum heroe audeat. Non jam latius in laudes Viri maximi excurrimus, utpote quæ tantæ sunt nostro judicio, ut brevi & incomta oratione vix enarrari satis, nedum ornari condigne, possint. Id tantum dicimus, de juventute bonis literis dedita eos præclarissime mereri, qui elimata illa & seris posteris dignissima *Noodtianæ* Musæ opera ab interitu vindicare, &, ut quaqua terrarum parte legi ab unoquoque possint, efficere, quantum in ipsis est, laborant. Quam laudem præ ceteris sibi propriam vindicat novæ hujus, de qua nunc dicendum paucis, Operum Collectionis Editor, qui cur nomen suum dissimulaverit, hoc magis miramur, quo certiorem ipse consilii tam præclari, tamque cum nostro omnium insigni fructu conjuncti, a bonis omnibus initurus gratiam videbatur. Is, Opera *Noodtii*, ab ipso Autore A. 1724 junctim Voluminibus duobus edita, de quibus nos in *Actis A. 1725 Mens. Januar. pag. 1 seq.* copiose diximus, inde ab aliquo tempore frustra quæri in librariis tabernis, animadvertens, nec committendum ratus, ut

magno

magno hoc præſidio in poſterum carerent elegantiora ſtudia, id ſibi datum muneris putavit, ut his denuo publicandis, & in nova aliqua luce collocandis, honeſtam laudabilemque operam impenderet. Partitus igitur curas ſuas cum *Langerakio*, urbis Lugdunenſis prænobili Typographo, huic nitide & eleganter excudendi, ipſe ſibi accurate recognoſcendi, mendisque omnibus purgandi, Operis provinciam dedit. Qua in re uterque amiciſſime conſpirarunt, nec minori laudi cedit Typographo, præſtantiſſimis illis doctrinæ *Noodtianæ* monumentis externum aliquod decus conciliaſſe chartæ & typorum venuſtate, quam Editori ipſi, emendatiſſimum dediſſe librum, in quo feliciter ſublatos videas errores eos omnes, quos vel operarum olim incuria, vel ipſius Autoris in ſcribendo feſtinatio, pepererat. Hos colligenti diligenter, opportune in manus venit codex ipſius olim lima Autoris perpolitus, quo commode in rem ſuam uſus eſt Editor, tanquam optimo dictorum *Noodtii* interprete. Alia, nec ea nihili æſtimanda, contulerunt Clariſſimi Batavorum Jureconſulti, *Schultingius* & *Barbeyracius*, ille ſuis civibus & rectioribus ſtudiis haud ita pridem immaturo fato ereptus, hic gloriam literarum hoc ipſo tempore inter Batavos feliciſſime ſuſtinens, quorum uterque, in lectione Operum *Noodtii* haud indiligenter olim verſati, non pauca obſervaverant privato ſtudio, quæ, negligentius exſcripta, longiſſime aberrare a mente ſolertiſſimi Autoris viderentur. His in conſilium vocatis, integritati ſuæ reſtituit Editor, quæcunque olim ſine offendiculo legi vix poterant, ſcriptores perperam citatos oratione ejecit, & in horum locum meliores ſubſtituit, hisque capita & verſus addidit, ut jam nemo de corrupta Autoris mente, aut diſturbato verborum ordine, conquerendi cauſam habeat. Neque tamen in emendando ita audacem fuiſſe Virum optimum exiſtimes, ut ipſi ſcripturæ Autoris vim inferret, aut temere mutaret ſententias utcunque propoſitas; in quibus etſi non deſint, quarum, ni limam adhibeas, vix ſatis cognoſci ratio poſſit, id quod vel uno exemplo evidenter probat Editor, maluit tamen, quod laudandum utique, lectoris cujusque ingenio expolienda hæc permittere,

permittere, quam in alienos agros falcem criticam immittere. Forma & moles Operis ab illa prioris editionis parum differt, nec quidquam jam scriptorum *Noodtii* accessit, præter breve ejus *Responsum in causa matrimoniali*, Belgico sermone editum a *Noodtio* A. 1596, sed postea Latine conversum a *Pagenstechero*, qui & locum ei dedit in *Irnerio injuria vapulante*. Qui linguæ Belgicæ non satis gnari sunt, dolebunt, exulare hic loci Latinam interpretationem, quæ, cum quatuor vix paginarum spatium deposcat, addi hic levi chartæ dispendio, sed magno satis lectorum commodo, potuisset. Præcipuam vero huic Operi gratiam conciliat præmissa eidem vita *Noodtii*, a Cl. *Barbeyracio* conscripta, quam is primum A. 1731 cum aliis nonnullis *Dissertationibus* sermone Gallico Amstelodami ediderat, jam vero, rogatu Editoris nostri, in Latinum translatam, & novis passim accessionibus locupletatam, variisque in locis immutatam, eleganti huic Operum *Noodtii* Collectioni adjunxit. Est hæc, sive ipsam rerum gestarum narrationem spectes, plene & copiose, sive ad dicendi genus & orationis flores respicias, ornate & eleganter scripta, ut vix digniori cuiquam Oratori commemorandarum tanti Viri laudum ac virtutum committi potuisse sparta videatur. Nos ejus historiæ jam olim, cum Gallice prodiret, præcipua momenta enarravimus in *Supplementis Actorum Tom. X Sect. II pag. 86*, nec jam quisquam est, qui hæc denuo a nobis recitari postulet. Illud tantum hic addimus, cum jam relegimus opellam, & ea maxime, quæ nunc recens sunt addita, inspicimus, videri nobis subinde nimio laudandi herois sui pruritu in transversa actum *Barbeyracium*, nec, modo *Noodtium* admirandum omnibus proponeret, aliorum, etiam qui de elegantiori doctrina meritissimi habentur, famæ pepercisse. Est hoc commune eorum vitium, qui ad describendas aliorum vitas eo animo, ut omnia laudent, accedunt, idque amicitiæ & meritis viri datum putant, quod sit in alios acerbe vehementerque dictum. Sed, ut sordet ista scribendi ratio iis omnibus, qui suam viro cuique bono integram esse famam volunt, ita vix quisquam est, qui non minime omnium ferendam in tanto justi & honesti magistro putet. A-

gnoſcimus facile iniquitatem *Barbeyracii*, in *Wachtlerum* noſtrum, qui, ſi voluiſſet, & dignitate & ſcriptorum fama æqualis eſſe *Noodtio*, nemine id non fatente, poterat, dictis contumeliosis inſurgentis, hunc *imbellem Noodtii hoſtem* nominantis, *irritos*que ejus *in impugnandis libris Probabilium Noodtii conatus* judicantis, in alios etiam, qui *Wachtleri* honorem tuendum ſusceperant, maxime in politiſſimum *Trotzium*, nuperrimum *Opuſculorum Wachtleri* editorem, occulta & indigna viro bono tela vibrantis, arrogantiam & faſtum pædagogicum, quo ſcripta *Wachtleri*, ſuis libris oppoſita, excepit olim *Noodtius*, cujus & turpitudinem, niſi qui cœcus ſit oculo utroque, non agnoſcat, excuſantis molliter, & ignavo humanitatis nomine condecorantis, tantum ne deſerenda hic Amici veteris & gloriæ *Noodtianæ* cauſa eſſet, fatendumque id, quod nemo diſſimulat, fuiſſe in contemnendo adverſario, quam defendendo ſe ipſo, fortiorem *Noodtium*. Grata hæc Belgis ſine dubio, iis inprimis, qui doctrinæ omnis inde ab aliquo tempore principatum affectant, & ſurgentem hominis Germani famam faſtidioſe ſpectant, quorum ſi arbitrio res geratur, communi in poſterum, quicunque non ſub illo cœlo habitamus, barbarorum nomine vocemur. Sed, ut illiberalis iſte, &, ut vere dicamus, ruſticus, contemtus noſtri, omnia humanitatis jura penitus evertens, & ipſis bonis artibus pernicioſus, nihil nos movere loco poteſt, nec, ut viciſſim in gentem nobis tam inimicam utamur armis noſtris, quidquam nobis animorum ſubdit, ita, quod *Wachtleri* cauſam attinet, gaudemus, hanc, vel tacentibus nobis, ſatis in tuto collocari aſſenſu eorum, quibus aut armorum *Wachtleri* robur, aut certe, quam immeritum is a *Noodtio* tulerit contemtum, vel privato ſtudio ſatis eſt exploratum.

Weſtphäliſche Friedens-Handlungen und Geſchichte, ꝛc.

h. e.

ACTA PACIS WESTPHALICÆ PUBLICA, Autore JO. GOTHOFREDO DE MEIERN, Regis Magnæ Britanniæ & Electoris Hanoverani Conſiliario Aulico.

Tomus

Tomus V.

Hanoveræ, apud J. A. Gercken, 1735, fol.
Alph. 10 plag. 14.

Non ſolum ſtrenue pergit Illuſtris Autor exhibere acta Pacificationis omnium illuſtriſſimæ e tenebris ſuis eruta, & hiſtoriæ in modum concinne connexa, ſed pergunt quoque Hiſtoriæ Germanicæ Jurisque publici cultores, imo Principes, eorumque Miniſtri, novam quamque hujus Operis, ex omni parte ornatiſſimi, Partem gratulabundi excipere. Perfectior ſcilicet hic eſt nobiliſſima iſta hiſtoria, quam a quoquam exſpectari poterat: cum, ut ex Præfatione præſentis *Tomi* cognoſcimus, novem Autor habeat in manibus Relationes ſive Commentarios de toto Weſtphalicæ Pacificationis negotio, ut adeo, ſi prius iis fuiſſet potitus, priores *Tomi* futuri fuerint ampliores. Ac fortaſſe erunt, qui optent, ut illa hujus Operis Supplementa pariter aliquando in lucem prodeant: quanquam Autor confirmat, eorum, quæ maximi momenti ſunt, nihil deeſſe. Singulorum præſentis *Tomi* librorum (progreditur autem hic *Tomus* a libro *XXXIV* usque ad *XLII*,) argumenta a nobis hic indicari, opus haud fuerit. Major eſt enim & multitudo eorum & varietas: inter quæ tamen primum locum obtinet, præcipuaque conſideratione dignum eſt, quod hic relatum reperimus de juſtitiæ juſta forma Imperio noſtro in conventu Weſtphalico data, atque ita comparata, ut deſinat religionum diverſitas curſum ſufflaminare almæ juſtitiæ. Ante vero, quam ipſum hunc *Tomum* ingredimur, in limine ejus offendimus novem Reginæ *Chriſtinæ* ad Legatum ſuum, *Salvium*, Suecica lingua ſcriptas Epiſtolas, adjunctam habentes verſionem Germanicam. Qua occaſione Illuſtris noſter Autor in Præfatione præclare diſſerit de iſtius Reginæ ingenio pariter ac virtutibus, producens etiam Epiſtolam Confeſſionarii Legati Hiſpanici, *Mannerſchiedii*, in qua copioſe ſatis ſatisque concinne Regina hæc ſecundum ſingulas ſuas actiones & conſuetudines deſcribitur ab αὐτόπτῃ & αὐτηκόῳ. Nec illud omittendum, illarum Epiſtolarum ipſa avtographa verſari in

 Autoris

Autoris nostri manibus, qui Epistolis his partim præmisit, partim subjunxit, numismata, in honorem *Christinæ* cusa a Catholicis, de religionis mutatione ipsi gratulantibus: quorum primum cum ænigmatis instar habeat, suam ejus interpretationem profert Noster, & cujusvis judicio subjicit liberaliter. Nunc, potiora quædam delibaturi, ad ipsum hunc *Tomum* accedimus. *Libri XXXIV §. 1* & *6* observat Noster acute, hanc fuisse causam, cur anni 1647 mense Februario inducias Elector Bavarus fecerit (idque molestissime ferente Cæsare,) cum Sueciæ ac Galliæ Regibus, ut duæ hæ Majestates consentirent in ipsius dignitatem Electoralem. Bavari vero longa Epistola *§. 5* exhibetur, qua istas is inducias excusat Imperatori, acriori passim utens stilo. Paulo post commemoratur & Coloniensis Electoris & Bavari ab illis induciis recessio, multæque proferuntur lectu dignissimæ Epistolæ, hac occasione ab utraque parte ad alteram scriptæ. Quod argumentum etiam persequitur *Liber XXXV.* Toto enim hoc in *Libro* plenissime relatum legimus, quomodo & quo prætextu Bavarus illas inducias finierit, quamque id moleste tulerint & Sueci & Rex Galliæ. Illud tamen luculenter apparet, non fecisse id Bavarum eo consilio, ut bellum renovaretur ac magis inflammaretur, sed ut citius pax redderetur Germaniæ. Quatuor hic exhibentur Epistolæ *Christinæ*, Suecorum Reginæ, dolorem ejus ostendentes gravissimum, quem ipsi attulerat renuntiatio induciarum sive armistitii Bavarica. Harum prima ad Electorem Bavariæ data est, altera ad Regis Galliæ matrem, tertia ad Galliæ Regem, quarta ad *Mazarinum* Cardinalem. Nos, postquam perlegimus Reginæ hujus ad *Salvium* datas Epistolas supraque commemoratas, facillime credimus, non e Secretarii vel Consiliarii cujuspiam, sed ex ipsius Reginæ, calamo eas fluxisse. In postrema suam ea indignationem his verbis exprimit: *Vix credimus, toto hoc bello, adeo multis vitiis obnoxio, simile factum reperiri. Nam cetera qualicunque prætextu colorari possunt: hæc præmeditato consilio facta, & ad decipiendum congesta fuere.* Legitur etiam hic *§. IX pag. 99 — 106* *Salvii*, Plenipotentiarii Suecici, *Defensio Legationis Suecicæ*, in

qua

qua & iniquitatis accusatur Bavarica induciarum sublatio, & Legati Sueciæ defenduntur contra criminationem, quasi penes ipsos culpa esset nondum factæ pacis. Asperrimum est hoc scriptum, ejusque statim initio Manifestum Bavaricum appellatur *scriptum famosum*. Ceterum ex Bavari Epistolis, *pag. 106 — 117* exhibitis, liquet, id sincere egisse eum, ut pax maturaretur, ut conditiones jam initæ ne denuo revocarentur in dubium, ut denique, si Catholici quidam Principes cursum pacificationis sufflaminarent, vel invitis illis pax componeretur. In *Libro XXXVI pag. 130 seq.* exhibentur duo *Projecta Pacis*, alterum Cæsareum, alterum Gallicum. Docetur hic *§. V pag. 172*, Gallos Legatos ursisse, ut Rex suus sessionem & votum in Comitiis Germanicis posthac haberet tanquam possessor Alsatiæ; sed respondisse Cæsareos, id propterea fieri non posse, quia nunquam Alsatia sessionem in Comitiis habuerit ac votum singulare. *Libro XXXVII* continentur controversiæ particulares omnes, quæ per totum annum 1647 agitatæ sunt in conventu pacificatorio, & ipsa hic exhibentur Documenta, quæ vocant. Scilicet litis aliquid intercessit inter domum Austriacam & Wurtenbergicam, inter Comitem Limburgicum & Episcopum Herbipolitanum, inter competitores hæreditatis Saynensis, inter Comitem Waldecciæ & Landgravium Cassellanum, inter Comitem Isenburgensem & Darmstadinum Landgravium, inter urbem Magdeburgum & suum Archiepiscopum, inter Episcopum Bambergensem & domum Austriacam, inter Abbatem Corbejensem & urbem Hildesiam. Præterea hic legas Cameræ Imperialis desideria, Erfurtensiumque, eam in sua mœnia recipere nolentium, literas, (in quibus docent, eo pacto se incolas habituros, qui jactatis multis privilegiis magnas urbi ejusque magistratui allaturi sint molestias & noxas,) & alia, partim ecclesiastica, partim civilia, certamina. Cognitu quoque dignæ sunt, quæ in *§. XV* leguntur, graves querelæ civium Lutheranorum urbis Campenæ (quæ pars est provinciæ Transisalanæ,) de magistratu religioni addicto Reformatæ, qui ipsis interdixerit suæ religionis exercitio. Legati Osnabrugenses Principum Lutheranorum in

ſuis literis ad Campenenſem magiſtratum datis *pag.* 245 ex eo metuendum cenſent, ne Reformati fiant perſecutores Lutheranorum iis in locis, quorum futuri ſint per inſtantem pacem poſſeſſores. Occurrunt quoque hoc in *Libro* plures deliberationes de Camera Imperiali (quæ *pag.* 250 a Legato Luneburgico vocatur ***unicum fere illud Romani Imperii clinodium, quod ſtudioſiſſime conſervandum ſit exſolvendis juſto tempore ſalariis,***) ſuſtentanda, juſtiſſimumque cenſetur, ejus Aſſeſſoribus perſolvi ſua ſtipendia. Talium controverſiarum particularium cum & *Liber XXXVIII* plenus ſit, ex eo annotamus, quod in *§. XIII* proferantur querelæ de Poſtis, quas vocant, id eſt, tabellariis publicis: qua occaſione exhibetur *pag.* 444 — 456 cujusdam Poſtarum magiſtri longus libellus, hiſtoriam veluti Poſtarum Germanicarum continens. In *§. XVI* repræſentatur ***Projectum Inſtrumenti Pacis Suecici, a Sueciæ Legatis d. 14 April. A. 1647 Cæſareanis exhibitum.*** Doctiſſimus Editor *pag.* 457 in ſubjecta nota docet, hoc exemplar eſſe genuinum, alterum vero, quod in libris nonnullis reperiatur ab hoc multum differens, eſſe falſum. *Libro XXXIX* continetur graviſſima & maximi momenti hiſtoria. Perſpicue enim & pleniſſime hinc cognoſcimus deliberationes, per anni 1648 duos menſes, Februarium & Martium, in Weſtphalia a Legatis pacificatoribus habitas. Et initio quidem actum fuit de forma Cameræ Imperialis. Ac legitur hic *pag.* 483 ***Projectum Legatorum Imperatoris in puncto juſtitiæ,*** & *pag.* 484 *ſeq.* Evangelicorum ad illud ***Notæ & Additiones.*** Tandem d. 22 Febr. conſultationes de adminiſtranda in Imperio juſtitia finitæ ſunt, leguntur que *pag.* 498 Legati præ gaudio lachrymas fudiſſe, quod de ordine & forma judiciorum publicorum ex voto transactum ſit. Ac exhibetur *pag.* 499 *ſeq.* ipſa ***Formula conſtituti Judicii Aulici & Imperialis.*** Poſtea actum fuit de *autonomia*, quam vocabant, ſive de libertate religionis. Ac *pag.* 505 *ſeq.* exſtat Projectum Legatorum Cæſaris hac de re, in quo cenſetur, omnibus Statibus Imperii immediatis competere jus reformandi exercitium religionis: vi cujus cogere poſſint diverſæ religioni addictos e terris ſuis

emigrare;

emigrare; hoc tamen non obſtante eos ſubditos, qui A. 1624 publicum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium habuerint, id retinere debere; quod vero ad Auſtriacas terras attineat, permittere Imperatorem, ut Comites, Barones, & Nobiles ob profeſſionem Auguſtanæ Confeſſionis loco & bonis cedere non cogantur, nec etiam prohibeantur dictæ Confeſſionis exercitium in locis vicinis extra territorium frequentare, modo in reliquis tranquille vivant & pacifice. Ex eo tempore ſæpius actum eſt cum Cæſareis de libertate religionis Evangelicis Imperatoris civibus concedenda: ſed nihil effectum, licet etiam Catholicorum Legatorum nonnulli ſentirent mitius. Concertatio illa de religione deſcribitur hic a *pag. 501* usque ad *540*, ubi & *pag. 538 ſeq.* exhibetur, quod ea de re conventum fuit inter Legatos Cæſareos, Suecicos, & Catholicorum Evangelicorumque Principum. Finitum etiam eſt d. 14 Martii diſſidium de Gravaminibus eccleſiaſticis; & Articuli mutuo conſenſu compoſiti leguntur *pag. 562 – 576.* *Libri XL* pars magna (*pag. 610 – 690*) conſumitur diſputationibus de ſatisfactione domui Caſſellanæ danda, itemque de conciliandа domo Caſſellana cum Darmſtadienſi in cauſa Marpurgica. Utraque vero res ſucceſſit ex voto. Nec minus compoſitæ ſunt variæ lites de amneſtia. Ad ultimum Legati Cæſarei *pag. 731* novum pacificationis concluſioni impedimentum objiciebant, contendentes, antequam cum Suecis tranſigeretur de *ſatisfactione militiæ*, conveniendum eſſe de Articulo, cujus initium: *Tandem omnes*, (vid. *pag. 463* & *616*) in quo agitur de amneſtia in hereditariis Imperatoris terris exercenda; volebantque, ita eum ſubſcribi a Suecis, uti formatus erat a Cæſareis. Adjiciebant, niſi hoc fieret a Suecis, pacem ſe non eſſe inituros nomine Imperatoris, nec, quantumvis rogati a Legatis Proteſtantibus, quidquam remittebant. Exponebant etiam (*pag. 744 ſeq.*) graviſſimas cauſas, cur ab eo Imperator, quod velit, recedere nequeat. Cum hac occaſione quidam Legatorum Cæſareorum dixiſſet, Imperatorem Articulum illum: *Tandem omnes*, a Suecis redemiſſe 600000 thaleris, eaque res fiduciam Proteſtantium erga Suecos haud modice minueret; noſter Autor hic

hic (*pag. 749 seq.*) exhibet ineditum adhuc *Articulum secretum*, ex quo apparet, quæ occasio fuerit injuste Suecicos Legatos accusandi proditæ securitatis Protestantium in terris Austriacis. Inspiciatur & *pagina 759*, ubi Imperatoriorum Legatorum unus exponit Legatis Protestantium, qua de causa Suecis a Cæsare illa thalerorum summa promissa sit. Singularem *pag. 742* relatam historiolam omittere nolumus. Scilicet in urbe Monasterio mense Aprili tumultus exoriebatur, cujus hæc erat occasio. Duo temulenti Hispani, habitationem Legati Lusitani prætereuntes, ita exclamarant: *Vivat Philippus IV, Rex Hispaniarum; moriatur Joannes, Dux Bregantinus, rebellis.* Lusitanus quidam, vocem hanc audiens, sic respondebat: *Vivat Rex Castiliæ: sed, quod Joannes, Rex Portugalliæ, sit rebellis, mentiris.* Quo facto, duo illi Hispani irruerunt in domum, alterque eorum vulnus accepit. Quod simul ac cognovisset Legatus Hispanicus, statim emisit circiter 120 homines, qui, in domum Lusitanici Legati irrumpentes, omnia trucidarent, vel domum incendio delerent. Supervenit autem Monasteriensis cohortis præsidiariæ præfectus, & hos motus antipatheticos composuit. *Liber XLI*, qui hujus *Tomi* ultimus est, totus consumitur tractationibus de satisfactione militiæ danda. Ubi quatuor quæstiones ventilabantur, 1) quis contribuere debeat, 2) cui sumtus belli sint refundendi, 3) quantum, & 4) quomodo. Primo igitur & Imperator & Elector Bavariæ contendebant, sibi quoque impensas in bellum factas restitui oportere. In conventu Legatorum Electoralium Trevirensis causas afferebat probabiles, cur nil a domino suo solvi debeat. Coloniensis paratum se præbebat ad solutionem suæ portionis, modo id inde detrahere sibi liceat, quod solvendum habeat Cassellanæ domui. Bavariæ Legatus censebat, solutionem hanc pertinere ad omnes Status Germaniæ communiter: sed satisfaciendum etiam esse sui domini exercitui. Saxonicus decernebat, soli exercitui Suecico satisfaciendum esse, & quidem nemine Statuum ab onere solutionis excepto. Hanc in sententiam Brandeburgicus ibat & Moguntinus. Cetera hoc in negotio acta persequi singulatim

nos

nos vetat nostra brevitas. Ad ultimum consensum est ab Ordinibus Germaniæ universis, dandos esse Suecis, quibus postremo contenti erant, quinque milliones. *Sextus* hujus Operis *Tomus* jam prodiit. Quare & hujus recensionem brevi his in *Actis* lectum iri, pollicemur.

HENR. CHRISTIANI SENCKENBERGII, JCti, & Consiliarii Rhingravici Daunensis, Prodromus Juris Feudalis, in quo de Juris Feudalis ejusque studii præcognitis, adminiculis, cognitione ipsa, fatis, fontibus, cautelis, autoribus, & usu, ad mores Germaniæ præcipue, differitur. Accedunt Appendices quatuor.

Francofurti cis Mogum, sumtibus Frid. Guil. Fœrsteri, 1734, 4. Alph. 1 plag. 1.

Breve scriptum, sed non brevis laboris, non exigui usus, nec tenuis gloriæ. Viam ingredi, qua omnes commeant, occupare, quæ facilis cuilibet offert occasio, & ambitiose venditare, plebejum est; sed sine duce per anfractus sectari veritatem, quæque ipse non didiceris, docere alios, & modeste docere, hoc vero præclarum magnæque industriæ semper fuit habitum. Non una extat Juris Civilis & Publici methodus, sed Juris Feudalis adhuc nulla; cum tamen in discendo non minus, quam docendo scribendoque, non parum a multis peccetur. Ergo derelictam provinciam bene occupavit ab omni utiliori scientia feudali instructissimus Autor, & exemplo prodesse primus voluit tyronibus æque ac provectioribus. Octo Capitibus tractatio absolvitur. *Caput I Præcognita Juris Feudalis* complectitur. Primo requiritur notitia latinitatis barbaricæ, crebra lectione obtinenda. Deinde studium linguæ obsoletæ Germanorum, cujus adminicula docentur, itemque Gallicæ, quia Gallorum instituta feudalia plus ex antiqua forma servarunt; item cognitio historiæ Germanicæ & Italicæ, & quodammodo exteræ, ubi præcipui scriptores, tum generales, tum particulares, recensentur. Sub *Friderico Barbarossa* omittitur *Guntheri Ligurinus*,

Pag. 11 & 35 *nus*, quem Autor non alium putat, quam *Ottonem Frisingensem*
in not. *& Radevicum*, sequiori ævo versibus redditum. Commendatur porro studium antiquitatum Germanicarum, præcipue rei Diplomaticæ, cujus amore Cl. Autor utilem facit digressionem, at-
17. que obiter inspergit binas Epistolas, ex quibus apparet, *Jo. Ge. Eccardum*, cum ad Romana sacra transiisset, in controversia cum *Nunningio* errorem suum professum, & *Nunningio* publicam palinodiam promisisse, quam tergiversando deinceps distulit, cum indignatione Jesuitarum. Denique studium Juris privati civilis, tam antiqui, quam hodierni, condignis laudibus effertur. *Caput II de adminiculis studii Juris Feudalis* inscriptum est. Quæ sunt 1) antiquitates Germanorum militares, ubi quæstio,
23. an liceat in feudis majoribus, domino inconsulto, subvasallos sibi adjungere? affirmatur; 2) doctrina de aliis beneficiorum generibus, quæ vulgo etiam *Lehen* dicuntur; 3) Jus Germanorum publicum, ad cognoscendam feudorum Imperii naturam & immunitates; 4) Exterorum feudalia instituta, ubi quædam de illorum scriptoribus allegantur. *Caput III de cognitione ipsius disciplinæ acquirenda* agit, ubi de methodo, de præjudiciis fugiendis, de actorum feudalium lectione, &c. *Caput IV fontes* indicat. Commendantur 1) leges antiquæ gen-
33. tium Germanicarum, quarum collectionem frustra promisit *Eccardus*, obiterque ostenditur, Constitutionem de expeditione Romana perperam *Conradi II* creditam esse, cum privata sit consignatio, sub *Ottone IV* confecta; 2) Diplomata & Acta MSta, & Observationes exinde concinnandæ. Adduntur in fine
44. regulæ de usu fontium diversorum. *Caput V de Historia disciplinæ per secula, Caput VI de notitia optimorum Autorum, inprimis systematicorum*, differit. De singulis fertur judicium, non (ut vulgo fit) ex titulis librorum, aliorumve autoritate, sed ita, ut ipse Consultiss. Autor prudenter & cum cura legisse omnes videatur. *Caput VII de studio præcipue in iis collocando, quæ usus alicujus esse possunt*, docte & prudenter agit. Cum Bibliotheca Juris Feudalis nondum satis accurata habeatur; specimen daturus Autor, recenset ordine scriptores tam universæ Germaniæ, quam singularum provinciarum, notatque diligenter, ubi quid desideretur, posterorumque

indu-

induſtriæ relictum ſit. Ubi de feudis Fuldenſibus agitur, occaſione controverſiæ inter *Schannatum* & *Eſtorem* atque etiam *Kayſerum* de fœminarum a feudis Fuldenſibus propriis excluſione, profert, rogatu amiciſſimi *Schannati*, Cæſaream ea de re ſententiam de A. 1523. Sequitur *Caput VIII de cognitionis acquiſita in uſum deductione*. Accedunt *Appendices*, quarum *I* continet *Delineationem Theſauri Antiquitatum Germanicarum*, qualis a Cel. *Treuero* A. 1729 confecta fuit, quam vero ſuperiori anno *R. A. Noltenii* opera inſigniter auxit; *II Emendationes Libri veteris de Beneficiis*. Unam atque alteram Autor ex ingenio ſuo affert, ſatis feliciter. Ceterum *Thomaſiana* editio comparatur cum antiqua Colonienſi, quam ignoravit *Thomaſius*, quæ quidem vitioſiſſimas plurimas, ſed tamen & bonæ frugis, lectiones ſuppeditat. Commendamus Supplementa ad *Thomaſium pag. 142 §. V, pag. 145 §. XVI, pag. 159 §. LX, pag. 164 §. IV, pag. 168 §. XV. Pag. 169* inde a *§. XXI* usque ad finem, omnia quidem in veteri editione differunt, ſed admodum depravate, ita tamen, ut prudens lector ſanare poſſit *Thomaſianam*. *III Sciagraphiam Juris Feudalis Germanici* legis, qua ipſe Autor in erudiendis aliis cum fructu uſus eſt. Tota enim diſciplina feudalis breviſſimis theſibus docte & accurate comprehenſa non poteſt non placere tyronibus, quos omnis onerat multitudo. Simul hic inter ipſa rudimenta paulatim diſcunt diſcernere, quæ vere ſunt Juris Germanici, ab inſtitutis Longobardicis, quæ uſui aliquando eſſe poſſunt, ab iis, quæ inutiliter addiſcuntur. *IV Bina Diplomatum feudalium ſelectiſſimorum Decades* habentur. Sunt ea Seculi XIII & XIV, pleraque omnia etiam ex originalibus deſcripta. Obſervationes, quæ ſubjiciuntur, breves illæ quidem ſunt, ſed varia Juris Feudalis Germanici capita illuſtrant, vel adhuc obſcura vel ignorata. Subnectimus ſubnectendam Conſultiſſimi Autoris *Epiſtolam ad Fratrem, Jo. Eraſm. Senckenberg, Jur. Stud. Altorf. de Prodromo Juris Feudalis nuper emiſſo 1735, plag. 2, in 4.* Quæ varia continet memorabilia. Nimirum majus *de Jure Feudali Germanorum* Opus jam diu molitur Autor, atque hunc *Prodromum* emiſit, ut eruditorum de ſuo inſtituto judicia cognoſceret, ut Diplomata aliaque ſubſidia

Pag. 76.

dia eliceret, ut haberent interim tyrones introductionem ad Juris Feudalis disciplinam. Deinde clarius quædam exponit, quæ in Prodromo brevius dicta fuerant. Contra Ill. *Gebauerum* bona Germaniæ dividit non in tres species, sed in
Pag. 6 seq. duas, in *Alod* & *Leod*, hujusque posterioris speciem facit *Feod*. *Alod* interpretatur, prædium ab omni servitio liberum; *Leod* vero servitiis obnoxium. Olim quidem tum Vasallos, tum homines proprios, a servitiis dictos ait *Leodes*, *Liute*; Vasallos tamen servitiorum militarium honore distinctos, eorumque bona in specie *Feod* fuisse appellata. Porro *simultaneæ inve-*
13. *stituræ* non tres, ut *B. Schilterus* quondam, sed quinque statuit species, omnia copiosius in majori Opere persecuturus. Favent omnes boni Juriumque patriæ amantes diligentissimi Autoris conatibus, opusque tam utile, tam expectatum, votis & subsidiis juvabunt.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE des Insectes &c.

h. e.

COMMENTARII, AD HISTORIAM INSectorum illustrandam compositi, Autore DE REAUMUR, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio. Tomus primus, de Erucis & Papilionibus.

Parisiis, ex Typographia Regia, 1734, 4 maj.
Alph. 3 plag. 13, cum Tabb. æn. 50.

Magno animo, majorique successu, Historiam Insectorum condere aggressus est, post quosdam non ultimi nominis Viros, qui in hoc labore desudarunt, *Swammerdammium*, *Goedartum*, *Listerum*, *Redi*, *Valisnerium*, *Malpighium*, *Derhamum*, *Albinum*, aliosque, fulgidum Academiæ Regiæ Parisiensis sidus, Cl. *de Reaumur*, cujus, quæ in Actis Academiæ illius de hoc argumento aliisque quamplurimis, ad historiam naturalem spe-

ſpectantibus, habentur, Opuſcula jam cupidos fecerunt Lectores aliorum conatuum, quibus ille ordines animalium minutulorum illuſtraturus erat. Prodiit denique Erucarum & Papilionum theatrum, quo jucundiſſima, quibus illæ in hos transformantur, ſpectacula exhiberi cœperunt. Amplior viſa fuit materia, quam quæ unico Opere exhauriri poſſet; quo factum, ut proditurum *alterum* iſtius Hiſtoriæ *Tomum* exſpectent omnes, quandoquidem prima molimina ex voto omnino ceſſerunt. Prima meditatio generaliores de Inſectorum hiſtoria cogitationes exponit. Conceptuum & idearum varietas ipſa herbarum multitudine abundantior eſſe declaratur in hac hiſtoriæ naturalis parte. Sterilem eſſe de Inſectis commentationem, negatur, quandoquidem de mechanico, ad bonum publicum redundante, inſectorum uſu inter omnes conſtet. Cochenillæ æque ac Kermes celebrata tinctura docet, opuntiæ ilicisque cocciglandiferæ gallas, nidos ſcilicet iſtos, quibus animalcula inſecta quæpiam formantur, non ultimi momenti eſſe. Uſus quorundam inſectorum medicus, Cantharidum, millepedum, ſanguiſugarum, extra dubium poſitus eſt. Curculiones, quibus frumenta depaſcuntur, Teredines marinæ, navibus infenſæ, quo abigantur, ſui conſiderationem poſtulant. Vivendi exempla deſumuntur ab aranea, cujus æque ac formicæ aut apis induſtriam prædicamus, ſuntque ex plebe, qui Mantem, Locuſtæ ſpeciem, precantis ſupplicem figuram ſuo modo imitantem, cum admiratione intueantur, nihilque fuit hactenus ex omnibus ad rem naturalem facientibus, quibus vel magis ob admirandorum frequentiam delectetur, vel ad Numinis cognitionem efficacius inſtigetur vulgus, quam minimorum conſideratio, quorum tamen mechaniſmus, induſtria, & finis, in plurimis nos latet, paucioribus exiſtentibus, quæ aliquam ſui hariolationem faciant, qua factum fuit haud ſemel, ut pro veritatibus opiniones imprudentius obtrudantur. Exemplo ſint Cel. *Maraldi* tradita de tribus ſaltem in republica apum reginis, de ſingulari grillotalpæ ova ſua recondendi induſtria, & ſic porro. Quo motus Cl. Autor, perlectis & ſtudioſe evolutis, qui jam aliquam tenebris iſtis lucem accenderant,

quæ admiranda maxime omnium eſt contingentium in minutis Inſectis phænomenorum, transmutationem ſibi exponendam, novisque a ſe ipſo factis experimentis illuſtrandam, ſuſcepit. Habuit equidem Cl. *Swammerdamium*, qui inter omnes de hoc negotio efficaciſſime commentatus eſt, faces præferentem, verum, ſicut, parum ſufficere iſtam methodum, omni modeſtia demonſtraverat, ita, meliora ſcribendi occaſionem ſe ab ipſo accepiſſe, haud obſcure fatetur. Recenſetur Celeberrimi iſtius Viri inſecta in ordines redigendi ratio, qua factum, ut alia ſint ſibi conſtantia, nullamque transformationem paſſa, quæ denuo in ovipara & vivipara ſubdividuntur, alia, quæ transformantur, ſuamque, quam ex ovulo habuerant, ſpeciem non ſervant. Primo ordini accenſeri Pulicem, merito taxat, utpote quem *Leuwenhœckius* & *Valiſnerius* inter illa recenſuerunt cum ratione, quæ priſtinam formam exuunt. Transformationis legi obnoxia ſunt reliqua; leviori ſcilicet, quæ ex Scarabæorum aut Muſcarum ſunt genere, notabili mutatione Papiliones, a priſtino ſtatu declinant. Nomina etiam diverſa ſunt, quæ his vel illis mutationibus inſectorum imponuntur. Nymphas vocat involucra & cruſtas inſectorum, quæ, pedibus primum formatis, alas ex metamorphoſi indipiſcantur, prout Veſpæ, Fuci, Muſcæ, quibus ſynonymum quandoque eſt Aurelia, verum Chryſalides ſunt Calyptræ, intra quas, pedibus prorſus latentibus, ex reptili volaticum fit inſectum. Hos terminos ex claſſicæ autoritatis viris retinuit Noſter, ſuam eorundem placitis methodum ſuperſtruens. Poſtquam enim præmonuit, æquivocam eſſe transformationis, quæ de inſectis prædicatur, notionem, quandoquidem papilio non novum ſit productum, ſed creatura, ſub Erucæ habitu latens, quæ, evolutis reptilem formam præ ſe ferentibus ſpoliis, ſub volatica demum forma appareat, ſuam mentem proponit. Ordines ſcilicet ex ſenſualibus, formam externam definientibus, characteribus depromit, illam puta formam, quæ naſcendi originem, vitæ progreſſum & terminum, qui transformatio eſt, inſimul definiat. Mirari convenit, quanto animo Cel. Autor hunc ſpatioſum creatorum campum, ipſis herbarum arvis ſpatioſiorem,

rem, ingressus sit. Labori aliquod levamen dedit jucundissimum, familias insectorum intra domicilia arte facta concludendi, institutum, quo in compendio transformationum spectacula habentur, palatium omnibus Regum vivariis, quibus feroces bestiæ concluduntur, præferendum. De Insectis perfectam mutationem habentibus incipit oratio, Erucas puta, quæ papilionem paulo post futurum visceribus suis gerant, vel papilio sint, epidermide, hoc vel illo modo conformata, instructus. Tria sunt, quæ hoc potissimum *Tomo* sibi agenda præfixit; Erucarum ordo, Chrysalidum, quæ sunt Erucæ in Papilionem transituræ, dum mutatio fit, mechanismus & series, papilionum denique, quæ sic exuviis depositis emergunt, familiæ. De Erucis hæc habentur. Erucæ sunt Insectum ex ovis Papilionum natum, definito ætatis decursu intra Chrysalidem absconditum connata industria corporibus vegetabilibus aliisve appensum, & diversis stationibus in papilionem degenerans. Differentiæ aliæ desumuntur a duratione. Habentur enim, quæ per æstatem tantum vitæ curriculum ab ovo ad papilionem ducunt, habentur, quæ autumno ex ovo prorepentes, per hyemem byssino vivunt involucro, donec ineunte vere metamorphoseos negotium suscipiant, quam in gratiam, quo frigoris injuriam minus paterentur, subterraneis vel aliis reconditis intra truncos arborum similibusque locis absconduntur. Alia a corporis superficie desumitur differentia. Sunt enim toto corpore squammosæ, sunt membranaceæ, hispidæ sunt aliæ, aut spinosæ, aut pilis præditæ, aliæ glabra pelle investiuntur, modo uniformi, modo versipelli, macularumque coloribus luxuriante. Industriæ Cel. Autoris debentur instructi ex numero pedum, quibus Erucæ incedunt, ordines. Commune id omnes Erucæ habent inter se, quod tribus primoribus annulis, quibus corpuscula, modo pluribus, modo paucioribus, abundant, tres utrinque habeant annexos pedes; verum id peculiare habent familiæ Erucarum, quod aliis squammosi sint tres isti utrinque priores pedes, aliis glabri. Maxima intercedit diversitas numero pedum membranaceorum, quorum alii ultimum quandoque articulum, alii intermedios, occupant,

qui

qui a duobus ad ſedecim numerantur. Ex iſta numerandi pedes ſolertia ſeptem Erucarum claſſes enaſcuntur. Natalis Erucarum locus nón levem iisdem inter ſe diverſitatem conciliat. Habiturus ſcilicet es, quæ Braſſicam, Eſulam, Urticam, Biſtortam, Oleandrum, Ornum, Fœniculum, pro patria agnoſcunt, intactis relictis reliquis plantis omnibus, id quod tamen non conſtantis obſervationis eſt in quibusdam. Omnium vero anatomica declaratio, partiumque in iisdem uſus, qui ſolertia inſigni exponitur, perinde eſt. Caput externe ſquammis horret, pedibus incedunt loricatis tribus utrinque anterioribus, imo & ultimis, intermediis membranaceis, omnibus tamen quaſi ocreatis; nam cruſtam hancce pedum exteriorem ex ſubſtantia corporis non eſſe, pedesque ex hac theca foras trahi, metamorphoſis docet. Furcæ pedes terminant, quibus ſui ſunt articuli, plurimi ſine dubio, cum eosdem abſcondere, retrahere mire, flectere, incurvare, poſſint. Organa maſticationis validiſſima exiſtunt, effectu id clarum efficiente, maxime in illis, quæ quercuum integra nemora depaſcunt, foliisque nuda efficiunt, aliter tamen longe comparata, maxillam inferiorem aliquam, aliquam ſuperiorem, non appellaveris, ſed laterales potius, dextram aliquam, aliquam ſiniſtram, utramque validiſſimo dente armatam, quo in proportione corporis majores Elephas aut Hippopotamus non habet. Labium tamen aliquod ſuperius eſt, aliud inferius, quo cibos arripiunt, inferiore hoc peculiare obtinente, quod inſtrumentum, quo fila nent & ducunt, tuberculare obtineat, ſicut fila ducendi neceſſitas, antequam Chryſalides fiunt, plurimis eſt, imo omnibus, quamvis non omnes ſub tegmine byſſino mutentur. Sed in capite lucida puncta micant, oculorum officio fungentia. Dorſum ad longitudinem octodecim ornatur ſtigmatibus, utrinque novem; duodecim ſcilicet ſunt annuli, quibus corpus conſtruitur, excepto primo, ſecundo, & ultimo, hoc peculiari induſtria conſtructa organa obtinent, quibus trachearum & ſpiracularum inſtar utuntur beſtiolæ. Magna ſane eſt de reſpiratione Erucarum controverſia, an per prædicta dorſi ſpiracula attrahant emittantque ſimul ſpiritum, an diverſo a priori loco exſpirent. Ultimam

mam ſententiam amplectitur Cl. Autor, arbitraturque, non thoracicis tantum, quæ ori ſubſunt, ſpiraculis, ſed toto corpore, exhalare easdem, quandoquidem aquæ ſubmerſa Eruca bullulas aereas paſſim ex cute emittat. Curioſum etiam eſt, aeris penuriam patientius ferre inſectum hocce, quandoquidem tribus ſub campana horis exantlato aere ſubſtitiſſe ſalvum prædicatur. Cor, quale reliquis animantibus eſt, auriculis ventriculisve inſtructum, nullum habetur; eſt tamen machina cordi analoga, ſyſtolen & diaſtolen exercens, totam ventris longitudinem occupans, concatenatam corculorum ſeriem ſecundum *Malpighium* præ ſe ferens, cujus motum ſecto per medium animalculo obſervare licet. Integra eſt iſthæc etiam in papilione machina, ſed contrarium motum ſervans; nam curioſum eſt, Erucæ humores ab inferioribus ad ſuperiora, Papilionum vero a ſuperioribus ad inferiora, dirigi. Fibrarum circularium faſciculi, per ſegmenta diſpoſiti, motum reptilem conciliant. Difficile ſane dictu eſt, quandoquem papilio eſt Erucæ interaneum, an exceſſiſſe Eruca, quando velum reptile depoſuit, dici debeat, ut juvenis ſit animal papilio, an vero in ſenii limite conſtitutus. Mirabilis iſta res eſt: pluribus Erucæ vicibus, quaſi metamorphoſi ſuæ præludentes, ſpolia exuunt, quatuor id per vitam vicibus peragunt ſetoſæ, & exuvias iſtas Erucarum ſimulacra eſſe deprehendimus; ægrotare diceres, quando periodus iſta appropinquat, flacceſcunt, quietæ permanent, quale quid & reliqua animalia, cutim vel pilos mutantia, experiuntur, auctioresque forma & natura paulo poſt apparent. Ultima exuviarum depoſitio ea eſt, quæ chryſalidem immediate prægreditur, de quo magno opere priusquam dicere ſuſcipiat Cl. Autor, Papilionem Erucæ ad latus ponit, de metamorphoſi paulo poſt acturus. Papilio eſt Eruca ipſa, alis antea ſub tegmine quopiam latentibus, nunc metamorphoſi explicatis, volatica facta. Quamvis autem & Muſcæ, Scarabæi, Ephemeræ, Libellæ, aliaque, ex reptili inſecto fiant; nihilo minus ea eſt naturæ æterna lex, ne ex Eruca quidpiam præter Papilionem enaſci poſſit. Genericus iſtius Inſecti character eſt, quatuor habere alas farinaceas, cum reliquorum quadripennium alæ pel-

 lucidæ

lucidæ ſint & membranaceæ. Farina iſthæc microſcopiis armato oculo egregium plumularum ſquamularumque luſum exhibet; eſt quæpiam, qua thoraci junguntur alæ iſthæc, articulatio, cui etiam ſex, tres ſcilicet utrinque, pedes ſubſunt, quamvis non omnes ſex pedibus incedant; eſt ſcilicet papilionum ſpecies, quæ quatuor ſaltem primoribus, cum ſex habeat, incedit. Tria in trunco papilionis conſideranda veniunt, caput, thorax, venter. In capite conſideratu digna ſunt organa, oculi, antennæ, proboſcides. Oculi equidem videntur utrinque unus eſſe, ſed pro corporis magnitudine maximus mirisque coloribus ludens. Non una eſt iſthæc ſimplex viſa cornea, ſed plurimis areis diſtincta, quarum ſingula eſt planum ellipticum politum. Cl. *Purget* calculum iſtorum punctorum cryſtallinorum in ſingulo papilionis oculo duxit, deprehenditque, triginta quatuor millia ſexcenta & quinquaginta reperiri. Priſmatis inſtar iridem effingunt ocelli iſti, inque eorundem ſuperficie objecta infinitis, prout in vitro polyedro, modis multiplicantur, ex homine exercitus fiunt. Poſſibilitatem illius rei curioſiſſime & perquam docte Cel. Autor ſtabilivit. Pili ſupra iſthanc multangularem enaſcuntur corneam, quibus, Argo oculatiores eſſe iſtas beſtiolas, declaratur. Antennæ, quibus caput præmunitur, articulis flexibilibus plus vel minus conſpicuis conſtruuntur, quarum uſum phyſicum in concilianda papilioni exſpiratione conſtare, ſuſpicatur Cl. Autor, quamvis nihil certi definiat. Luculentum ſane eſt iſtius rei experimentum, aer ex ſubmerſi papilionis antenna ſub forma bullularum prodiens. Interim magna iſtius organi in definiendis Papilionum claſſibus utilitas exſtitit. Primum genus continet Papiliones antennis globoſis, alterum antennis clavatis, tertium antennis clavam Herculis referentibus. Terminos Gallici idiomatis *maſſe* & *maſſue* commodius Latino ſermone efferre haud licuit. In quo ſi quid, prout & in aliis, præter mentem Autoris ſcriptum eſt, ignoſcendum id eſt nobis, quibus ad diſciplinarum culturam unica, maxime quod elocutionem partium in animalibus, plantis, aut notiones figurarum, attinet, placet Latinitas. Quartum Papilionum genus

nus antennis secundum diametrum crassioribus, quam latis, reliqua antennis, prismaticis, conicis, granulatis, definiuntur. Peculiare id habent Phalenæ, quod plumaceas obtinuerint antennas, quarum majores & elegantiores barbulam ad basin antennarum gerunt, quæ, si major sit, marem, si minor, fœminam, indicat; omnibus mobiles sunt antennæ isthæc, quotquot ex phalenarum classe sunt. Tertium capitis momentum est promuscis, modo in unum & dimidium, modo in plures circulos ducta, modo, prout in omnium maximis, quatuor exacte circulos explens. Usus promuscidum istarum equidem non unus esse videtur, maxime tamen notabilis ille existit, quem in suctione præstant, nam hic inversum quempiam ordinem videtur secuta fuisse natura. Cum papilio sit Eruca senex, sugit, id quod infantis est; Eruca vix ovo papilionis egressa manducat, rodit, depascit, id quod provectioris ætatis est. Extrahunt sane Papiliones evoluta & immissa calycibus florum promuscide vegetabilem dulcemque circa pistillum aquam. Quandoquidem vero duplex vas in singula Papilionis proboscide observatur, ita, ut fissus per medium & bipartitus haud absone appareat, alterius canalis usus esse potest inspiratio aeris. Manuum fere officio funguntur isthæc organa, siquidem mire volvere moles his ipsis possunt. Et hoc scilicet organum cum alarum & antennarum consideratione classificationi haud parum inservit. Neque vero præceps ex Eruca in papilionem ruit opifex naturæ, utpote quæ saltus omnis impatiens sit, sed medius quispiam est inter Erucam & Papilionem status, nec unum, nec alterum, visus. Chrysalis est corpus animatum ex Erucæ, postquam illa exuvias fecit, interaneis emergens, motum localem nullum, intestinum tamen parte sui postica manifestum, exercens, itidemque respirans, sed sine alimento perdurans, cujus actionis nulla habentur organa, corporibus peregrinis adhærens filo vel vinculo, vel in domicilio byssino, quod Eruca ante mutationem neverat, delitescens, ad perfectæ mutationis in papilionem statutum terminum. Superficierum in Chrysalide non levis est diversitas; dantur gibbæ, glabræ, asperæ, angulares, rotundæ, quas fabas a figura appellant. Aliæ sunt, quæ diurnos, aliæ, quæ noctur-

nos, papiliones pariunt, habenturque, quibus cognofci poffit futuri fœtus diverfitas, manifefta figna. Latet fub velo Chryfalidis effictus omni fui parte, mire ad leges animalium in ovo nafcentium convolutus, & aquis etiam circumdatus, papilio, ovo haud diffimilis, adeoque eft Chryfalis, vel fecundinis fœtum includentibus; interim novum non eft productum papilio, fed vera Eruca. Experimentum fecit Cl. Autor; abfciffi Erucarum pedes, & in papilione præfciffi fuerunt, quos adeoque conftat partem fuiffe Erucæ & Papilionis communem, cum aliæ vel Erucæ, vel papilioni, propriæ habeantur. Mirum fane videtur omnibus, qui fiat, ut fine nutritione fubfiftere poffit Chryfalis, qua fiat, ut papilio Eruca grandior progignatur ex emaciato per famem fedecim pluriumve dierum corpore. Tres grani unius quartas ponderi Chryfalidis, ex quo formata fuit, donec erumperet papilio, deceffiffe deprehendit Autor, nec plus. Admiratione digniffima res eft, Erucarum, qua fefe ad mutationem difponunt, induftria, quam ingenio proximam, magnoque magiftro edoctam, quilibet intelligit. Quædam ferica corporibus fuis fila conglomerata obvolvunt, eademque vel fpiffa, vel rara, vel fincera, vel terræ remixta, integro globo vel fegmentum terræ fufcipiente. Supra terram byffina fibi quædam conftruunt domicilia, effodiunt hanc, ibidemque lares conftruunt aliæ. Hæ omnes, quæ fila glomerata ducunt, fetofæ funt, capillatæ, hifpidæque, quamvis ex lævibus quæpiam hanc fequantur legem. Læves Erucæ pleræque, breviori methodo ufæ, antequam chryfalides fiant, remoto a planta fupra, quam vixerant, loco, rarius in ipfa fefe, contorto pofticis pedum uncis filorum monticulo, præcipites dant, & prono pendent capite. Magnus ille eft labor, nec uno ictu tela, quæ corpufculi pondus fuftinere poffit, perficitur; magnus eorum eft numerus, qui horizontalem, dum in Chryfalides mutantur, fitum fervant, eundemque per omnia fimilem vix habent, prono aliæ magis, aliæ in fublime elato vertice ultimum diem exfpectant. Quæcunque horizontaliter collocantur in ftirpibus arborum aliisve paffim locis, fitum huncce fuum obfirmant ducto fibi ipfi & probe obligato circa corpus

fericeo

ſericeo vinculo. Præſens ſtupendi iſtius operis ſpectator & admirator fuit Cel. Autor. Præſagium fati imminentis habent Erucæ; abſtinent a cibo, languent, immotæ jacent, ut mortuas exiſtimes. Salutaris futuro papilioni morbus iſte eſt; nam veroſimile eſt, eo tempore inverti humorum circulum, quem dixerat Autor alio in papilionibus, quam in Erucis, circuitu progredi; paulo poſt, quam hæc facta ſunt, novas recuperat vires Eruca, paulo poſt nulla futura, movetur, ſeſe intorquet, gyros agit, omnibusque viribus tentat, quo rumpatur, prout, cum exuvias poneret, per vitam ſæpius fecerat, cutis; ecce prodigium, crederes, novellam futuram erucam, quæ eluctatur; diverſa eſt tota facie beſtiola, Chryſalis, quæ paulo poſt ſic volumine aucta apparet, ut negares, intra Erucæ cutem delituiſſe, quam, niſi acutus ſis & induſtrius ſpectator, incaſſum, ventis forte abactam, quæres. Obſervavit tamen Cel. Autor, & obſervaſſe quidem in Erucis, quæ ſericum nent, non magni laboris eſt, nam intra glomerem mutatio iſta peragitur, verum non mediocris fuit felicitas, Erucæ evaneſcentis cutim prope monticulum ſericeum animadvertiſſe in illis, quæ pendulæ ſunt. Eodem, quo Eruca pependerat, loco, ex eadem tela arachnoidea, quam Eruca ſtruxerat, Chryſalis pendet, carcere ſuo progreſſa toto corpore madet, intenſe ſudat, & aeris ſaltem beneficio cruſtaceam iſtam, qua gaudet, duritiem indipiſcitur, viginti quatuor horis, dum hæc ſic fiunt, effluentibus. Utque conſtet, chryſalidem hancce Erucam ſub alio volumine & figura eſſe, ſtigmata ſuperſunt ſeu ſpiracula eadem totidemque, prout in Eruca fuerunt octodecim numero, ſed habitu diverſa, nam cœca ſunt foramina, exceptis primoribus, quæ cum thoracicis papilionum ſpiraculis poſtea communicant. Reſpirant bronchiis ſuis Chryſalides; nam ſuffocari poſſunt, nam bullulas ſubmerſæ emittunt, inde & ventrem motitant durius habitæ, libebitque in iisdem, paulo ante Eruca egreſſis, tenerrimis, madidis, & pellucidis, humorum circulum obſervare. Peculiaris omnino eſt Chryſalidum, quæ in glomere bombycino fiunt, vivendi ratio. Equidem omnes Erucæ fila nent, gregariæ ſcilicet aliæ, quæ nidos in vivendi commoditatem aranearum

inſtar ex tela ſtruunt, vel ad migrationes filo ſericeo utuntur quando deſcendunt, ventiſque in vicinum arborem abigi optant, aliæ ſolitariæ, quæ unica vice in mutationis confinio opus peragunt. Verum ſingularis quispiam eſt Bombycis labor, quando ſibi totique generi humano pretioſa & utilia fila ducere ſuſcipit. Non bombyces tantum, ſed omnes Erucæ ſetoſæ, id peragunt, ſuntque ex illis, quorum glomi filo rudiori quandoque, quam ut ad opus artificum & textorum deſtinari poſſint, quandoque etiam ob ſubtilitatem inepto, conſtantes, poſſent arte corrigi, &, prout Illuſtris Montispeſſulanus Præſes *de Bon* in aranearum filo demonſtravit, domeſtici & familiares reddi. Perutilem ſine dubio præſtituræ eſſent operam pleræque erucarum, niſi ſericeo operi folia Lichenis, prout Lichenea & Bismalvæ Eruca aliæque quamplures faciunt, intertexerent, niſi terreis granulis laborem ceteroquin elegantem conſpurcarent. Eluctatur denique ex Chryſalide papilio, non ſimili apud omnes temporis, ex quo mutatio ſuſcepta fuit, intervallo. Decem quandoque, quindecim, vel viginti, dierum, aliquando pluribus menſibus, haud raro integri unius anni fere ſpatio, donec hæc omnia fiant, opus eſt. Mira eſt Papilionis, chryſalide ſua exeuntis, conditio. Toto corpore madet, corrugatas habet alas, breviores viſas, ſed quæ paulo poſt in convenientem formam expanduntur, & ab aere exſiccatæ, prout decet, indurantur. Rumpitur in thoracis ſui dorſo, qua parte longitudinalis linea ducta hunc in finem eſt, Chryſalis, & majori omnino conatu natales celebrant, quæ glomere ſericeo includuntur, utpote quibus duplex repagulorum ſeries, duplex murus, effringendus ſit, cum ſua ſponte abſcedant illarum, quæ nudæ pendent, cruſtæ, ſolo papilionis incremento id efficiente, ne integræ permanere diutius illæ poſſint. Singulare eſt, immediate poſt exitum exonerari alvum recens nato papilioni, prout Eruca, antequam mutationis ſuæ initium faceret, id ipſum redditis copioſioribus excrementis fecerat, curioſius longe, ſanguineas iſtas eſſe feces, quo factum, ut pluvia ſanguinea cœlitus delapſa infelici omine crederetur in Provincia Galliæ circa Aquas Sextias A. 1608, cum papilionum forte

major

major proventus esset, prout istius rei in vita *Peirescii Gassendus* memoriam condidit. Papilio recens natus, quamvis, si Erucam in Papilione superstitem spectes, juvenis aut vir sit, respirat, comedit, se suamque speciem generando, & ovula ponendo, conservat. Mirari sane convenit, an majori animo agendum susceperit, an majori successu ad finem perduxerit, parvi animalculi amplissimam historiam, Parisiensium decus, *Reaumurius*.

DISQUISITIO MEDICA ET PHILOLOGICA de Variolis & Anthracibus, ubi de utriusque affectus antiquitatibus, signis, differentiis, medelis, disserit PAUL. GOTTLIEB WERLHOFF, D. Medicus in Aula Hanoverana Regius. Accedit RUDOLPHI AUGUSTI BEHRENS, D. Dissertatio ad Autorem Epistolica de affectionibus a comestis mytulis.

Hanoveræ, sumtibus Hæredum Nicolai Færsteri & Filii, 1735, 4.
Plag. 21.

Quid Cl. *Hahnio* de variolarum antiquitatibus videatur, & quibus argumentis eas non ab Arabicis demum, sed Græcis jam Latinisque, scriptoribus anthracum & carbunculorum nomine descriptas fuisse propugnet, superiori *Anno* in his Annalibus nostris *pag. 206* retulimus. Æquum igitur est, ut, cum Medicus quidam elegantissime doctus, qui cum amplissima omnis generis doctrina, copiosissima lectione, admirabili judicii acumine, & ingenii venustate, parem ubique modestiam conjungit, eoque nomine sæpius jam a nobis laudatus fuit, sententiam illam examinandam confutandamque susceperit, de hujus quoque rationibus in contrarium allatis strictim breviterque agamus. Summa illorum, quæ disputat, eo redit. Variolæ

riolæ morbum plane singularem, suisque singularibus characteribus, quorum præcipui percensentur, facile distinguendum, constituunt. Atque proinde accuratam, & ab aliis distinctam, sibique cohærentem, morbi historiam literarum monumentis consignaturi, & præcipuos characteres perspicue & diligenter expressuri fuissent veteres illi accuratissimi alias morborum observatores & enarratores, si ejus aliquam habuissent notitiam. Id vero factum non esse, inter omnes constat. Ubi igitur isti characteres indicati non fuerunt, ibi commemoratio variorum exanthematum, pustularum, papularum, ulcerum, crustarum, tumorum, inflammationum, abscessuum, quamvis etiam quædam signa pluribus morbis atque etiam variolis communia simul enarrentur, certos nos de observata eadem lue reddere non posse videntur. Quamobrem perperam hinc variolæ eruuntur, cum omnes ii affectus vel ad morbos variolis affines, vel ad variolas spurias, pertineant, hodieque crebrius occurrere consueverint. Post commemoratas aliorum de variolarum origine opiniones, non incongruam Celeb. Autor putat esse conjecturam, illum affectum in alicujus nationis a commercio ceterarum gentium satis remotæ latebris, & fortasse apud Nigritarum interiorum aliquos, latentem, & velut absconditum, deinceps autem per contagium, & commercia frequentiora, ad reliquas nationes translatum, & magis magisque diffusum fuisse, maxime per Saracenos. Haud enim alia ratione, quam per contagium, propagatur, quod fomitem illum, qui in ipsa nativa humani corporis textura inest, illi inquinamento suscipiendo idoneum, sub statu præcipue epidemico favente, agitat & accendit. Fomes hic in parte quadam totius massæ sanguineæ crasin ingrediente, tenuissima & ὁμογένει, latitat; qualis autem proprie sit ille, explicari nequit. Quoniam Cl. *Hahnius* præcipue in loco quodam *Herodoti*, qui primi & secundi a Christo nato Seculi Medicus fuit, atque in anthracibus & carbunculis veterum scriptorum sententiæ suæ præsidium collocavit, reliquis autem argumentis parum inesse roboris credidit; Celeberrimus quoque *Werlhoffius* id sibi negotii datum esse existimavit, ut utramque rationem præ aliis

sub

ſub accuratiſſimum examen vocaret. Quod enim ad locum *Herodoti* attinet, contendit Cl. *Hahnius*, hiſtoriam & differentias variolarum ab hoc Autore ſub puſtularum in febribus nomine adeo graphice, ut vix a quoquam ante *Sydenhamium*, deſcriptas ſupereſſe. At enim vero non fuit forſan Viro Celeberrimo ad manus ipſe codex *Aetii*, apud quem, & nusquam alibi, exſtat *Herodoti* exanthematum ſive puſtularum in febribus curatio. Certe, ſi ea integra eo ordine, quo ſcripta eſt, perlegatur, prorſus planeque diverſam eſſe patebit ab iſtis, hinc inde extra contextum a Cl. *Hahnio* ſelectis, & ex tractatione de diverſis puſtulis, pro ſolarum variolarum hiſtoria conficienda contextis & interpolatis excerptionibus, ita eleganter diſpoſitis, ut verarum variolarum ſatis nitidam hiſtoriam complecti videantur. Quod ut eo certius cognoſcatur, eadem variolarum hiſtoria, & prout a Cl. *Hahnio* traditur, & prout in *Aetio* extat, a Cl. *Werlhoffio* repetita fuit. Sane *Aetius* generatim agit per ſingula capita de ſingulis febrium ſymptomatibus, atque eo quidem, quod in controverſiam venit, capite ex *Herodoto*, & ſua forte ſolum experientia, non ſingularem aliquem morbum puſtuloſum, ſed varia partim critica, partim, & præcipue quidem, ſymptomatica febrium intermittentium & continuarum, benignarum malignarumque, exanthemata, eorumque indicia & medelas, ſatis promiſcue pertractat. Pro veterum more ſecundum generalem diſtinctionem febrium ſimplicium, putridarum, malignarum, primo perſequitur accommoda ſingulis exanthemata, ut, de morbo quodam ſingulari, a communibus febrium ſpeciebus tam evidenter & facile a Medicis & vulgo diſtinguendo, nihil ipſi in mentem veniſſe, liqueat. Addit deinde ſpecies exanthematum febrilium duas, prius omiſſas, quarum plures alias addere potuiſſet. Quanquam vero, variolas inter morbos febriles, de quorum ſymptomatibus *Aetius* hic agit, quærendas eſſe merito, concedatur; attamen certe pro morbo ſui generis eas habere convenit, quamlibet ad febrium claſſem ſpectante, non pro febris promiſcue ſymptomate, de quo *Aetius* ex *Herodoto* ſermocinatur. Vocabula

bula illa vaga, quibus quidam ex veteribus exanthematum genera appellant, ad variolas frustra trahi, ipsemet fatetur Cl. *Habnius*. Ea vero non incerta tantum & infirma, sed ob id ipsum plane sunt inania, quia in tam singulari, tam memorando, morbo, ubi id non fieri non debuisset, nil certum ac proprium determinant, nil cohærens nectunt, ut, si ad variolas applicari deberent, quæ sparsim sub quocunque nomine dicta reperiuntur, ab his illisve antiquitatis amatoribus ad istas detorta, quadrata sæpe rotundis misceri, & morbi tamen singularissimi plena satis descriptio & historia non confectæ esse videantur.

Cap. III. Restat alterum argumentum itidem discutiendum. Ubi quidem in disquisitionem venit, num ille ipse morbus, quem nos variolas vocamus, Græcis Latinisque scriptoribus vocetur anthrax, vel carbunculus, sive anthraces & carbunculi, adeo, ut non alius sit Græcorum anthrax, quam nostræ variolæ, neque hæ sint aliæ, quam anthrax Græcorum? Id quidem inter omnes constat, esse quoddam morbi genus a variolis diversum, quod anthrax & carbunculus appellatur. Quo igitur nomine hoc a Scriptoribus Græcis & Latinis denotatur, & quorsum refertur? Quemadmodum Cl. *Habnii* sententiam ambiguam reddere videtur ipsa ejus restrictio, qua omnibus quidem variolis, sed maxime malignis, convenire anthracis nomen, & apud *Celsum* alio loco de his sub carbunculi denominatione, alio de benignis sub titulo pustularum, agi dicitur; ita anthrax, hic accuratissime ab eruditissimo *Werlhoffio* descriptus, natura, fiendi modo, magnitudine, situ, forma, typo, curatione, a variolis plane discrepat. Idcirco mirum foret, recentiores post ætatem Græcorum Romanorumque veterum scriptorum Autores novam isti vocabulo affinxisse ideam omnes, eamque tantopere diversam ab illa priscorum, a quibus nomen ipsum omnes, imo descriptionem plurimi, petierunt, & quos quotidie in manibus habent, & sat dilucidos reperiunt, & in eandem suam sine ulla ambiguitate allegant sententiam. Verum ad Arabum consensum provocat Cl. *Habnius*. Sed esto, hos veterum anthraces de variolis interpretatos esse. Ipsi erroribus

ribus fat multis in interpretatione & applicatione Græcæ Medicinæ obnoxii fuerunt. Forsan ex superstitione quadam sibi persuaserunt, Græcis nihil fuisse incognitum, adeoque nec hunc morbum. Fortasse populi illi indocti, iis, qui superant, scriptoribus antiquiores, novum variolarum morbum ob symptomata quædam speciemque confuderunt cum veteri illo carbunculo. Fortasse, quamvis re vera diversos nossent hos morbos esse, miscuerunt tamen consulto nomina, & propter aliquam affinitatem vulgatarum apud se variolarum nomine Græcorum anthraces itidem insigniverunt, ut vel nostris temporibus variis in morbis fieri solet. Sed fortasse etiam Arabum Interpretes aberrarunt, nec ipsorum vocabula recte reddiderunt. Atque ita omnino est, docetque Arabici textus lectio, prioribus conjecturis plane non opus esse. Fontes itaque adiit literatissimus *Werlhoffius*, ex quibus nomina exanthematum generatim, & variolarum atque anthracum, Arabica longo ordine percenset, & ipsis Autorum locis probat, atque hinc interpretum errores detegit. Scilicet Arabes, quamvis pustulas tumoresque variolosos & carbunculosos satis diversos reputarint, eosdem tamen sæpenumero uno eodemque generali tumorum & pustularum nomine *bathr* extulerunt, aut, ubi carbunculi veri *giamrab* & *atschac* Persarum intelliguntur, vocabulum adhibuerunt *bhumrab*, quod omnibus exanthematibus inflammatis & malignis, variolis etiam & rubeolis, datum olim esse videtur; &, quando variolæ sive pustulæ morbi *giadari*, seu *giodari bhumak*, dicendæ erant, commune illud nomen *bhumrab* usurparunt. Ita vero his aliisque vocabulis usi generalioribus ὁμωνυμίᾳ aut affinitate facile perturbarunt interpretes. Itaque adeo satis manifestum est, nullum ex permistione illa pro vera apud Arabes συνωνυμίᾳ, convenientia plena, & ταυτότητι utriusque affectus, deducendum esse argumentum. Certum vero jam præterea est, distinctis locis, distinctisque cum nominibus, signis, medelis, in accurata morborum tractatione de *giodari*, sive variolis, & de *giamrab*, sive anthrace vero, pruna, carbunculo, & Persarum *atschac*, sive

igne, egisse Arabicæ Medicinæ principes, nequaquam vero a *Constantino* Africano primum illam distinctionem inter anthracem & variolas in Medicinam fuisse introductam. Idque cum ex aliis Autoribus probat Cl. Autor, tum maxime ex *Avicenna*, cujus & descriptiones anthracum & variolarum, maxime inter se diversas, integras recitat, & simul ad locos quosdam, qui contrarii videntur, respondet. Provocat Cl. *Hahnius* ad curationem variolarum ab Arabibus traditam, quæ plane conveniat cum ea medendi methodo, quam Græci carbunculis accommodarunt. At vero non ita se res habet, sed

Cap. IV. utraque methodus longissime discrepat. Præterea anthraces quoque & carbunculi Græcorum Latinorumque, secus ac Cl. *Hahnius* putat, a variolis longissime abeunt. Præcipue ex *Galeni* loco quodam is sententiam suam corroborare elaborat. At vero locus ille alia omnia probat, cum *Galeni* anthraces a variolis tumore & eschara, effervescentia, pustulis, ulceribus, inflammatione, febris majoris necessitate, distinguantur, nec anthraces cum unica, pluribus, nulla pustula, malignitate discrepent, nec proinde ad variolas distinctas, confluentes, malignissimas, quadrare queant. Quin potius *Galenus* in doctrina de anthrace cum recentioribus consentit. Idque de Græcis etiam & Romanis *Galeno* antiquioribus posterioribusque valet. Cum vero *Galeni* & *Plinii* descriptiones cum Græcis haud plane convenire videantur; sigillatim ad extremum de iis, itemque singularibus oculorum & faucium carbunculis, a quibusdam veterum commemoratis, agit, & denique *Hippocratis* ipsius de anthrace doctrinam examinat, ut differentia a variolis in omnibus patescat. Atque hæc fuerunt, quibus ad doctissimi *Hahnii* argumenta respondendum putavit doctissimus itidem *Werlhoffius*, maxima tamen & exempli causa commendanda modestia, cum ubique Adversarii sui ingenium, & doctrinam variam, & merita amplissima, sicut par erat, veneretur. Quoniam vero simul metuit, ut quibuslibet lectoribus controversiæ hujus tractatio ad palatum esset, (quod iis profecto non eventurum esse certe intelligimus, qui antiquitates & historiam litera-

terariam Medicinæ amant,) ipſorum tædio ut occurreret, admiſcuit varias de variolis & anthracibus, aliisque affinibus morbis, obſervationes theoreticas pariter atque practicas, atque alias etiam pro occaſione nata annotationes medicas, philologicas, atque literarias, quæ haud dubie omnibus plurimum & emolumenti & voluptatis afferent. Inprimis multum ſe his delectatum teſtatur in Diſſertatione Epiſtolari ſubjuncta Cl. *Behrens*, qui librum hunc ab Autore ſibi amiciſſimo, antequam typis exſcriberetur, transmiſſum, perlegit, hacque occaſione præſentem Epiſtolam exaravit, qua Amico ſuo tam doctum Opus merito gratulatur, variasque obſervationes expromit, maxime autem de affectionibus a comeſtis mytulis agit. Silent plures ex Medicis de mytulorum noxis, pauci eas enarrant quidem, ſed non tam venenoſæ illorum indoli, quam copioſo uſui, adſcribunt. Quamobrem, quoniam ipſemet Cl. *Behrens* ejusmodi noxas in ſuo corpore expertus eſt, eas copioſe luculenterque enarrat, & a ſubtili, acri præſertim, & mobili veneno, quod pauciſſimis tamen mytulis ineſt, & forſan morbo cuidam, ut ſcabioſo, vel verminoſo, vel cibo illorum noxio, in inteſtinis adhuc reſiduo, debeatur, deducit.

EUCLIDES AB OMNI NÆVO VINDICAtus: ſive Conatus Geometricus, quo ſtabiliuntur prima ipſa univerſæ Geometriæ principia; Autore HIERONYMO SACCHERIO, Societatis Jeſu, in Ticinenſi Univerſitate Matheſeos Profeſſore, &c.

Mediolani, ſumtibus Pauli Antonii Montani, 1733, 4.
Plag. 20, Tabb. æn. 6.

Non vanum eſſe eorum conſilium, qui, methodi Geometricæ rigorem ſcrupuloſe tuendum eſſe, contendunt, ſagaciſſimis, noſtri etiam temporis, Geometris indubium habetur. Non Geometriæ modo dignitas, ac propria ipſi

pulchritudo, hoc postulat, ut persuadere aliis vellent, qui limina scientiæ hujus magis ingressi sunt, quam in recondita ejus adyta penetrarunt; sed actum profecto de usu ejus in omnibus scientiis atque artibus esset, si quid incerti aut non satis demonstrati limites ejus ingredi Geometræ paterentur. Recte peritissimos architectos Geometræ imitantur, qui, ne aliqua rima fundamenta operum suorum fatiscant, sollicite cavent, quam imperiti facile negligerent, operosam artificis in re nullius momenti curam accusantes. Sed laudanda profecto est illorum solertia, qui nihil incerti in illa scientia relinqui volunt, cui artes omnes ac scientiæ sunt inædificandæ, &, cum inter omnes constet, *Euclidis* systema, facto rerum, quæ levissimæ videntur, accurato examine, eruditis per orbem fere universum probatum esse, laudem omnino merentur, qui incertitudinis labem, quam nonnullis ejus propositionibus alii aspergere conati sunt, ipsis abstergunt. Non est igitur, quod ulli in tanta Geometriæ luce atque opulentia nostrorum temporum humi repere videatur Doctiss. Autor, quod hoc Opere *Euclidis* dignitatem vindicaturus, in primis Geometriæ elementis versetur. Peritis enim satis notum est, neminem arduis atque abstrusis veritatibus Matheseos, ut vocant, mixtæ eruendis magis parem esse, quam qui frequenti elementorum meditatione certum Geometriæ usum sibi comparavit. Ut taceamus, ex Neostatica, quam non ita multo ante Doctiss. Autor evulgavit, quæ ad nos quidem non pervenit, abunde intellexisse eruditos, quantum in Mathesi valeat; ipsumque omni laude nostra majorem atque acutissimum mathematicorum profectuum arbitrum, Ill. Marchionem *Hospitalium*, in Opere Gallico de sectionibus conicis *pag. 259* egregiam Viri peritiam debitis præconiis commendasse. Jam antiquissimis *Archimedis*, *Apollonii*, *Theodosii*, temporibus, eo in pretio *Euclidis* Elementa fuerunt, ut omnes mathematicas scientias promoturi, inventa sua illis, tanquam diu ante stabilitis, atque inconcussis, fundamentis superstruerent. Ipsa vero horum Elementorum autoritas alios, ingenii gloriam forte aucupantes, excitavit,

ut

ut quærerent curiose, an quid in Elementis hisce deprehendere possent, quod sagacissimus *Euclides* prætervidisset, alios dignitas horum Elementorum permovit, ne quid in eis inveniretur, quod tanquam dubium reprehendi posset. Neque adeo tanta hæc nominis celebritas vetare potuit, quin nonnulli ex antiquis pariter ac recentioribus Autoribus, iique magni Geometræ, nævos quosdam, in laudatis his Elementis a se deprehensos, accusaverint. In tres ejusmodi nævos Doctiss. Autor hoc Opere inquirere, atque *ἀγεωμετρησίας* labem *Euclidi* abstergere, instituit. Primus respicit definitionem parallelarum, imprimis axioma, quod est apud Clavium *XIII Lib. I*, ubi *Euclides* sic pronuntiat: Si in duas rectas lineas, in eodem plano existentes, recta incidens linea, duos ad easdem partes, internos angulos minores duobus rectis, cum eisdem efficiat, duæ illæ rectæ lineæ, ad eas partes in infinitum protractæ, inter se mutuo incident. Nemo sane est, qui de veritate propositionis hujus dubitet, sed illud *Euclidi* exprobrant, quod axiomatis nomen ipsi inscripserit, quasi ex solis rite perspectis terminis fidem sibi conciliaret. Non pauci itaque, retenta quidem *Euclidea* parallelarum definitione, demonstrationem ejus ex illis tantum propositionibus tentarunt, quæ vigesimam nonam Libri primi præcedunt, cum in sequentibus demum propositione hac controversa *Euclides* utatur. Sed, cum antiquorum temporum Geometræ suis hac in re conatibus scopum vix attigerint, factum est, ut multi recentiorum temporum Mathematici, vadum tentantes, necessariam judicaverint novam quandam parallelarum definitionem. Itaque, cum *Euclides* parallelas rectas lineas definiat, quæ in eodem plano existentes, si in utramque partem in infinitum producantur, nunquam inter se mutuo incidant, postremis definitionis verbis hæc alia substituunt: Semper inter se æquidistant; adeo, ut singulæ perpendiculares, ab uno quolibet unius illarum puncto demissæ, æquales inter se sint. Sed in diversas rursus abiere partes. Alii enim, iique acutiores, parallelas rectas lineas, ita definitas, ante demonstrare susceperunt, quam porro gradum facerent,

cerent, ad demonſtrandam ipſis *Euclidis* verbis propoſitionem controverſam, cui poſt vigeſimam nonam Libri primi, paucis exceptis, univerſa innititur Geometria. Alii, non ſine graviſſimo in methodi vigorem peccato, eas tales rectas lineas parallelas, nimirum æquidiſtantes, aſſumunt tanquam datas, ut ad reliqua demonſtranda inde progrediantur. Doctiſſ. Autor, ut ſuum Geometriæ decus, atque a multis annis ſtabilitam autoritatem *Euclidi*, aſſerat, antiquiores Geometras hoc Opere imitatur, nihil propterea ſollicitus de natura aut nomine illius lineæ, quæ omnibus ſuis punctis a ſuppoſita recta linea æquidiſtat. Sed in illud unice incumbit, ut controverſum *Euclidis* axioma absque omni petitione principii clare demonſtret, adeoque ad concinnandam demonſtrationem, nullam ex ipſis prioribus Libri primi *Euclidis* propoſitionibus arcerſſit, intactam relinquens non modo vigeſimam ſeptimam & octavam, ſed nec ipſas quidem decimam ſeptimam aut octavam advocans, niſi ubi clare agitur de triangulo ex omni parte definito. Ut luculentius conſtet, quantum ipſius demonſtratio ab aliorum in hoc argumento tentaminibus diſcedat, in ſcholiis nonnullis poſt Propoſ. XXI conatus *Procli*, accuſationes Cel. *Jo. Alph. Borelli* in *Euclide reſtituto*, atque remedia, quibus laboranti *Euclidi* ſuccurrere inſtituit, porro conatus *Naſſaradini*, Arabi, atque Cl. viri, *Jo. Walliſii*, indubia hac in re conſilia, uberius recenſet, excutit, atque partim confirmat, partim explodit. Sic vel tacentibus nobis ſatis apparet, qua induſtria Autor prima univerſa Geometriæ principia ſerio examini ſubjiciat, cum omnino ita inter ſe cohæreant, ut de ſingulis commentaturus, omnia ſimul complecti opus habeat. Reliqui duo nævi, *Euclidi* objecti, pro quibus deprecatur, reſpiciunt definitionem VI Libri V de æque proportionalibus, atque definitionem V Libri VI de rationum compoſitione. Cum vero Elementorum Geometriæ palmaria fere pulchritudo in nexu & ſimplicitate poſita ſit; nobis e re Lectoris fore non eſt viſum, ſi ex Opere hoc omnino erudito, atque tyronibus imprimis commendando, propoſitiones nonnullas, quæ ex longa demonſtrationum

num ſerie avocatæ, ſteriles videri poſſunt, excerptas exhiberemus.

FRIDERICI OTTONIS MENCKENII, J. U. D. Potentiſſ. Pol. Regi & Elect. Sax. a Conſiliis Aulæ, & Societ. Scient. Boruſſicæ Collegæ, Hiſtoria vitæ & in bonas literas meritorum Angeli Politiani, ortu Ambrogini, Italorum Sec. XV nobiliſſimi, Philoſophiæ, Jurisprudentiæ, Grammatices, & omnis doctrinæ elegantioris, inſtauratoris feliciſſimi, atque omni laude majoris.

Lipſiæ, in officina Gleditſchiana, 1736, 4 maj.
Alph. 3 plag. 21.

Cujus ampliſſimam, eandemque accuratiſſimam, deſcriptionem vitæ literariorumque meritorum *Hieronymi Fracaſtorii* A. 1731 accepit orbis eruditus, ejus nunc exhibemus pari induſtria parique diligentia elaboratam Vitam *Angeli Politiani*. Certe, quæ de vita ejus & operibus dici poſſunt, dicta hic videntur omnia. Habuimus quidem adhuc *Dan. Guil. Molleri, Petri Bælii*, & *Wern. Jac. Clauſii*, de *Politiano* lucubrationes: quorum ille A.1698 ſingularem Diſputationem Academicam, iſte ſingulare Caput in ſuo Dictionario Hiſtorico, hic A.1718 ſingularem libellum de *Politiano*, edidit. Verum vidit *Menckenius* noſter, quem nos in præcipuis laboris noſtri ſociis numeramus, *non ita, quæ de Politiano dici poterant, exhauſta eſſe ſingula, ut non afferri a ſe talia poſſint, quorum nulla prorſus ab illis facta fuerat mentio, non ita omnia emendate dicta & circumſpecte, non ita ſollicite aliorum ſcriptorum caſtigatos ab iis errores eſſe, ut non multa ſatis, quæ in clariorem poneret lucem, & fabularum purgaret ſordibus, ſua relicta fuerint induſtria.* Succeſſit autem ipſi hic labor propterea ex voto

omnium, quod ſingulari quadam felicitate nactus eſt adjutores optimos, qui, quicquid Italia cognitum habuit de *Politiano* cum eo communicarent perliberaliter. Inprimis laudat *Petrum Giannonium*, illuſtrem illum Neapolitanæ Hiſtoriæ ſcriptorem, dignum ſane meliori fato, quam quod nuper admodum, peſſimorum hominum improbitate, expertus dicitur, deinde *Joannem Acamporam*, inter Neapolitanos olim celebrem, *Bottarum*, Abbatem, Florentinæ ſcholæ inſigne ornamentum, & *Alexandrum Politum*, doctiſſimum *Euſtathii* editorem, omnes Italos doctiſſimos politiſſimosque, denique fratrem ſuum, *Carolum Ottonem*, apud Italos nuper peregrinantem, cujus nobili & maxime laudando ſtudio varia huic Operi ornamenta acceſſerunt, quorum vix aliunde haberi copia potuiſſet. Elogia *Politiani*, ab ingenti eruditorum choro edita, quæ ſubjuncta videmus Præfationi, manifeſtum faciunt, digniſſimum fuiſſe *Politianum*, de quo conſcriberetur volumen tantæ magnitudinis. Opus ipſum *duas* diviſum in *Partes* eſt, quarum *prior* exhibet largiſſimam de vita, fatis, doctrina, & moribus *Politiani* commemorationem, *poſterior* ejus ſcripta reddit ex omni parte cognita, nec Latina ſolum & Græca, verum etiam vernacula. Nos hinc excerpemus nonnulla ſingularia, & vel conſultiſſimis Hiſtoriæ literariæ futura cognitu tam jucunda, quam utilia. Communiter adhuc creditum eſt, *Baſſum* eſſe gentilitium nomen *Angeli* noſtri. Verum oſtendit Noſter *pag. 3 ſeq. Ambroginum* fuiſſe ipſi nomen familiæ, fontemque indicat, unde error ille emanarit. Hic in narrando accuratus eſt, ſolers in refutando, acutus in conjectando. Cum a Monte Politiano, vicino Florentiæ oppido, ubi natus erat, nomen gerat *Politianus, pag. 21 ſeq.* alii inde oriundi viri clari commemorantur: quos inter eminet *Bellarminus. Bernhardum* vero illum *de Monte Politiano*, qui *Henricum VII* Imperatorem venenata hoſtia ſuſtuliſſe perhibetur, merito omiſit, indignum quippe, cujus inter claros laudatosque viros injiceretur mentio. Præceptores *Politiani pag. 32* nominantur *Marſil. Ficinus, Jo. Argy-*

Argyropylus, *Andronicus Thessalonicensis*, & *Christoph. Landinus*, quorum institutione adeo profecit in literis *Politianus*, ut ipsa ejus pueritia ferax fuerit bonorum operum, quæ primum ei locum inter præcocissimi ingenii viros compararunt. Commemorari hic porro videas *pag. 75 seq.* claros *Politiani* discipulos: quorum fere præcipui sunt *Bernardus Riccius*, *Jac. Modestus*, *Franc. Puccius*, *Scipio Carteromachus*, *Guil. Grocinus*, *Thom. Linacer*, *Jo. Bapt. Egnatius*, *Varinus Phavorinus Camertes*, *Raph. Volaterranus*, *Petr. Crinitus*, *Dionys. Capnio*, & *Carol. Antenoreus*; quorum hic singulorum notitia sistitur haud perfunctoria. Sunt, qui etiam Papam *Leonem X* discipulis *Politiani* adscribunt socium; id quod ex vero fieri, Noster contra quosdam, qui id negarunt, *pag. 97 seq.* manifestissimum facit. Cum de publicis, quibus functus est *Politianus*, muneribus agit Noster, observat inprimis, quod observare alii neglexerant, fuisse eum Doctorem Decretorum, & ad eminentiorem, Episcopi forsan, dignitatem adspirasse. De felicitate *Politiani* in Græcis Latino sermone reddendis, & Latinis Græco, differitur *pag. 143 seq.* Ac præcipue de ejus versione *Herodiani* disputatur a *pag. 148* usque ad *160*, atque ita simul, ut injustos ejus censores censura vexet justissima. Inter summa *Politiani* decora fuit ipsius stilus. Itaque is accurato judicio subjicitur *pag. 178 — 225*, multorumque magnis laudibus annectuntur aliorum censuræ graviores, ac simul erudite expenduntur. *Pag. 226 - 250* ita Noster agit de critica Politiani peritia, ut satis appareat, ipsum acutissimis oculis omnes *Politiani* animadversiones criticas obiisse. Hinc *pag. 252 — 288* de ejus in Poesi profectibus accurate exponit ac distincte. Quid in Philosophia præstiterit, a *pag. 288* ad *296* exponit. Inprimis vero, cum præclara *Politiani* in Jurisprudentiam Romanam, atque præcipue in Pandectarum codicem Florentinum, merita fuerint, hæc ita a *pag. 296* ad *319* edisseruntur, ut vix addi his quidquam possit, nec parum emolumenti spondeat hæc tractatio iis omnibus, quibus in deliciis

 est

est Juris Romani historia. Amici *Politiani* nobilissimi quique *pag. 319 — 337*, obtrectatores vero (nam ne maximis quidem literatæ reipublicæ heroibus parcit invidia,) producuntur *pag. 338 — 407*, de eorumque judiciis limatissimum fertur judicium. Acerrimas inprimis cum *Georg. Merula*, *Barth. Scala*, *Mich. Marullo*, & *Jac. Sannazario*, simultates exercuit, quos jucundum est, ejurata humanitate omni, gladiatorio more pugnantes videre. Plagii literarii a variis accusatum *Angelum*, sat constat; sed ea culpa liberatur a Nostro *pag. 408 — 425*. Ut, ἄνευ παθῶν de *Politiano* scripsisse *Menckenium*, constet, *pag. 426 seq.* eum in modum defendit illum a crimine veneris masculæ, ut tamen concedat, eum veteranum fuisse in Veneris castris commilitonem. Ad impactum vero atheismi spretique sacri codicis crimen delatus, *pag. 429 — 448* acriter, &, si dicendum, quod res est, ex vero, defendit *Politianum*, investigans simul atrocis istius criminationis originem. Gratulamur eo nomine manibus *Politiani*, misere huc usque vexatis, sed jam erigentibus sese, & pristinæ integritati suæ felicissime restitutis. Virtutes *Politiani* variæ & singulares collaudantur *pag. 449 — 454*; sed notata simul in eo superstitio, & gloriæ studium præposterum, cum intolerabili ostentatione conjunctum. Quo anno & quo genere mortis exstinctus sit, non consentiunt scriptores; sed planum facit *pag. 464 — 482* Autor noster, fatalem ei fuisse annum 1494, mortemque contractam nimio mœrore, de imminente Medicææ domus ruina concepto. *Altera Pars* hujus libri scripta *Politiani* lectoribus ponit ob oculos, & quidem *quinque Capitulis*. Horum in *primo* Noster commentatur de scriptis ejus vernaculis, quantique adhuc fiant ab Italis, ostendit. In *secundo* Græca ejus scripta (quæ quidem pauca sunt,) & Latina describit, recensitis omnibus eorum editionibus, & accuratæ censuræ subjectis. Hic *pag. 509 seq.* quatuor offendimus Epistolas *Politiani*, quæ in *Epistolarum* ejus volumine non reperiuntur. Cumque inter monumenta *Politiani* longe emineat liber *Miscellaneorum*, elogia

gia ejus & editiones hic proferuntur studiosissime. In *tertio* Capitulo *quarto*que de scriptis *Politiani* partim ineditis, partim duntaxat inchoatis, agitur. Ineditorum hæc quidem in notitiam Autoris venerunt: *Librorum aliquot Homeri*, *Quæstionum naturalium Alexandri Aphrodisiensis*, *Aphorismorum Hippocratis*, *& in hos Commentarii Galenici*, *Xenophontis de memorabilibus Socratis*, *Demosthenea de Syntaxi Orationis*, Latinæ interpretationes, porro *Miscellaneorum Centuria altera*, *in Statium Annotationes*, *in errores linguæ Latinæ liber*, *in Arististotelis librum de animalibus Commentarii*, *Ulyssis ad Achillem Oratio*, *Carmina de sanguinaria Juliani Medicai cæde*, *de Diis gentilium*, *& in gentis Medicaæ laudem*, *in Fastos Nasonis Commentarius poeticus*, ut leviora alia taceamus. Ad inchoata pertinent varii ejus *in Jus Civile*, *Medicos*, *& Philosophos veteres*, *in artes liberales quascunque*, *& Prælectionem poeticam*, *quam dixit Nutricia*, *Commentarii*, *Historiæ* porro *Imperatorum Romanorum*, *Joannis*, *Lusitanorum Regis*, & *Vicecomitum Mediolanensium*, *de Historiæ Augustæ Scriptoribus Dissertatio*, denique *ad veteres scriptores Græcos aut Latinos* selectissimæ *Annotationes*. Denique ultimo loco commemorantur scripta aut supposita *Politiano*, aut certe ita comparata, ut, sintne tribuenda huic Italo, adhuc dubitari possit. Breviter diximus de Opere & forma magno, & selectu rerum admodum præstabili, atque hinc non Italorum tantum, sed eruditorum ad unum omnium, plausibus dignissimo. Plura non addimus, præter votum, ut libeat optimo *Menckenio* plurium sua tanta industria dignorum virorum vitas & elaborare, & publicæ luci exponere, haud dubie non minorem ex his laudis fructum percepturo, quam provenit ipsi ex *Vita Fracastorii Vita*que *Politiani*.

RECUEIL DE DIVERSES PIECES, &c.

h. e.

COLLECTIO VARIORUM, AD PHILOSO-

phiam, Mathesin, Historiam, & alia studia, spectantium, Opusculorum, per Epistolas elaboratorum a GODOFREDO GUILIELMO DE LEIBNIZ, una cum duabus Epistolis, quibus agitur de Philosophia & missione Chinensi, missis ad Rev. P. BUVETUM, Jesuitam, Pequini commoratum; publicæ luci exposita, cum Observationibus in emendationem Philosophiæ Scholasticæ secundum principia LEIBNITII, opera M. CHRISTIANI KORTHOLTI, Assessoris Ordinis Philosophici, & Collegii Principum minoris in Academia Lipsiensi Socii.

Hamburgi, sumtibus Abrahami van den Hoeck, 1734, 8. Plag. 6 ¼.

Edidit haud ita pridem Cl. ***Christianus Kortholtus*** Illustris ***Leibnitii*** fasciculum literarum Latinarum, quem suo loco recensuimus. Superest earundem maxima copia adhuc inedita, quarum haud paucas collegit Vir Cl. ***Frobesius***, Helmstadii philosophica tradens. In præsens partem Epistolarum, Gallice conscriptarum, cum orbe literato communicatam, avide excipimus, & Cl. Editori, qui nonnunquam notulas suas adspersit, gratias publice habemus. Literæ hæ ad 33 excurrunt, exaratæ ad ***Dangicurtum***, ***Marinonium***, ***Blumenthal***, fœminam Illustrem, nuptam duci bellico, ***de Weiler*** dicto, ***Grimarestium***, ***Widovium***, ***Heræum***, ***Buvetum***, Jesuitam, & Professorem Luneburgensem, ***Pfeffingerum***. Una Jesuitæ ***Gobieni***, & altera ***Buveti*** ad ***Leibnitium***, Epistola immista est huic Collectioni. Jam
Pag. 2. ad rem ipsam properamus spectandam. Substantias veras ***Leibnitius*** pro simplicibus seu monadibus habet, speculis quippe universi relativis, quorum convenientia fundamentum præbeat harmoniæ præstabilitæ. Infinita calculi infinitesimalis pro fi-
3. ctionibus idem reputat, utilibus tamen ad compendium universalium

ſalium idearum & ſignorum. *Guido Grandi*, Mathematicus Piſanus eximius, male exiſtimavit, infinitatem ciphrarum ſeu nihilorum conſtituere magnitudinem aſſignabilem. *Alexander* Pag. 4.
Marchetti ſeſe oppoſuit *Grandio*. *Leibnitius*, ab utroque ſuper ea cauſa conſultus, conſentit *Grandio*, ſi voces rigide ſumantur; *Marchettio* autem, ſi de approximatione ad nihilum imaginarium ſit ſermo. Tractavit *Leibnitius* cum *Marino-* 5.
nio, Imperatoris invictiſſimi Mathematico, non ſolum ratione Obſervatorii, ſeu ſpeculæ Aſtronomicæ, Vindobonæ intra mœnia exſtruendæ, ſed etiam de rebus aliis, præcipue gnomone, 7.
qualem *Caſſinius* Bononiæ & *Blanchinius* Romæ erexerunt. Ex- 9.
pendit *Leibnitius* notionem corporis, quam ponit in vi, tum activa, tum reſiſtente, additque, corpus haud agere in diſtans, poſſe tamen Deum in ſacra cœna ſtabiliiſſe ordinem ſuperiorem, nec præſentiam corporis Chriſti realem in ſacra cœna 17 ſeq.
involvere id, quod appellamus contradictionem. *Leibnitius*, Duces Mutinenſes & Brunſuicenſes a communi ſtirpe Comitum Eſtenſium ac Marchionum Etruriæ derivaturus, eruditis haud penitus ſatisfecit. Felicitas ea fuerat Illuſtri *Murato-* 30 ſeq.
rio reſervata. Vox *etiquette* ex Græco *diptycha* videtur de- 40.
ducenda, ſi credimus *Leibnitio*. *Auguſtinus* ingenio caruit ſyſtematico, & audacter ea ſæpius monuit, quæ poſtea rurſus 42.
negavit, vel excuſationibus contexit. A. 1712 in nundinis 53.
Lipſienſibus ſpectaculum præbuit canis, ad loquendum aſſuefactus, qui diſtincte plus quam triginta vocabula enuntiavit, congruenterque heri ſui quæſtionibus reddidit reſponſa, edoctus eloqui ſingulas alphabeti literas, exceptis *m*, *n*, *x*. S. Rev. *Chriſtophoro Matthæo Pfaffio Leibnitius* tribuit id honoris, ut, ei ſcientiam & merita ineſſe, profiteatur. Idem deduxit Francos 58.
primos a mari Balthico, in qua ſententia invenerunt *Turneminius*, de ſocietate Jeſu, & *Nic. Hier. Gundlingius*, quod notarent. Niſi fallimur, opinio magni illius *Leibnitii* nuper a *Joanne* 59.
Georgio Eccardo ad ſummum probabilitatis gradum fuit evecta, & quidem ſub initio *Commentarii de Rebus Franciæ Orientalis*. Jeſuitarum, qui apud Seres doctrinam Chriſti exponunt,

Pag. 69 seq. 84 seq. runt, lites cum Dominicanis ex *Gobieni* & *Buveti* Epistolis paululum possunt illustrari. Ad posteriorem *Leibnitius* misit exposuitque mysterium illud Arithmeticæ dyadicæ seu binariæ, cujus *Fohi*, conditor imperii Sinensis, est autor, quodque in libro *Ve – kim* asservatum. Cl. *Kortholtus* tandem egregie ostendit nævos & veritatis scintillas, quibus Philosophia Scholastica scatet. Origo corruptelæ inde videtur exorta, quod præceptoribus septem artium ad falcem suam, in Theologica tradenda præcepta immittendam, vix initio patuerit alia via, ac accommodatio philosophiæ *Aristotelicæ* ad Theologiam, & tentata sic utriusque illustratio. Quam vellemus, id accurate & copiose a quoquam demonstraretur! Verum, maxima ex parte hic nobis satisfactum esse, grata mente prædicamus, significantes ex superfluo, merito laudari Logicam Illustris *Christiani Wolfii* Latinam.

95. A SHORT HISTORY OF PRIME MINISTERS IN Great Britain.

h. e.

BREVIS HISTORIA SUMMORUM IN AULA Magnæ Britanniæ Ministrorum.

Londini, 1733, 8.

Plag. 4.

Fata Ministrorum, quorum autoritas in Regum Britanniæ curia ipsoque regno eminuit, Autor hujus libelli, quisquis fuerit, mordaci calamo recensuit. Exhibet exempla XXXI Magnatum primorumque Aulæ Procerum, qui a *Wilhelmi I* temporibus usque ad *Caroli I* ætatem magna apud Principem gratia, majori in ipso regno potentia, floruerunt, tandem vero a summo honorum & felicitatis culmine dejecti, misere perierunt. Calculum in fine Opusculi ita duxit, ut tres laqueo suffocatos, decem capite truncatos, tres ad summam egestatem redactos, duos truculentis privatorum manibus exstinctos, quatuor in carceris angustiis confectos, quatuor exules, totidem ex interitu Principum suorum conservatos, unicum vero ad salubriora consilia reversum, pœnitentiaque actum, numeret.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXXVI.

MATTHIÆ BELII NOTITIA HUNGARIÆ novæ Geographico-Historica. Partis secundæ, Cis-Danubianæ, Tomus secundus.

Viennæ Austriæ, impensis Pauli Straubii, 1736, fol. Alph. 6 plag. 10, Tabb. æn. 5.

Ita tandem fuisse in fatis suis gaudeat Hungaria, ut, post horridas tot Seculorum tenebras, post ignava ipsius gentis otia, & ignobilem illam barbariem, jam, unius virtute civis sui, in novam veluti lucem redeat, &, abjecto squalore veteri, suum inter politissimas Europæ gentes locum occupet. Debet hunc cultum, & post feras ætates acceptum referet *Belio* suo, ingenii prorsus summi & industriæ stupendæ Viro, quin vere nato ad gloriam gentis suæ, quam ille tuetur pro virili, sustinetque fortiter, atque quotidianis incrementis splendidiorem efficit. Nihil is ad sui partim famam dignitatemque nominis, partim ad gentis patriæ honorem atque decus immortale, illustrius excogitare potuit nobilissimo illo vereque glorioso instituto, quo cœperat haud ita pridem amplissimam rerum Hungaricarum historiam, ex omnis ævi monumentis diligenter collectam, in Commentarios referre, & una velut in tabula illius regionis splendorem omnem omnesque divitias repræsentare. Cujus generis laborem si nec animo concipere sine magna laude potuit, quanto majori omnium plausu huic manum admovisse,

 in

in hoc curas suas omnes ingeniique vires consumsisse, hunc perfecisse dextre eleganterque, putandus est! Nimirum, suas Musis inter ipsos Hungaros aras focosque esse, vel uno hoc Opere discas, Lector, quod ubi in manus sumseris, nihil ad ingenium vulgi aut scriptorum nostri temporis comparatum, sed eam ubique *Livianæ* dictionis gravitatem, eam rerum verborumque ubertatem, animadvertes, cui quod addi possit, nec divinissima aliarum gentium ingenia inveniant. Gaudentes nuper gratulantesque Historiæ tam compositæ & elimatæ *Partem primam* excepimus, cujus quo majorem sumus elegantiam & nitorem admirati, hoc justiorem videbamur nobis metuendi caussam habere, ne ipsa prius ætas Viri optimi, quam præclarus iste labor, suum terminum attingeret. Sed, quo nihil magis ex voto nostro accidit, vanum ex parte fuisse hunc timorem, nunc intelligimus, factumque est incredibili Autoris præstantissimi industria, ut, deposita vix manibus *priori Parte*, jam, quæ oculos nostros pascat, *altera* succedat. Adspiravit inprimis honestissimis conatibus Serenissimi Principis *Francisci Stephani*, Lotharingiæ Ducis, atque per Hungariam Locumtenentis, munificentia, quem opportuno tempore benignissimum laboris sui adjutorem præsidemque nactus est Autor, cujus & autoritate, illustrissimo, cui est summa rerum in Hungaria administratio, Locumtenentiali Collegio tuendi modisque omnibus sustinendi Operis haud ita pridem cura est demandata. Quo ipso in spem lætissimam adducimur, ita certissime futurum, ut, si porro tantos conatus Superi secundent, nec valetudinem Autoris molestia laborum frangat, brevi non hæc ipsa tantum *Geographico-Historica Hungariæ Notitia*, sed, quam expectare nos ille passim in *Volumine* hoc *secundo* jubet, *physica* etiam *Hungariæ Notitia*, cum *Nobilitatis Hungaricæ Theatro*, prorsus elaborata & perfecta, ornamentum præbeant Bibliothecis nostris. Nos interim navigantem per immensum æquor votis ominibusque prosequamur, &, ut velis plenissimis magnum, quod ingressus est, iter conficiat, conjunctis studiis precemur. Jam vero, rationem habituri Lectorum nostrorum, quibus & ipsis *Belianæ* Musæ solertia eximios fructus spondet, quid boni secum ferat *Volumen* hoc *alterum*, indicabimus paucissimis, id generatim notasse

notasse contenti, nihil, sive rerum selectissimarum copia, sive monumentorum, unde, quæ memorantur, sunt depromta, apparatu, sive ipsa narrationum suavitate, atque melleo orationis flumine, *Partem* hanc *alteram priori* cedere. Splendet in ejus fronte fulgidissimæ gemmæ instar Augustissimum *Caroli VI*, Imperatoris, nomen, maximi post hominum memoriam, & amantissimi Musarum, Principis, quo nisi umbram & hospitium præbente, nunquam perficiendi tanti Operis cogitatio subire animum Autoris nostri poterat. Magnifica est atque tanto Principe dignissima Dedicatio, qualem scripsisse nec Oratorum veterum disertissimos quosque pudeat. Excipit hanc doctissima Autoris Præfatio, eorum, quæ sunt enarrata in hoc *Volumine*, rationem reddens, horumque partim summa argumenta, partim, unde petita sunt, fontes, indicans. Tum neminem non mirifice delectet, quam in ipso Commentariorum limine legendam dedit Autor, *Jo. Caroli a Newenstein*, S. R. I. Equitis, & in aula *Caroli VI* Poetæ laureati, in laudes *Belianas* Elegia tersa & venusta, quin ob id ipsum, quod nihil fingat laudum, sed, quæ vera sunt, canat, in dulcissimis habenda. Ad ipsos jam Commentarios vocamur, uberrimos hic *Beliana* partim doctrinæ, partim industriæ, fructus spectaturi. Absolvit hanc *Partem* quatuor Comitatuum historia, in quorum & definiendo situ, & explicandis rebus memoratu dignis, ita diligenter Autor, ut qui diligentissime, versatur. Primo loco, quæcunque de Pisoniensi Comitatu, cujus non nisi partem aliquam *Tomus* Commentariorum *prior* ceperat, dicenda supererant, larga manu expromit, initio dicendi facto a *Tyrnaviensi* urbe, cujus origines & fata, hodiernum habitum, prærogativas, & opportunitates, *Capitibus duobus* persequitur. Miramur hic copiam dicendorum, quæ destituisse quodammodo Autorem videtur in reliquarum, quæ sequuntur, urbium, *Modrensis*, *Baziniensis*, & *S. Georgii*, descriptione. Singularum urbium Chorographicam delineationem, in ære eleganter expressam, idem ille, cujus & in *priori Volumine* manum artificem spectavimus, adjecit *Sam. Mikovinius*, qui & in posterum perget immortale hoc Opus suæ speci-

ſpeciminibus artis exornare, etſi publico Geometræ per montanas Hungariæ urbes, & harum fodinas machinasque, muneri, a *Carolo VI*, Imperatore, anno demum ſuperiore, præfectus. Luſtratis Comitatus *Piſonienſis* urbibus, jucundum ſpectaculum ejusdem regionis arces præbent, quarum tres, urbibus vicinas, & ab his cognomen mutuatas, *Piſonienſem*, *Szent-Györgienſem*, & *Bozinenſem*, duas deinde alias, in ſupremo montium vertice eminentes, *Vöröskőienſem* & *Szomolanenſem*, numerat. Poſteriores duas diſtinctius ante oculos Lectorum ponit Tabula ænea, ejusdem manu *Mikovinii* delineata. Arces ſuo ordine ſequuntur Caſtella, *Cſeklés*, *Magyar-Bél*, *Német-Gurab*, *Szuha*, *Vödröd*, *Cziffer*, Schlosbergiorum aliud, aliud Kerekeſſiorum; tum oppida, privilegiis munita, quorum numero ſunt quindecim, *Poſony Váralja*, *Rétſe*, *Cſeklés*, *Semptzi*, *Grinava*, *Cziffer*, *Szuha*, *Cſeszte*, *Ompitál*, *Alló-Diós*, *Felſő-Diós*, *Szómolnai*, *Spácza*, *Dejte*, & *Boleráz*; denique vicorum magna copia, quorum hic octo & quinquaginta proferuntur. Dixerat huc usque Noſter de *Proceſſu Comitatus Piſonienſis extraneo ſuperiore*; jam ad *inferiorem* progreditur, qui tractum illum infra *Tyrnaviam*, & utrumque *Födemes*, comprehendit. Hujus cum ſint partes duæ, altera, quæ inter Vagum & Danubium media jacet, altera *interamnana*, & Inſularum ſpatiis incluſa; de utriusque caſtellis, oppidis, & vicis, (nihil enim hæc urbium arciumve habent,) tantum Noſter, quantum ſit ſcitu cumprimis dignum, commemorat. Jam ſingulare Caput conſtituit *Proceſſus Transmontanus*, inter Carpathum & Moravum ſitus, cujus arces nobiliores, *Dévénum*, *Boroſtyánkö*, *Detrekö*, & *Eleskö*, antiquiſſimum præterea B.V. *Mariæ* Cœnobium *Thallenſe*, Caſtella ſeptem, *Stomphenſe*, *Detrekőienſe*, *Malaczkenſe*, *Lévárdenſe*, *S. Joannis*, *Ujfalvenſe*, & *Dévénenſe*, oppida totidem, *Dévénium*, *Stompha*, *Malaczka*, *Gájár*, *Nagy-Lévárd*, *S. Joannis*, *Rudus Masztenſe*, atque vici numero complures, exhibentur. Claudit *Piſonienſis Comitatus* hiſtoriam ſingularis & a reliquis diſtincta Reſpublica, *Sedes Prædialiſtarum Vajkenſis* dicta, ſi poſitum ſpectes, ad Inſulam Cituorum pertinens, cujus & *ſuperior*, & *infe-*

inferior, *Processus*, uterque suos vicos continens, Autori materiam dicendi præbuit. Non incommode priori huic *Historiæ Hungaricæ* Parti adjecit Noster *Comitatus Pisoniensis Tabulam Itinerariam*, quam nec ipsam carere usu suo, nemo est Lectorum, qui non intelligat. Statuerat jam Cel. Autor historiæ *Pisoniensis Comitatus*, jubente ita locorum vicinitate, *Nitrensem* subjicere; sed, cum huic Commentariorum parti varias præter expectationem objectas difficultates videret, ne moram ullam pateretur operarum industria, in hujus locum *Thúróczienſem Comitatum* substituit, proximo quoque tempore e diverticulo in viam rediturus. Comitatus hujus descriptio præ ceteris ex voto successit præstantissimo Autori, quandoquidem non vulgaria ei subsidia ipsi regionis incolæ pararunt, quorum liberali studio partim Chorographica Provinciæ delineatio, omni ex parte respondens expectationi Autoris, partim selectiora veteris & nostri ævi Diplomata, cum nobiliorum domuum Tabulis Genealogicis, in manus *Belianas* venerunt. Sunt & de isto Comitatu præclara *Mikovinii* merita, cujus Mappa Geographica omnem hujus ditionis ambitum, & singularum ejus partium conjunctionem, accurate commonstrat. More suo Noster historiæ hujus *Partes duas*, *generalem* alteram, alteram *specialem*, facit. *Priorem Membris duobus* distinguit, *physico*, quod est de natura & opportunitatibus, atque *politico*, incolas, magistratus, atque Familias illustres *Thúróczienſis Comitatus* exhibente. Hic cummaxime lucernam olet supremorum Comitum *de Réva*, penes quos inde a longis Seculis summa rerum in Provincia *Thúróczienſi* fuit, catalogus, & illustrissimæ hujus gentis *Tabula Genealogica*, hic dextre in compendium redacta. *Posteriori Parte Processus quatuor* lustrantur, *Sklabinyensis*, qui arcem cognominem, oppida *Szent - Márton*, *Szutſan*, *Turán*, vicosque quinque & viginti, habet; *Blatnicensis*, arce ejusdem nominis una, & vicis 23, distinctus; *Moſchovienſis*, quem oppidum unicum, *Moſchovia*, & vici 30, absolvunt; denique *Znió-Claustrensis*, arce prænobili *Znió*, oppidis *Znió - Várallja*, & *Tót - Próna*, vicis etiam numero 19, inter Hungaros cogni-

s. Coronidis loco *Comitatus Thúróczienſis Tabula itineria* accedit. Ducit nos filum Commentariorum, & ipſa orum propinquitas, ad *Zolienſem Comitatum*, cujus excandis rebus hoc majorem Noſter curam atque diligentiam hibuit, quod terra hæc ipſi naſcenti patria contigerit, cui ſe ile agnovit id genus officiorum, & monumenti publici, debere. Nec adeo moleſtus labor fuit, regionis hujus hiſtoriam colligere, &, quæ vera ſunt, a fabulis ſecernere, partim ob id, quod inde a puero licuit Autori ipſi Provinciæ illius ſitum omnesque opportunitates cognoſcere, &, quicquid terra iſta memoratu dignum alit, curioſo oculo explorare, partim ob id etiam, quod civium politiorum in illa gente nemo fuit, qui non liberali manu, quæcunque de Comitatus hujus habitu privato olim ſtudio annotaverat, cum *Belio* ſuo, cive optimo, communicaret. In enarranda hujus *Comitatus* hiſtoria eundem, quem in ceteris, ordinem ſecutus Autor, *generalia* primum de ſitu, natura, & opportunitatibus, nec non de Incolis, Magiſtratibus, Dominiis, & Familiis Comitatus, tum *ſpecialia* de duobus Comitatus *Proceſſibus*, *ſuperiore* altero, altero *inferiore*, tradit, adjungens his ornamenti loco *Zolienſis* regionis *Mappam Mikovinianam, methodo Aſtronomico-Geometrica concinnatam*. *Proceſſus ſuperior* urbes liberas regiasque tres, *Neoſolium*, *Libetbam*, *Briznam*, quarum priores duo montanarum prærogativis gaudent, arces etiam duas, *Neoſolienſem* & *Liptſchenſem*, Caſtella præterea *Radvanyenſia*, *Mitſinenſia*, & *Dubravicenſe*, oppida *Rádvány*, *Tót-Liptſche*, *Ponik*, vicosque duos & quinquaginta, habet, de quibus ſingulis ita copioſe diligenterque Noſter diſſerit, nihil ut deſiderari jure poſſit. *Inferioris Proceſſus* liberæ regiæque civitates duæ ſunt, *Vetuſolium*, & *Carpona*, arces vero tres, olim, quam nunc, nobiliores, *Zolyom*, *Vigles*, & *Dobronitwa*, Caſtella etiam *Király-Falva*, *Garam-Szög*, *Hájnik*, *Osztrolúka*, oppida *Nagy-Szalatna*, *Otſchowa*, *Dobróna*, *Bábaszék*, *Szász*, *Pelſötz*, atque vici ſex & triginta. Horum nos, qui brevitati ſtudemus, nomina dedimus, pleniorem hiſtoriam dedit *Belius*, & vetera ſcrutari curioſe, & nova eleganter enarrare, ſi quisquam alius, edoctus.

edoctus. Subjecta & huic Comitatui *Tabula itineraria* comparet, cui confidere tuto peregrinantium quisque possit. Ultimus eorum *Comitatuum*, quos *Tomus* hic *secundus* complectitur, *Liptoviensis* est, *Zoliensem* proxime attingens, cujus historia non minori, quam reliquorum omnes, cura studioque aut contexta est ab Autore, aut ab incolis, suæ regionis gnaris, recognita. Est & hujus *generale* aliud, aliud *speciale*, Caput, quorum alterum partim situm, naturam, & opportunitates, partim incolas, horumque mores, & magistratus, alterum *Processus* regionis *quatuor*, cognominatos a tot mundi plagis, commemorat. Nulli horum *Processuum* liberæ ac regiæ sunt urbes. *Orientalis* arcem tantum unam, *Liptó-Ujvár*, oppida quatuor, S. *Nicolai*, *Wrbicza*, *Gibbæ*, *Botza*, vicosque unum & triginta; *meridionalis* oppidum *Teuto-Liptscha*, atque vicos 28; *occidentalis* arcem *Lykawa*, oppida *Rosenbergense*, & *Trium-Szlécs*, vicosque 38; *septentrionalis* denique oppida, *Szelnicze*, *Trnowetz*, & *Bobrowetz*, vicosque 30, complectitur. Ornant & hanc historiam *Mikoviniana Mappa*, atque *Tabula* hujus Comitatus *Itineraria*, quæ ipsa claudit *Tomum* universum, idque testatum facit, nihil, quod labori suo gratiam conciliare possit, temere a Cel. Autore prætermissum. Summatim hactenus de *Beliani* Operis *Volumine secundo* diximus, felicissimosque horum Commentariorum, & Hungarici honoris, per civem suum exsurgentis, successus vidimus. Jam, cum ad ipsos Comitatus, eleganter hic descriptos, pedem promovemus, & jucundis rerum, quæ sunt ubivis obviæ, spectaculis delectamur, eorum, quæ sunt maxime commemoratu digna, nec ita scriptoribus, quicunque olim res Hungaricas annalibus complexi sunt, diligenter enarrata, longe majorem esse copiam, quam in ista paginarum angustia a nobis possit explicari, intelligimus. Itaque, cum plura non liceat, jam pauca tantum seligemus, contenti venas indicasse, unde aurum peti Lectorum cuique possit. In historia *Tyrnaviensis* urbis non sine dolore vidimus istius civitatis funestissimas vicissitudines, calamitatesque tam atroces, quibus, dubitamus, an ullam unquam urbem atrociores afflixerint. Patuit enim hæc ab ipsa inde ori-

gine

gine ſua ad hæc usque tempora ſæpiſſimis hoſtium incurſioni-
Pag. 10. bus, nunc *Ottocari*, Bohemorum Regis, nunc Huſſitarum,
16. 47. per Bohemiam & Hungariam arma ſua circumferentium,
55. 60. nunc *Botskayi*, cauſam Hungarorum adverſus *Baſtam* ſuſti-
63. 64. nentis, nnnc *Bethlenii*, amantiſſimi turbarum Principis, nunc
17. 59. *Tökölii*, Hungariam ſuperiorem multis modis infeſtantis, nunc
62. 26. *Rákóczii*, mala omnia in Hungarorum perniciem meditantis,
44. 24. nunc ipſius *Heiſteri*, Germanorum ducis ſtrenui, quorum exercitu aut captam, aut miſerrime divexatam, conſtat; ut alia calamitatum genera, bella civilia, incendia, latronum expilationes, procerum conſpirationes, atque peſtilentiæ furores,
76. taceamus. Quod vulgo *parva Roma* dicta ſit Tyrnavia, id non tam amplitudine urbis, quam templorum ſtructura, ſacrisque inſtitutis, quæ Romanis ſunt ſimillima, factum oſtendit Autor. Idem Seminariorum quinque, quæ ſunt Tyrnaviæ ad alendos pueros, aut ſacri ordinis homines, inſtituta, & ampliſſimis immunitatibus donata, hiſtoriam & antiquitates jucunde refert. Turbarum, quibus quaſſata eſt Tyrnavia, portio non ultima ad Patres Societatis Jeſu pervenit, quos, variis fortunæ procellis jactatos, & ipſa ſæpe
30. 60. civitate ejectos, ita hic rerum omnium ſucceſſus deſtituerunt, ut in eorum caput ipſi conjuraſſe Dii hominesque viderentur. Nobilitavit inprimis urbem Tyrnaviam A. 1615 Cæ-
49. ſareanorum & Bethlenianorum conventus, percuſſumque ab his fœdus, cujus hiſtoriam Noſter, tabulasque integras, hic profert. Auget & numerum earum urbium Tyrnavia, quæ
86. jure *ſtapelæ* utuntur, & publicis inſtructæ ſunt mercatibus, quorum hic octo celebrantur. Conſervat Tyrnavienſis mercaturæ florem perpetuum Judæorum ab urbe exilium, qui crudeliſſimorum facinorum, & effuſi Chriſtiani ſanguinis, juſtiſ-
85. ſimam hanc olim pœnam tulere. Varia enim Autor noſter
22. 120. paſſim exempla affert cædis atrociſſimæ, a gente illa Chriſtianis pueris illatæ; quo crimine ut nullum excogitari turpius ignobiliusque poteſt, ita, quam ſit capitale Judæorum in gentem Chriſtianam odium, omnium optime hinc diſcimus. Multa hic Autor noſter de deteſtando illo Judæorum more erudite diſputat, *Wagenſeilii*, & aliorum, omnem rem negantium, ratio-

rationes enervans, & in antiquiſſimum Rabbinorum de occidendis Chriſtianis ſcitum inquirens. Inter illuſtriſſima inſtituta, quibus regni Hungarici potentiam Auguſtiſſimus *Carolus VI* firmavit, eminet inprimis Conſilium Locumtenentiale Regium, arcis Piſonienſis faſtigia tenens, jam florentiſſimum præſidio *Franciſci Stephani*, Lotharingiæ & Barri Ducis, quem dignitate hac præceſſerat *Nicolaus Pálffy*, Comes *ab Erdöd*, rebus humanis A. 1732 exemtus. Hujus Conſilii Aſſeſſores, ſive e Clero, ſive ex Magnatum, & Nobilium, ordine delectos, ipſos etiam Secretarios, Doctiſſ. Autor ad unum omnes nominat, horumque continuam ſucceſſionem duabus Tabulis complectitur. Simili induſtria contextum ſupremorum Comitum & Vice-Comitum *Thuróczienſis* provinciæ catalogum hic legimus, cui & adjuncta eſt, quam paulo ante diximus, inclytæ familiæ Baronum *de Réva*, quæ a longa inde annorum ſerie ſupremorum Comitum dignitatem velut hæreditario jure propriam tenuit, Genealogica Tabula, forſan ex domeſticis ejus gentis Annalibus concinnata. Digna inprimis lectu ſunt, quæ de *Carponenſium* monomachia, quo genere præliorum præ ceteris valuiſſe iſtam gentem conſtat, ex *Gabelmanno*, ſuaviſſimo Poeta, copioſe memorantur. Eſt in *Liptovienſi* Comitatu oppidum *Teuto-Liptſcha*, cui a noſtra *Lipſia* nomen tractum, non eſt, cur dubites, etſi vulgares de origine urbis narrationes non omni ex parte penes doctiores aſſenſum inveniant, nec iis *Belius* temere habendam fidem putet, qui, *Lipſienſium* fuiſſe coloniam hanc *Liptſcham*, incerto rumore edocti, perhibent. Sunt & hic paſſim, quibus Hiſtoriæ naturalis ſtudioſi commode uti in rem ſuam poſſint. Quo ſpectant, quæ de thermis *Neoſolienſibus* & *Ribarienſibus*, nec non de aquis admirandis *Zolienſis* terræ, quarum alia eſt in fodina *Vallis Dominorum*, eroſo ferro æs Cyprium relinquens, alia ejusdem fodinæ, chryſocollam generans, alia, *Scrobs Ribarienſis* dicta, funeſtos halitus eructans, porro de fœmina in *Neoſolienſi* urbe A. 1666 uno partu infantem & vivum leonem enixa, denique de more civium *Libethenſium*, tutos a paſſeribus agros præſtandi, erudite ſunt & cum ſobrio judicio prolata. Nec nobis, qui-

Pag. 155 ſeq. | 307. 311. | 310. | 478. | 565. | 393 ſeq. | 424. | 438.

bus literaria Historia inprimis curæ est, pabuli hic nihil nascitur.
Pag. Præstantissimi in Hungarorum gente Medici, Historici,
89 seq. & Antiquarii, *Jo. Sambuci*, vita hic & copiose, & eleganter
admodum, descripta exhibetur. In Hungaria, maxime *Lipto-*
549. *viensi* agro, eos omnes, qui non sunt ex ordine Nobilium, a
causis in foro dicendis arceri, &, quicunque in hoc vitæ genere
versantur, hos eleganti præ ceteris doctrina commendari, in
40. 56. laudem gentis annotatum legimus. Academiæ *Tyrnaviensis*
58. 88. incunabula, progressus, fata, leges, atque instituta, ita hic cu-
94. rate atque diligenter enarrantur, ut hinc simul Hungaricarum Academiarum universa ratio cognosci possit. Quam vellemus ex his ipsis, quæcunque sunt notatu digniora, in usus Lectorum publicos excerpere, nisi nos ad alia vocaret, & quasi nolentes traheret, librorum, de quibus postea dicendum, copia. Illorum igitur indicia hic tantum accepisse, satis sit Lectoribus, in quibus vix futurum unum aut alterum putamus, qui non legendi Operis tam elaborati, tamque rerum optimarum pleni, etiam non rogantibus nobis, inflammatum desiderio se sentiat.

GALLIÆ ANTIQUITATES QUÆDAM selectæ, atque in plures Epistolas distributæ. Ad Parisinum exemplar iterum editæ. Accedunt Epistolæ duæ, altera Sorbonicorum Doctorum ad Autorem hujus Operis, altera March. JO. POLENII de Olympico Theatro.

Veronæ, per Jac. Vallarsium, 1734, 4.
Alph. 1 plag. 6.

Ad hujus Operis commendationem sufficere putamus, Autorem nominasse. Is est Cel. *Maffejus*, cui Antiquitas omnis tantum debet, & in posterum debebit, ut hodie fortasse nemini plus debere videatur. Hic, cum ante hos quatuor annos in Galliam se studiorum causa contulisset, Parisiis A. 1733 *Epistolas XXVI* edidit, easque partim Latine, partim Gallice Italiceque, scriptas, quibus varia antiquitatis, Gallicæ inprimis, capita egregie illustrantur. Sed, cum pauca oppido ejus libri exempla

exempla in Italiam eſſent perlata, atque cupide tamen is a doctis hominibus requireretur, Veronenſis typographus eum, bona Autoris cum pace, atque ab ipſo recognitum, recudendum curavit. Jam, ſi, quicquid in his Epiſtolis dignum notatu reperitur, commemorare vellemus, fuſius, quam pro inſtituto, de non adeo magnæ molis libro diſſerendum nobis eſſet. Satis itaque habebimus, unum atque alterum in medium protuliſſe. Illuſtris Autor in *Hiſtoria Diplomatica pag. 30* edidit Honeſtæ miſſionis ab Imperatore *Sergio Galba* militibus Legionis primæ adjutricis tributæ tabulam. Ea cum alia ab eodem *Galba*, eodemque die, data, ac ad calcem *Part. II Verona illuſtrata*, de qua proxime dicemus, edita, inter reliquas quinque, a *Grutero*, *Fabretto*, *Sponio*que, prolatas, quoniam iis omnibus antiquior eſt, agmen ducit. Sed in eadem miſſione jam in *Hiſtoria Diplomatica* dignum vindice nodum inveniſſe ſe, oſtenderat *Maffejus*. In ea Civitas & connubium conceduntur militibus legionariis; cum ex more Romanorum priſco nemo in legione militare, niſi civis Romanus, poſſet. Hunc nodum, *Bimardo*, Gallo, de Legionibus, cohortibus, & alis, ſcripturo, gratum ut faceret, in *Epiſtola prima* ſolvere conatur, neque infeliciter, noſtra ſententia. Oſtendit ergo, eam conſuetudinem Romanam aliquando ſub Imperatoribus eſſe aliqua ratione neglectam, cum novæ eſſent in provinciis legiones ſcribendæ, neque poſſent, quibus civitatis jus eſſet, conquiri. Eam rem cum ex his miſſionibus, tum aliis antiquitatis monumentis, intelligi poſſe, in quibus *Gentilium* mentio fiat, h. e. barbarorum, neque ad civitatem Romanam pertinentium. In hoc ipſo tamen cautum eſſe ita priſtinæ conſuetudini, ut, qui e barbaris in exercitum eſſent allecti, civitate donarentur. Eam rem mirifice confirmare *Ariſtidem*, qui etiam hac de cauſa Romanos laudet, quod provinciales militiæ idonei cives fierent: *ποιησάμενοι δὲ πολίτας, οὕτω καὶ στρατιώτας ἐποιήσατε, ὥστε τοὺς ἀπὸ τῆς πόλεως μὴ στρατεύεσθαι, καὶ τοὺς στρατευομένους μηδ' ὁτιοῦν ἧττον εἶναι πολίτας.* Sed, quoniam novis civibus tabulæ donationis traderentur, eas tum demum traditas fuiſſe, cum poſt navatam in bello operam dimitterentur. In quo quidem

potuerunt priſcos Romanos imitari voluiſſe, qui, cum poſt calamitatem ad Cannas acceptam volones illos contra *Hannibalem* mitterent, poſt virtutem in bello probatam demum civitate eos donarunt, cujus antea ſpem tantum fecerant. Quod ad connubium autem attinet, inter omnes conſtat, illis temporibus non licuiſſe militi uxorem habere, neque civis Romani conjugium ratum fuiſſe niſi cum cive. Itaque, ſi quis in ea re a conſuetudine Romana diſceſſerat, contubernium illud conjugium erat, non connubium; quæ res eo valebat, ut non poſſent liberi ad hæreditatem patris adſpirare. Hæ itaque tabulæ miſſionum, in quibus connubium conceditur, eo videntur pertinere, ut probentur matrimonia, quæ ex legibus Romanis rata eſſe non poterant, id quod inprimis ex ea intelligitur, quæ hoc ipſo loco ab Autore primum editur. Nomina, peregrina inprimis, quoniam in ſcriptoribus Græcis & Latinis ſæpe corrupta ſunt, & facile corrumpi potuerunt, ex nummis optime cognoſcuntur. *Tarcondimoti*, reguli in Cilicia, cujus apud *Cic. Epiſt. ad diverſ. XV, 1*, mentio ſit, nomen perperam apud *Strabonem*, *Plutarchum*, & in quibusdam *Lucani* editionibus, legitur, etiam in quibusdam *Dionis* Codicibus; nam meliores recte habent, ut docet *Victorius ad Cic. l. c.* Jam, ſcripturam, in *Ciceronis* Epiſtolis receptam, veram eſſe, mirifice confirmatur nummo, a *Maffejo pag. 14* prolato, qui caput hujus *Tarcondimoti* exhibet, nunquam antea in nummis viſum. *Salluſtiana* inter fragmenta reſtat etiam *Mithridatis* ad *Arſacen* Epiſtola, in qua inter ceteras de populo Romano querelas etiam hæc eſt: ***Bithyniam Nicomede mortuo diripuere; cum filius Nuſa, quem reginam appellaverant, genitus haud dubie eſſet.*** Ita habet recentiſſima editio *Cortiana*. Editio *Aldina* habet, *quem regem appellaverat*. Genevenſis & Plantiniana: *Cum filius Muſæ, quam Regem appellaverat*. Quas lectiones *Cortius*, in congerendis variationibus alioqui diligentiſſimus, prætermiſit. *Maffejus* e nummo, quem & ipſum primus edidit, legit: *Cum filius Muſæ, quam Reginam appellaverant* &c. In ejus nummi altera parte eſt caput virile laureatum, cum hac inſcriptione: πρεσβέων προθαλάσς. in altera caput fœmininum cum his verbis:

bis: Μύσης βασιλίσσης Ορσοβάριος. Hanc *Musam Nicomedis* uxorem fuisse putat. Ac, quoniam apud *Sueton. in Cæs. Cap.* 49 de eadem uxore *Nicomedis* sermo est, ibi quoque *Musæ* pro *Nisæ* legi, *Maffejus* vult. Magna est inter Antiquarios contro- Pag. 58.
versia de sensu formulæ, quæ in monumentis sepulchralibus occurrit: *sub ascia dedicare.* Duodecim diversæ extant de ea formula sententiæ, quibus, post ingeniosam illam *Mazochianam*, nunc accessit etiam Viri Consultiss. *Conradi* conjectura, sed ad unam omnes ejusmodi, ut *Montfauconius* nihil decernendum, sed exspectandum, putet, donec aliud monumentum eruatur, quod majorem rei obscuræ lucem afferat, *Antiq. Expliqu. Tom. V pag.* 109. Ejus formulæ novam, eamque valde probabilem, affert Ill. *Maffejus* explicationem. Honorificum habebatur apud veteres, novis monumentis inferri, ὃ οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος, uti *Lucas* ait. Id honoris itaque suis quoque præstiterunt Lugdunenses olim, ceterique Galli. Atque, ut id significarent, adjecerunt illam formulam: *sub ascia dedicavit. Dedicare* enim, ut sæpe alias, hic nil aliud est, quam *ponere.* Nam, quod nuperus Religionis Gallorum veterum Autor de cerimoniis religiosis in his lapidibus dedicandis adhibitis commentus est, nihil fidei habere potest. Hanc opinionem mirifice confirmat Græcum tetrastichon, in sepulchro Nemausi additum titulo, quod jam a *Sallengrio* editum est, cujus primus versus hic est:

Ἄνθεα πολλὰ γένοιτο νεοδμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ.

Huic ipsi formulæ in Inscriptione alia adjiciuntur hæ literæ: 64.
E D I X D O. Interrogatus *Maffejus*, quid hoc esset ænigmatis, extemplo respondit: *& de ipsorum denariis dotaverunt optime*, ut, quoniam monumentis interdum aliquot agri jugera adjicerentur, unde custodiæ ipsorum prospiceretur, eodem modo *dotata* monumenta dicantur, quo ulmis dotari vites dicuntur. Neque vero postea rem accuratius pensitanti, quod aptius esset, in mentem venit. In Museo Regiæ 88.
Inscriptionum Academiæ sunt duæ tabulæ marmoreæ, Athenis allatæ, in quibus perscriptæ sunt nomina eorum, qui pro patria in variis expeditionibus occubuerunt. Eæ tabulæ centum

fere

fere annos ante *Alexandrum M.* factæ ſunt. Itaque ex iis, qualis fuerit eorum temporum ſcribendi ratio, intelligi poteſt. Et in plerisque quidem conſentit orthographia cum ea, quæ in antiquiſſimo illo Sigeo monumento eſt, a Cel. *Edm. Chishullo* edito. Nam & hic H aſpirationem ſignificat, nullum η, nullum ω, ſed ſemper ε & ο, nullæ diphthongi, ſed χσ, πσ, &c. Illud etiam eis commune eſt cum aliis Inſcriptionibus, pro Λ ſcribi Γ, & Ξ, item Ψ; proprium autem hoc, pro Γ ſemper ſcribi Λ, quod non viderat *Sponius*, qui harum tabularum Inſcriptiones primum, ſed diminute & corrupte, edidit in

Pag. 106. *Miſcell. pag. 315* &c. *Epiſtolæ 21* ſubjectum eſt ſpecimen emendationum *Hieronymianarum*, quod ad *Maffejum* in Galliam miſit Presbyter *Dominicus Vallarſius*, cujus opera nova *Hieronymi* editio Veronæ paratur. Ex eo, quid de hac editione ſperandum ſit, aliqua ex parte colligi poteſt. Omnium autem digniſſimæ lectu ſunt ſcriptæ Italico ſermone *Epiſtolæ 23* & *24*, in quibus accurate deſcribuntur Amphitheatra Nemauſenſe, Arelatenſe, Forojulienſe, Arauſionenſe, &c. & *Epiſtola* Cel. *Polenii*, quæ eſt de Theatro Olympico. Sed hæc ſunt ejusmodi, ut neque poſſint in compendium ita mitti, ut nihil, quod ad accuratam deſcriptionem pertineat, prætermittatur, neque ſine figuris æri inciſis intelligi ſatis, quæ a Viro Ill. adjectæ ſunt. Quædam tamen quo minus dicamus, facere non poſſumus. Et celeberrimum quidem ex his & Amphi- & Theatris *Nemauſenſe* eſt Amphitheatrum. Ejus formam primus exhibuit *Jo. Poldus Albenas* in libro, quem de Antiquitatibus Nemauſenſibus ſcripſit, quæ, quanquam paulo rudior eſt & minus elegantiæ habet his, quæ poſtea comparuerunt, easdem tamen ceteris rebus, quæ potiſſimum in hoc genere formarum ſpectantur, facile vincit. *Poldum* ſecutus *Lipſius*, dimidiatam eam figuram ex ipſo *Poldo* inſeruit libello *de Amphitheatris Cap. 5*; poſt hunc autem *Gautierius* ejus figuram dedit, quæ ſubinde ab aliis repetita eſt. Hic, cum laude non ſit indignus, cum in aliis tamen, tum in eo, vehementer erravit, quod, *Lipſium* ſecutus, exitus & portas *Podio* ſubjecit, quæ eò loco neque erant, neque eſſe poterant, uti Ill. Autor in *Verona illuſtrata*

illuſtrata docuit. Quoniam autem magna inter Veronenſe & Nemauſenſe, cetera item Amphitheatra, ſimilitudo intercedit, qui *Veronam illuſtratam* legerunt, iis nec Nemauſenſis obſcura eſſe deſcriptio poterit ac ratio. Quomodo autem, quibus rebus, inter ſe utrumque differat, ex hac Nemauſenſis deſcriptione intelligi poteſt. Ac eſt quidem Veronenſe hoc Nemauſenſi majus & amplius; neque tamen erat, quare *Lipſius* eo, quo diximus, loco ita parvum exiſtimaret, ut ne dignum quidem eſſet, de quo multa dicerentur; qui, ſi ipſe vidiſſet hanc molem, longe aliter judicaſſet. *Arelatum* poſtquam ſe contulerat Vir Illuſtris, atque ipſe uſurpare cœperat oculis, quæ ibi ex antiquo ſive Theatro, ſive Amphitheatro, dicebantur reſtare, ſtatim intellexit, Amphitheatrum eſſe, quod ibi cernitur, ſed imperfectum illud, minimeque abſolutum, quod quin verum ſit, nemo profecto dubitabit, qui particulam operis conſideraverit, quam ære excuſam adjecit. Atque hanc cauſam eſſe exiſtimat, quare *Ammianus Marcellinus Lib. XIV Cap.* 15 in commemoratione ludorum, quibus Arelati celebravit Tricennalia *Conſtantius*, Imperator, Theatralium tantum & Circenſium mentionem faciat, & Amphitheatralia ſpectacula, quæ primo loco nominanda erant, prætermittat. Quod ad ipſius Amphitheatri deſcriptionem modumque attinet, ab eodem, quo Nemauſenſe, architecto exſtructum eſſe, ex ſumma utriusque ſimilitudine colligit. Sub Amphitheatro etiam eſt, quod dignum inprimis notatu judicamus. Ill. Autor jam in *Verona illuſtrata* oſtendit, ſub eo, quod ibi eſt, Amphitheatro eſſe, quod ad ipſum pertineat, ſcilicet ductus magnos, ad demittendas ex area pluvias aquas aliasque ſordes, & ſiccam conſervandam aream, comparatos. Sub Arelatenſi autem tantum eſt operis hujusmodi, ut duo ſcriptores, qui de hoc Amphitheatro expoſuerunt, *Guiſius* & *Jo. Seguinus*, ſuperſtructum opus ruinis magni & antiquioris ædificii putarint. *Forojulium* quam celebris olim ſub Imperatoribus urbs fuerit, cum ex aliis rebus, tum vero ex eo, intelligi poteſt, quod in ejus portu altera erat e duabus minoribus Cæſaris *Auguſti* claſſibus. Itaque mirum non eſt, ſi in ea urbe etiam Amphitheatrum exſtructum.

ſtructum fuit. Ac eſt illud quidem ſuperioribus duobus, cum magnitudine, tum præſtantia materiæ, longe inferius, quippe non e ſaxo grandi & quadrato, ſed parvo lapide & fragili, factum, ſed vel propterea viſu dignum, quod, quam ſuperiora duo minime exhibent, interior pars in hoc uno reperiatur. Poſitum eſt ad pedem montis, quod in Theatris paſſim invenias, vix in Amphitheatro; quæ res ſumtus in altero muro faciendos minuit. Usque ad hæc tempora noſtra creditum eſt, Circum eſſe apud *Arauſionenſes* ex antiquitate reliquum. Sed Ill. Autor, cum ad eum viſendum profectus eſſet, vidit, non Circum eſſe, ſed Theatrum, quod & ex ea, quam dedit, fuſa ejus deſcriptione cuivis patere poteſt. Id Theatrum eo dignius viſu, ejusque deſcriptio eo eſſe debet nobis gratior, quod hoc Theatrum inter omnia reliqua, quæ videre contigit Ill. *Maffejo*, ab injuria temporum eſt integerrimum. In ejus deſcriptione attigit, velut in tranſitu, locum *Vitruvii*, ab aliis male interpunctum, ab aliis vero male emendatum. *V*erba *Vitruvii* ita vulgo leguntur: ***Primum Agatharchus Athenis, Æſchylo docente, Tragœdiam ſcenam fecit.*** Animadvertit *Perraltus*, ſanum ſenſum hæc verba habere non poſſe. Itaque pro ***Tragœdiam*** legendum cenſuit ***Tragicam***, ſed, quoniam res ipſa ejusmodi eſt, ut, ne hac quidem mutatione facta, & manente interpunctione, quoniam ***Æſchylus*** pictoriæ artis peritus non fuit, ſenſus conſtet, Ill. *Maffejus* verba ipſa integra ſtatuit, & ita interpungenda eſſe: ***Primum Agatharchus, Aeſchylo docente Tragœdiam, ſcenam fecit.*** In qua Viri Ill ſententia quid reprehendendum ſit, non videmus. Ceterum ea res exemplo eſſe poteſt, quamvis facilibus ſæpe in locis hærere doctos homines propter perverſam interpunctionem, in quibus nihil eos impediturum erat, ſi omnis interpunctio removeretur.

FERDINANDI RUIZII VILLEGATIS, BURgenſis, quæ exſtant, Opera, EMANUELIS MARTINI, Alonenſis Decani, ſtudio emendata, & ad fidem

fidem Castelviniani Codicis correcta, a BERNARDO ANDREA LAMA *iterum recognita ac recensita, nunc primum prodeunt jussu Excellentissimi Domini* J. BASILII A CASTELVI, *Coloma, Alagon, & Borgia, Comitis a Cervellon, & Buñol, Marchionis a Villa-Torcas, Baronis Oropessæ, Hispaniæ Magnatis, Cæsaris nobilis Cubicularii, ejusque a Consiliis in supremo Hispaniarum consessu.*

Venetiis, typis Jo. Baptistæ Albrizzi, Hieronymi fil. 1734, 4 maj. Alph. 1 plag. 13.

Tunc demum efflorescit literarum elegantia, tunc ex umbra velut & pulvere protracta humanitatis studia ad lucem aliquam dignitatemque adspirant, cum suos ea *Varrones*, *Mæcenates*, aut, quod nostra ætate evenit, *Peirescios*, inveniunt, qui remis velisque eo tendunt, ut semper bene sit literatis, & scientiæ in dies majora splendidioraque incrementa capiant. Vigere denuo felici sidere incipiunt literæ elegantiores in Hispania, & barbaries, quam invidi quidam (jurene, an injuria, dicere non ausimus,) ei affinxere, politiori eruditorum doctrina, & ingeniorum proventu, depellitur. Inter eos, quorum autoritate acuitur optimorum civium diligentia, quorum & beneficio illud robur & firmamentum nanciscitur res literaria, venerantur nunc suo jure Hispani & genere & in scientias meritis illustrem *Castelvinianam* gentem, quæ, uti multis abhinc annis propensa in bonas literas voluntate fuit, sic maxima cum voluptate ex suo stemmate jam prognatum decus videt, Excellentissimum scilicet *Jo. Basilium a Castelvi*, Virum de elegantiori literatura vel hoc unico *Villegatis* libro, quem commendandum nobis sumsimus, immortaliter promeritum. In hujus maximi Virorum Bibliotheca, insigni librorum copia & monumentorum cimeliis locupletissime instructa, dudum delituerant nitidissima *Villegatis Carmina*, unde vix exiissent unquam, nisi felicissimo quodam fato accidisset, ut ea sub ipsius auspiciis Illustrissimi *Castelvinii*, ejusdemque jussu atque autoritate, mendis purgarentur, &, relicto carcerum squalore, in pu-

bliçum evolarent. Meruit profecto hanc post fata munificentiam Cl. *Villegatii* musa, utpote tam dulci avena canens, qua vix dulciori scripsisse olim *Theocritus* aut ipse *Maro* videatur: meruit ipsius eruditio, ut apud exteros quoque collustraretur. Nam, uti Ill. *Castelvinius* ipse in eleganti & venerum plena dolet Epistola, nemini illustre ejus nomen cognitum fuit præter *Nic. Antonium*, & *Laurentium van der Hamnen*, apud Belgas hominem quondam eruditum. Quapropter, ne hujus nitidissimi Poetæ memoria etiam apud nos intercidat, operæ pretium esse ducimus, tantum de vita ipsius in gratiam hominum nostrorum commentari, quantum quidem ex scriptis ejus, & Epistola *Eman. Martini* ad *Josephum Castelvinium*, *J. Basilii* patrem, his *Carminibus* præfixa, cognoscere potuimus. Natales suos debet Burgis in Hispania, quod beneficium ipse in quodam Disticho memoriæ mandavit:

Burgensis vitam præstet mihi patria, bustum.
Præbeat ignota vel niger Indus humo.

Nec, qua cum infelicitate eruditi haud raro conflictantur, obscuro loco natus, sed ex illustri, & multis majorum imaginibus clara, gente ortus est, id quod augurari licet ex Carmine de *Genethliaco*, ad *Wilchium*, ubi ita:

Est illustre mihi, fateor, genus; attamen hoc sum
Culpandus, proavum ni sequar acta magis.

Ast summis jam extollendus es laudibus! utpote qui laudabiliter institisti vestigiis majorum, &, quam sibi gloriam majores tui Marte pepererunt, multijuga arte & ingenii cultura mirum quantum auxisti. Adultior factus Præceptore usus est summo illo *Jo. Ludovico Vive*, ornamento certe totius Hispanicæ gentis, cujus quid doctrina valuerit, in *Villegate* nostro videtur experta. Inde mirari nos non subeat, cur *Villegas* noster, gratæ mentis suæ testimonium exhibiturus, tam acerbo luctu obitum Præceptoris sui defleverit in Ecloga peculiari, cui nomen *Vives*. Cum Nostri virtutes non adeo sint nobis cognitæ, colligere eas saltem licet ex sociorum consuetudine. Nam familiaritatem contraxit cum *Guil. Budæo*, ut patet ex Ecloga plane egregia, qua manibus *Budæi* parentat. Inter Amicos etiam numeravit *Antonium*

de

de Fonseca, Pompejopolitanum Episcopum, *Gundisalvum Illescum*, Autorem *Historiæ Pontificalis*, Hispanico idiomate conscriptæ, nec non ipsum *Des. Erasmum*, cui non unum scripsit carmen sepulchrale, cum versibus hendecasyllabis, tum elegiacis. Utinam nos non deficerent historiarum monumenta, ne jam telam, quam cœpimus, abrumpere cogeremur. Quibus vita ejus casibus fuerit obnoxia, quo anno diem obierit supremum, vel ipsos Hispanos fugit, nec ulla ratione extricari potest. Jam vero illud agemus, ut præstantissimi Operis, quod cum internis virtutibus externo quoque habitu se mirifice commendat, more apud nos recepto, notitiam suppeditemus. Sunt in hunc librum præclara merita eruditissimorum in Hispania virorum, *Emanuelis Martini*, & *Bernardi Andreæ Lamæ*, quorum uterque in recognoscendo elimandoque eo prorsus gnaviter elaboravit. Nimirum, cum *Emanuel Martinus* Valentiæ Hedetanorum ageret, ac Ill. *Joseph. Castelvinii*, Marchionis Villatorcani, Bibliothecam paulo diligentius lustraret, incidit forte in Codicem, qui, compactus tabellis quibusdam, aluta obductis, antiquitatem quandam præ se ferebat. Defigit in hunc oculos acrius, &, novitate allectus, evolvit hoc volumen, ubi Carmina reperit a *Ferdinando Ruizio* exarata. Obstupuit novo & ignoto nomine; miratus tamen insignem Carminum facundiam, & æstum poeticum, rogavit Ill. *Jos. Castelvinium*, Patrem, ut Opera illa suis exire tenebris pateretur. Impetravit hoc facili negotio ab Illustri Comite, tumque describi librum diligenter curavit, in eoque totus fuit, ut vitam Autoris ex scriptis ejus erueret, & nævos, quibus passim scatebant Carmina, tolleret. Nihilo tamen secius nescimus, quo casu evenerit, ut tum temporis prelo non subjecta, lucem demum adspicerent publicam sub auspiciis Illustriss. *Jo. Basil. Castelvinii*, Filii, ad decus literarum, & Hispaniæ suæ maximam spem, nati. Utcunque existimentur ea, operam *Emanuelis Martini* affectam perfecit & exsecutus est *Bernardus Andr. Lama*, Vir doctissimus, & nobis hic cum laude nominandus, eandemque, jussu Illustrissimi Mæcenatis, ut deliciis his orbis literatus frueretur, publici nunc juris fecit. Quod igitur ad ipsum *Villegatis*

Opus attinet, invenies hic, Lector, varia Poemata, tam venusto, tamque festivo, dicendi genere exarata, ut, magis ars, an nativus lepor, inde eluceat, vix possis dijudicare. Nam quid elegantius *Eclogis*, quarum sex composuit? quid convenientius simplicitati rusticæ & agresti, quam Carmina, *Marianna*, & *Civicæ*, inscripta? Alterum, tanquam famæ suæ tutelam & præsidium, in limine statim affigi voluit, ut eo facilius obtrectatorum os retunderet, qui, in omne libidinum genus ipsum proruisse ferarum more, calumniabantur. Dici enim vix potest, quanta verecundia *Mariannæ* amores declinet, quanta cura, quantaque velut solicitudine animi, delinimenta illius & illecebras fugiat. Alterum vero omnes dictionis gratias simul complectitur, ita, ut, si argumentum & Autoris nomen permitterent,
Pag. 30. fœtum Augustei esse Seculi, facile augurareris. Festinemus ad alia. Oculis enim se tuis offert ampla satis vena perductum Carmen *de nuptiis Philippi & Isabellæ*, quo nihil venustius, nihil augustius, unquam vidimus. Nam dictio non tantum tersa est & venusta, sed & cothurno quodam se nonnunquam effert, ubi
70. tamen affectata dicendi ratio prorsus exulat. Inprimis postremus de ludicro taurorum spectaculo, cannarumque lusu, liber lectu dignus est, in quo dulcissimus Poeta vires omnes experitur suas, ut certamen illud bestiarum, rem alioquin difficilem, extricaret, expeditumque mira ingenii vivacitate ad-
112. umbraret. *Sphæra mundi* salebrosa plurimis, & duriuscula, videtur, quo vitio etiam *Æsopi fabulas* vulgo insimulant, sed, Autorem effudisse versus illos, non elucubrasse, firmissime nobis persuademus. Cum enim ipsius Musa non nisi cultissimam semper ediderit prolem, nulli dubitamus, quin ipse hunc ingenii partum studiosius fuerit perpoliturus, si mens ipsius
155. tantum summi Mæcenatis favorem divinare potuisset. *Cybdelomastix* poemation est multa eruditione diffusaque refertum doctrina. Quicquid enim in historiarum monumentis de veterum Latinorum, Græcorumque, casibus adversis deprehendes, illud hic jucunde expositum omne videbis, ita, ut, si animum legendo reficere velis, veterum voluminibus supersedere possis,
176. illo carmine non æque. *Sermones* spirant *Horatianam* quandam suavitatem, & poesin redolent liberam, nec legum vincu-

lis

lis adeo circumscriptam, quippe quam efflagitabant saluberrima morum præcepta, quæ sapientiam inculcant animis hominum, reliquas non adeo pensi habent minutias. Reliqua Epigrammatum congeries, quam *Farraginem* vocat Noster, suo se nitore & varietate argumentorum commendat. Nunc enim *Marianna* suos amores exprobrat, nunc amicis vita defunctis Epitaphia ponit, nunc suam sine cera & fuco amicitiam popularibus suis testatur. De dicendi genere hic usurpato non opus est quidquam amplius monere; nec verba nobis suppetunt, quibus horum Epigrammatum exprimi dulcedo possit. Gratulamur igitur Hispanis, & ipsi sibi gratulentur, de tanto nomine & literarum elegantiorum vindice, quo unico, etiam si ipsis *Fr. Sanctii* & *Jo. Ludov. Vivis* decora deessent, splendorem nanciscuntur haud vulgarem. Eant nunc, quibus exterorum gloria sudes in oculis est, qui omnia scripta ab ipsis non profecta iniquissimo conatu illudunt. Videant *Villegatis* Opera, atque ex his discant, Hispanis non deesse exquisita ingenia, quæ, uti regionis beneficio ad res non nisi altas adspirent, sic acumine argutaque dictione exterorum haud paucos superent. De cetero, ut Illustriss. *Castelvinius* porro favere Musis ne dedignetur, ex animo vovemus, eundemque, ut propediem, suæ gentis utilitati serviens, evulget eruditissimos in *Julii Cæsaris* Opera Commentarios, in quibus jam totus est elucubrandis, per salutem literarum, & Ipsius gloriam, rogamus. Neminem enim tanto oneri suscipiendo aptiorem novimus, quam Comitem Illustrissimum, qui comta sua dictione & absoluta veterum scriptorum notitia immortalem jam sibi famam peperit, seræque posteritatis plausibus dignissimus existimatur.

Pag. 180.

DELLE OBBLAZIONI ALL' ALTARE

Dissertazione Storico-Teologica.

h. e.

DE OBLATIONIBUS AD ALTARE DISsertatio Historico-Theologica, in duas Partes divisa, Autore FRANCISCO BERLENDI, C. R. Teatino.

Venetiis, impensis Angeli Pasinelli, 1733, 4.
Alph. 1 plag. 12½, cum Tabb. æn. 5.

Seneca in *Epist. 39* egregie monet: *Si videris, quam multi tibi laboraverint, concupisces & ipse ex illis unus esse.* Hujus moniti memor Autor Rev. ad hoc Opusculum in lucem proferendum appulit animum. Dissertatio ipsa in *duas* abit *Partes*. In *priori* disseritur de oblationibus communibus, quæ inservierunt tum materiæ sacrificii, tum alendis viris ecclesiasticis, de ritu offerendi, recipiendi, distribuendi, ac varietatibus accedentibus, de numero Missarum pro vivis ac mortuis; in *posteriori* exponuntur momenta & tempora, quibus suadentibus oblationes communes successerunt particularibus, earum usus varius ritusque diversi, per Seculorum decursum indicati, abusus oblationum, ac remedia, eis subinde opposita. Oblationum originem Autor ex legibus Leviticis ac Judæorum more derivat, ratus, *Irenæum* sibi jam præiisse *Lib. IV Cap. 34*, qui oblatis nomen indit *muneris ad altare*, finemque in *colendo*
Pag. 2. *Deo* consistentem adjungit. Dividit Noster oblationes trifariam, ita, ut eæ complectantur 1) oblationem rei inter vivos factam Deo vel ecclesiæ, e. g. decimarum, primitiarum; 2) donationem mortis causa, aut aliam ultimæ voluntatis dispositionem; oblationem usualem, quæ fit ad altare, vel ad manus sacerdotis, ut inde fiat sacrificium. De tertia specie hæc suscepta est tractatio. Qui indolem ecclesiæ primæ Christianæ haud ignorant, arbitrantur omnino, munera a divitioribus, præcipue vinum & panem, in medium fuisse allata, ut inde symbola evcharistica desumerentur, presbyteri alerentur, indigi inopesque reficerentur. Necessitas ritum invexit, nulla Leviticæ legis conformitas. Cum vero Episcopis & Presbyteris probari hierarchicus principatus, de cujus gliscente initio jam *Paulus* conqueritur, cœpisset, ad schema Sacerdotum Leviticorum provocarunt, ut autoritatem sibi conciliarent maximam. *Cyprianus* inprimis hoc schema urgere cœpit acriter. Successu
4. temporis obtulerunt Christiani ad mensas sacras duntaxat panem & vinum; qui plura obtulerunt, seu piis usibus consecrarunt, in hæreticorum album fuerunt adscripti. *Artotyritæ* voca-

vocabantur, qui offerebant panem & caseum. Verum ea denominatio ad libidinem hæretificationis referenda est, siquidem inde a Seculo secundo ad nonum usque *lac & mel* quoque fuerunt oblata ab eis, qui orthodoxi fuerunt existimati, testibus *Tertulliano de Corona militis Cap. 3, Bollandi Actis Sanctorum ad XVIII Febr. pag. 63, & Joannis Mabillonii Museo Italico Tom. I Part. II pag. 75.* Veteres vinum aqua mixtum obtulerunt ad eucharisticum epulum inde conficiendum, lactis oblatio prohibita Seculo septimo Bracarensi Synodo, dummodo Canones sint genuini. *Innocentius VIII* Norwegis permisit licentiam *calicem sine vino consecrandi, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat*, teste *Volaterrano Lib. VII Geog. Cap. de Saxonibus.* Concertant doctores rei moralis apud Pontificios de eo, an integritas consecrationis eucharisticæ adhæreat & affixa sit speciebus panis ac vini non solum de Jure Ecclesiastico, sed quoque de Jure divino. Matrona a risu sibi temperare haud poterat, cum ex manibus *Gregorii M.* panem a sese antea factum reciperet, dicens: *Panem, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas*, teste *Joanne Diacono* in *Vita Gregorii II, 41.* Ad panes eucharisticos conficiendos olim singulæ familiæ ac domus farinam purissimam seligebant, ac sacerdotibus mittebant. Mulieres eos parabant, immunes jam a sanguinis menstrui profluvio & effœtæ. De forma panum eucharisticorum seu oblatorum nunquam certa obtinuit consuetudo in ecclesia. Autor de ea differit *§. VIII pag. 10 seq.* ac figuram haud unam æri incisam cum lectore communicat. Inter nostrates olim *Philippus Julius Rehtmeierus*, Ven. nunc Brunsuicensium Ecclesiastes, plures panis eucharistici figuras collegit edidítque in Diss. quam *de Oblatis eucharisticis, quæ hostiæ vocari solent*, Præside *Jo. Andr. Schmidio*, A. 1702 Helmestadii concinnavit ac defendit. Græcorum figuras dedit D. *Jo. Michael Heineccius* in *Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche Part. III Cap. 5 pag. 318.* Alios laudat *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibliographia antiquaria Cap. XI pag. 401. Figuras quatuor*, alibi haud facile obvias, e Commen-

Pag. 6.

7.

TAB. VI mentatione Autoris desumtas, in Tabula adjecta cum Lectore
Fig. 1. communicamus. *Prima* fuit desumta ex *Wanslebii* Historia ecclesiæ Alexandrinæ seu Copticæ Jacobitarum. Epigraphe ex *Es. VI* fuit depromta, ac denotat hæc verba: ἅγιος + ἅγιος + ἅγιος + κύριος + σαβεώθ + *sanctus. sanctus. sanctus. dominus. Zebaoth.* Jacobitæ credunt, per duodenarium crucium numerum Apostolos denotari. Medium vocant *isbodicon*, id est, *despoticon*, seu *dominicum*, puta corpus.
Pag. 15 seq. *Secunda* dicitur *Ildefonsi*, quia ea figura huic Episcopo A. 845 divinitus patefacta perhibetur, quemadmodum ipse hoc expo-
Fig. 2. suit in Opusculo suo de pane evcharistico, quod ex Codice Bibliothecæ Vaticanæ Cardinalis *Bona* describendum, ac ad P. *Joannem Mabillonium*, qui edidit, mittendum, curavit. Forma hæc est rotunda instar nummi: in uno latere apparet crux cum literis α ω: in aversa parte legitur nomen Sospitatoris optimi XPC, hoc est, *Christus*. Huc respicit *Honorius* Augustodunensis in libro, qui inscribitur *Honor Gemma animæ Cap. 29*, ita disserens: *Panis ideo in modum denarii formatus, quia Panis vitæ Christus pro denariorum numero tradebatur, qui verus denarius in vinea laborantibus in præmio dabitur, ideo imago Domini cum literis in hoc pane exprimitur, quia & in denario imago & nomen Imperatoris scribitur, & per hunc Panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen nostrum in libro Vitæ notatur.* Ea igitur ætate jam
Fig. 3. imago Christi literis ipsis fuit juncta. Tempore *Chrysostomi* in mensa sacra nil nisi crux apparuit, in purpuris crux, in mysticis cœnis panis cruce signatus occurrit. Hæc *figura* est *ter-*
Fig. 4. *tiæ* nostræ interpres. *Figura quarta* exponitur ita ab *Adolpho* quodam apud *Cæsarium Lib. IX Cap. 3*: *In ipsa hostia virginem in sede sedere, infantemque in sinu servare contemplatus est.* Panis evcharisticus, figura impressa insignis, *formata* dicitur a *Durando Lib. IV Cap. 41*, ac in Ordine Romano. Satis diu tamen in Romana ecclesia panis integer fuit usui sacro consecratus, ac deinde propter distributionem commodiorem
Pag. 17. fractus. Cardinalis *Umbertus* ita disserit tempore *Nicolai II* apud *Canisium Tom. III pag. 294 ed. recentiss. Sancta Roma-*

na

TAB. VI ad Nov. ...



Fig. IV.



T

Pa

P

na

na Ecclesia usque nunc observat: panem integrum benedicit, & fractum singulis particulatim distribuit, dicens: accipite, & comedite, hoc est Corpus meum. De liturgia, in qua fracti corporis Christi fit mentio, haud ita pridem Mediolani dissidebant viri docti. Sed ea hinc fœneratur lucem. *Anastasius* de *Melchiade*, sub finem Seculi quarti defuncto, hæc habet: *Hic fecit, ut Oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur Fermentum.* Eo ipso Pag. 18 seq.
decurrit Autor ad quæstionem illam, an olim semper fermentato pane evcharistico Romana ecclesia fuerit usa. Cardinalis *Thomasius* credit, per fermentum illud fermentatum panem evcharisticum omnino esse intelligendum, cui accedimus cum *Francisco Blanchinio*, ac Rev. Autore nostro. Vas illud, quo 20.
antiqui evcharistiam ad alios deportabant, vocabant *sacculum super planetam.* Ut vinum evcharisticum fieret purum, veteres colatoria adhibuerunt, quibus vinum transfundebant ac defecabant. *Blanchinius* in Notis ad *Anastasium Tom. II Sect.* 23.
18 pag. 179 duas produxit colatorii figuras, & ex eo is, quem jam laudamus, Autor. Instrumentum illud vocatur in rituali S. *Martini* Turonensis *Sion. P. Martene* ignoravit hujus vocis potestatem. Noster docet, vocem illam Venetiis esse notissimam, ac notare tubum, per quem vinum extrahitur ex uno dolio in alterum. Calix cum fistula ejusmodi dicitur ab *Anastasio* in Vita *Leonis III calix cum scyphone.* Per scyphonem 24.
intelligimus siphonem, per quem aqua in vinum infunditur, & vinum ipsum defecatur. Vocatur ille alias *cola.* Vinum album videntur Christiani primi adhibuisse sacræ cœnæ ob locum *Irenæi Lib. I Cap. 9 adversus Hæreses. Benedictus XIII* 26.
jussit præferri rubrum, si potuerit comparari, ratus, id sanguini Christi magis congruere. Alii prætulerunt album, ut munditiem altaris ita conservarent cautius. Christianos primos vinum aqua temperasse evcharisticum, neminem fugit. Distinxerunt veteres anxie inter illos, quorum oblationes essent recipiendæ, vel non recipiendæ. Qui symbolis evcharisticis po- 33.
tiri legitime haud poterant, eis haud licebat oblationes altari afferre seu admovere. Seculo V jam Episcopi eis, quos pro 39.

improbis habebant, interdicebant communione evchariſtiæ, & reſpuebant ipſorum oblationes. Notum eſt *Auguſtini* exemplum ex *Epiſt. VI.* Vocamus illam ſeparationem a communione merito *excommunicationem*, cujus originem & conſenſionem Noſter a Gallorum inſtitutis repetit, apud quos, *Caſare de B. G. Lib. VI* ita docente, privatus aut populus, qui decreto
Pag. 48. Druidum haud paruiſſet, a ſacrificiis abeſſe debebat. Priſcis temporibus patres munera ſilentio obtulerunt altari; poſtea vero additæ ſunt certæ formulæ. Oblata recondebantur in locum a ſacra menſa diſtinctum. Græci vocant *πρόθεσιν*, Romani *oblationarium*. Hinc tractatio deflectit ad patinas & calices *pag. 51 ſeq.* & ad modum ſumendi ſymbola conſecrata:
55. ad fiſtulas, per quas plebeji vinum conſecratum percipiebant:
57. ad ritum reſervandi ſymbola conſecrata ad conſuetudi-
59. nem primæ eccleſiæ, cujus homines quotidie ad ſacram cœ-
62. nam adhibebantur: ad morem, quo per Secula multa panis evchariſticus laicis quoque fuit datus. Memorabilis eſt locus *Walafridi Strabonis de rebus eccleſ. Cap. 26*, quem Autor, neſcimus, quam ob cauſam, affert: *Notandum, primis temporibus ſolummodo illis Baptiſmi gratiam dari ſolitam, qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut ſcire & intelligere poſſent, quid emolumenti in Baptiſmo conſequendum, quid confitendum, atque credendum.* Videtur Autor id ipſum pro vero reputare, ut eo majorem eccleſiæ conciliet ex immutatione conſuetudinis autoritatem. Miniſtri eccleſia-
63. rum olim vivebant ex oblatis & ſtipe menſtrua. Epiſcopus hæc deinceps inter miniſtros eccleſiæ ſolebat diſtribuere; pars vero cuique obtingens vocabatur *ſportula menſtrua.* Hinc ad
72 ſeq. ſportulas fratresque ſportulantes divertitur oratio. Canonicos primos vitam monaſticam obſervaſſe, tradit Noſter *pag. 78* cum *Jacobo Gretſero* in Notis ad *Lib. I Cap. 17 Vitæ S. Willi-*
113 ſeq. *baldi.* In *Parte ſecunda* de ſtipendio Miſſæ diſſerit, quod quoque *honorarium* & *denarius* dicitur. Nam oblationi panis & vini, a laicis antiquitus fieri ſolitæ, ſucceſſit tandem eleemoſyna pecuniaria presbytero facta, quam ſtipendium vocant. De donationibus *pro remedio animæ* varia hic & exquiſi-

quisitiora & jucundiora afferuntur, quæ penes Autorem legi malumus, dolentes, Indicem, Opusculo subjectum, nimis esse circumscriptum, nec exspectationi usurorum hoc libro satisfacturum. Pag. 115 seq.

D. JOANNIS GUILIELMI HOFFMANNI Meletematum Academicorum ad Pandectas Semestria duo, in quibus multa Juris civilis loca illustrantur atque emendantur.

Francofurti ad Viadrum, apud Jo. Godofredum Conradi, 1735, 4.
Alph. 2 plag. 3½.

Collectæ sunt in hoc *Meletematum* Volumine Dissertationes XXXII, quas Autor per anni spatium in Academia Viadrina publice ad quinquaginta Pandectarum libros habuit. Consilium ejus & Præfatio indicat, & ex unaquaque harum Dissertationum manifestum est, examinandi nimirum dubiam Digestorum scripturam, componendi variorum librorum lectiones, conferendi Græcos cum Latinis, & remediis, quæ Crisis licita & concessa suppeditat, ægris locis, si fieri posset, curam adhibendi. Delectatur præsertim notissimo literas, syllabas, & voces, geminandi auxilio, cui eo certiorem sperat veniam, quo per illud in textu existit mutatio minor, aut potius nulla. Dabimus ejus tentaminis exempla quædam. Ita v. c. in *l. 3. D. de rit. nupt.* verba *Pauli*: *Si nepotem ex filio & neptem ex altero filio in potestate habeam, nuptias inter eos (me) solo autore contrahi posse, Pomponius scribit, & verum est*; per legem geminationis accipit *solOAUtore*, id est, *solo auo autore.* Porro *l. 4 §. 5 D. si servit. vindic. Nam, si & arborem impendentem habeat vicinus, quAVIAM vel iter invium vel inhabile facit*, hoc est, *qua viam aviam vel iter invium* &c. Dein apud *Paulum l. 2 D. ad exhib. Exhibere est faceRE In publico potestatem*, id est, *facere rei in publico potestatem.* Similiter apud *Alfenum Varum l. 27 de con-*

 dit.

dit. & demonstr. verba, quæ tentarunt ſæpe alii, *tametſi in ſcriptura non tum eſſet*, quæ *Fornerius* legi jubet *non notum eſſet*, *Bynckershœkius non tam eſſet*, Noſter, binis literis duplicatis, effert *non TUm eſſet*, id eſt, *non tutum eſſet*. Iterum apud *Paulum l. 38 ad SC. Trebellian. Non eniM SOLUtio eſt hæreditatis reſtitutio, ſed & ſucceſſio, cum obligatur*, id eſt, *Non enim ſolum ſolutio* &c. Verba *Papiniani l. 20 de Compenſat.* in quibus ſine idoneo ſenſu legitur, *quoniam ea non compenſatur*, ita geminat, *quoniam eANON compenſatur*, id eſt, *quoniam e annona non compenſatur*. Mox apud *Ulpianum l. 4 §. 6 de minor. XXV an.* verba, *dico, debere eum audiri in integrum ſe reſtituentem*, per ſimilem ἀναδίπλωσιν accipit, *ſe reſtITUentem*, id eſt, *ſe reſtitui tuentem*. *Papiniano* etiam hoc remedium adhibet *l. 25 de conſtit. pec.* Ait ille: *Dixi, non eſſe audiendum, ſi velit hodie conſtitutæ rei fidem frangere*, quod ſecundum antiquæ orthographiæ rationem ita reſtituit, *ſi velit hodie conſtitutaEREi fidem frangere*, id eſt, *conſtituta ere* (ſive *here* vel *heri*) *rei fidem frangere*. Item apud *Paulum l. 29 §. 2 de pignor. Domo pignori data & area ejUSTEnebitur*, id eſt, *domo pignori data & area ejus uſta tenebitur*. Addamus binas geminationes ad binas leges ex tractatu de Regulis juris. Nimirum *l. 26 de R. J.* geminat: *Qui poteſt invitISALIenare, multo magISEt ignorantibus & abſentibus poteſt*, hoc eſt: *Qui poteſt invitis aliis alienare, multo magis eis & ignorantibus & abſentibus poteſt*. Et apud *Paulum l. 167 de R. J. Qui juſſu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facerEQUIParere neceſſe habet*, id eſt, *dolo malo facere, quippe qui parere neceſſe habet*. Attulit hujus generis in medium alia permulta, de quibus eo facilius a judicibus æquis aſſenſum ſperat, quo certius eſt, librarium Florentinum hoc ſcribendi compendio per geminationem reſolvendo infinitis locis uſum eſſe, quorum multa jam indicarunt *Taurellius*, aliique. Utitur vero præſertim hoc remedio ad conciliandas varias Florentini & vulgatorum librorum lectiones, nec raro geminationem ſuam autoritate Baſilicorum confirmat ac tuetur. Aliquando majus aliquid audet,

&

& ad mutationem unius literæ aut syllabæ descendit. Ita in *l. 25 §. 6 de Ædil. Edict.* pro *imitatione* legit *incitatione; l. 12 §. 4 qui pot. in pign.* pro *servetur* substituit *versetur;* in *l. 52 §. 1 pro socio*, ejusque verbis, *pretium enim operæ artis est velamentum*, pro *artis* legit *partis*; in *l. 7 §. 1 ad L. Aquil.* pro *capite* reponit *lapide*, & quæ sunt alia plura. Conjecturas eas vero sæpenumero Basilicorum testimonio confirmat, quorum allegatione vix ulla pagina vacat, ut facile unicuivis manifestum sit, Autorem ubivis Græca cum Latinis contulisse, & horum discrepantiam illorum beneficio diremisse aut conciliasse. Præterea innumeris locis Basilicorum nævos notat & corrigit, tum quos interpretes ipsi, tum quos editores & quondam librarii commiserunt; aliquando etiam de correctionibus, quas in medium protulerunt alii, sententiam dicit. Atque, ut in ejusmodi conjecturis facile incidere possumus in eas, quæ ab aliis jam sunt occupatæ, ita in calce Dissertationis XXIV, & in Præfatione, ipse significavit, quæ a se excogitata invenerit postea apud alios. Applaudimus nos eximiæ industriæ Consultiss. Autoris, qui, si ita porro, quod precamur, integris ingenii corporisque viribus utatur, atque ita explicare doctrinam haud vulgarem limatissimis scriptis pergat, videtur nobis brevi eam inter nobiliores Juris Romani interpretes famam consecuturus, ad quam nostra hac ætate adspirare, nedum pervenire, oppido paucis contingit.

DE MORBIS VENEREIS LIBRI SEX: IN quibus differitur tum de origine, propagatione, & contagione borumce affectuum in genere, tum de singulorum natura, ætiologia, & therapeia, cum brevi analysi & epicrisi Operum plerorumque, quæ de eodem argumento scripta sunt: Autore JOANNE ASTRUC, Regi a Consiliis medicis, Archiatro AUGUSTI II, gloriosæ memoriæ Poloniarum Regis, S. R. I. Electoris,

& Ducis Saxoniæ, Medico ordinario Sereniſſ. Principis Ducis Aurelianenſis, & in Regio Franciæ Collegio Profeſſore Medico.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Guilielmum Cavelier, 1736, 4. Alph. 3 plag. 5.

Illuſtris Autor, longo & felici in re medica exercitio uſus, & inſigni elegantiorum, quales ad Medicinam faciunt, ſcientiarum ſupellectile inſtructus, ſi quis alius, de nobiliſſimo hocce argumento cum ſucceſſu agere & commentari potuit. Nec mirum, eidem, cui quotidianum fuit, morborum hujus indolis atroces effectus, naſcendi conditionem, cauſarum nexum, rimari, atque efficaciorum remediorum ſelectum experiri, plurima, quæ hactenus de eodem negotio inter eruditos ſcripta & pertractata fuerunt, mutila videri & manca, vel certe non omnibus numeris abſoluta. Inde antiquiorum, quorum tempore lues iſta Europam invaſit, in diagnoſi cauſarum æque, ac efficaciori therapia, taxatur oſcitantia, nimiusque Mercurii, ne venenum eſſet, metus; recentiorum vero non minus improbatur inconſtantia, qua ſententiarum ſuarum noviter excogitatarum tenaciores, id omne, quod rectius dictum erat olim, denuo, ornatius, quam verius, declamant, quorum omnium ſcripta, anguſtiora plerumque, quam ut tanti ambitus pathologiam continere poſſint, limam poſtulare viſa ſunt Autori, quem in hocce argumento claſſicam prorſus autoritatem in poſterum habiturum omnibus proponimus. *Primo Libro* morbi, Europam invadentis, hiſtorica variis ſuis ætatibus præmittitur enarratio, & ab ipſo ovo dicendi initium fit, declaraturque, nec Græcis, nec Romanis, multo minus ſacris literis, quarum Lepra ſui generis morbus extiterit, quidpiam de peſtifera hac lue notum fuiſſe. Favent huic aſſerto Medicorum, Poetarum, Hiſtoricorum, ſilentia. Neque enim, qui aphrodiſiacorum omnium diſſoluti fuerunt præcones, Poetæ amatorii, temperaturi ſibi a maledicentia fuiſſent, ſi tam amplam conviciorum ſcommatumque ſegetem, qualia hac noſtra ætate in Venereos

evo-

evomuntur, habuissent; nec modestior *Regnero*, Satyrico, *Horatius*, nec verecundiores *Maroto*, *Rabelæsio*, aliisque, *Catullus*, *Martialis*, *Persius*, suo quilibet tempore extitissent. Explicantur quædam pro antiquitate morbi allata ex Græcis aque ac Latinis, *Hippocrate*, *Galeno*, Medicis, *Herodoto*, *Suetonio*, Historicis, loca, &, si qui antiquorum morbi, Elephantiasin puta Græcorum, seu Lepram Arabum, tantisper ad venereæ luis indolem accedere poterant, diversam omnino ab hac faciem obtinuisse declarantur. Conveniunt reliqua, quæ de ortu hujus morbi, variis ejus nominibus, modoque, quo increbuerit, dici solent, adduntur que curiosa plura alia, tum ex aliis, tum ex *Guilielmi Becketti* Dissertationibus, quæ habentur *Transactionum Philosophicarum Voluminibus XXX* & *XXXI*, depromta, contra cujus pro antiquitate domesticæ & sub nomine *Burning* inter Britannos cognitæ luis argumenta disputatur. Accedunt varia sancita pro avertendo per Galliam, cum primum divulgari inciperet, morbo. *Liber secundus* de contagione, natura, & therapeia morborum venereorum inscribitur, doceturque, ab initio luem veneream inter morbos epidemicos numeratam fuisse, donec familiarius haberi inciperet, siquidem compertum sit, non nisi proximo contactu de corpore in corpus migrasse, sive hæreditario jure a patre ad filium transierit, sive turpi consuetudine cum ulcerosis fuerit acquisita. Vim sui multiplicativam habet virus venereum ad legem fermentorum, non aliter, ac pus variolarum, vulnusculo inditum, aut virus phalangii, quod tarantula audit, specificos quosdam semperque constantes effectus producit. Phlogistæ urentis, coagulantis, sed & fixæ, indolis virus istud esse declaratur, illud ex effectu destructionis corporum, hoc ex modo inficiendi, nam in dissita corpora agere nequit, clarum esse potest. Quamvis autem humores etiam sine contagio ardentis veneri naturam acquirere possint, fieri tamen vix solet spontaneum quodpiam veneris incendium sine contactu corporis virulenti. Sed non unam corpus subeundi commoditatem pestilens ille, quisquis is est, acidus, an verminosus, halitus obtinet, madore, spiritu, traductione per vasa lymphatica varia-

variarum corporis partium intromittitur: genitalia, lingua, gingiva, bucca, omnia, patent. Afficiuntur gravius, quæ veneno propius primoque loco tactæ fuerunt partes, & temeritatis, qua incendio accesserant, culpam luunt; verum pauco abhinc temporis spatio, quicquid adjacet, nisi restinguatur stygia isthæc flamma, in communionem mali abripitur. Doctissimus Autor, naturam fermenti hoc ipso assecutum fuisse virus istud, arbitratur, quod susceptibilia corpora in motus analogos ciere solet, prout fermentum panis, vini, & cerevisiæ, aliaque hujus generis orgastica corpora, id præstare solent. Mirum est saltem, qua ratione virus istud corpore susceptum delitescere in sanguine, suamque nocendi efficaciam abscondere, donec nocentiùs sæviat, possit; sed illustratur id ipsum ex doctrina hydrophobici, aliorumque venenorum, quæ latentem in herba anguem fere semper imitari solent, si successiva fuerint, invenerintque resistentes puritate sua humores, qui corrumpendi sunt paulatim. Variis curationibus mali impetum refrænari, contenderunt varii temporis Medici. Recensentur plures methodi, inter quas prima est Guajaco administrata, quam prædicat *Ulricus Huttenius*, qui in se ipso experimentum cum successu fecerat. Ingeniosa magis visa fuit cura paulo post: diætam ordinasse, venam incidisse, primarum viarum vitia correcta dedisse, decoctis, Apozemate, sero lactis, aliisque, vitium sanguinis abluisse: pustulas balneo, dolores ardoresque linimento, sublevasse. Accedebant Cauteria, & plures aliæ ægrorum carnificinæ. Hactenus haud incognitæ virtutis fuerat hydrargyrus, verum paucioribus in salutem cesserat, fatente *Huttenio*, *vix centesimum quemque levatum fuisse, recidivo utplurimum malo.* Inde e Plantis salus quæri cœpta est. Inclaruerunt scilicet circa illa potissimum tempora Lignum sanctum & Sassafras, Chinæ & Sassaparillæ radices. Verum leniora isthæc remedia mali atrocitatem superare vix poterant; inde Hydrargyrus principatum denuo obtinuit, utut ab antiquis damnatus, nec tamen statim ad interiora corporis admissus, sed exteriori saltem curæ ulcerum sub forma unguenti adhibitus, vel cerato aut suffu-

ſuffumigio applicatus. Paulo tardius cœptum eſt Mercurio uti ad interiora, & primum quidem, præcipitatum ejus rubrum ſub nomine pulveris rubei *Joannis de Vigo* inclaruit, inde & crudus ad Pilulas Barbaroſſæ dictas componendas cum Reſinis purgantibus acceſſit. Multiplex nunc eſt illius remedii uſus, nec inferior fama, dummodo cautelæ practicæ haud negligantur, familiaritate, quæ hodie pluribus cum Hydrargyroſi intercedit, metum prorſus excutiente. Conſiſtere videtur Autori Hydrargyri efficacia potiſſimum in virtute ſanguinem atterendi, vaſa corporis ſanguifera atque lymphatica ſecretoria minimis minora permeandi, ſalivam potiſſimum movendi, quæ remedii vis mechanice declaratur ex fluiditate, indefinita parvitate, & ſpecifico pondere Hydrargyri. Ipſorum morborum, a Venere nomen habentium, ætiologia, diagnoſis, prognoſis, & therapeia, per ſingula capita eundo, exhibetur *Libro* Operis *tertio*. Largiendum hoc eſt Eruditiſſ. Autori, neminem hactenus ea cura, atque adeo ſollicita circumſtantiarum enarratione, de morbis hiſce egiſſe, ut de primatu cum eodem contendere auſit. Præmittitur ampla deſcriptio & hiſtoria morbi, ſedes mali, differentiæ, cauſæ, allegantur, nihilque ex Anatomia potiſſimum omittitur eorum, quæ ad plenariam evolutionem rei ullo modo ſpectare poterant. Accedit *Libro V & VI* Index Chronologicus Autorum, qui de lue venerea ſcriptis inclaruerunt, ab ineunte morbo ad hæc noſtra tempora, cum brevi Operum analyſi, epicriſi, & ſeveriore haud raro caſtigatione.

THE PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS, from the year 1720 to the year 1732 abridged, &c.

h. e.

ACTA PHILOSOPHICA AB A. MDCCXX usque ad A. 1732, in epitomen redacta, & per Capita generalia diſpoſita, a REIDIO & JO. GRAY, A. M. & Reg. Soc. S.

Voluminis VI Partes II, III, & IV.

Londini, apud Guil. Innys & Rich. Manby, 1733, 4.
Alph. 3 plag. 20, cum Tabb. æn. 15.

Primam hujus *Voluminis Partem*, in qua Schediasmata Mathematica collecta sunt, recensuimus in *Actis Anni* superioris *Mense Martio pag. 125 seq. Parte II* scripta physica comprehenduntur. *B. Taylor, Desaguliers*, & *Triewald*, in cohæsionem corporum inquirunt. *Gray* experimenta electrica, *Fahrenheit*, *Nettleton*, *Celsius*, *Graham*, *Cruquius*, & *Poleni*, Observationes varias Barometricas & Meteorologicas exhibent: *Desaguliers* de adscensu vaporum, & formatione nubium & pluviarum, agit: de effectibus fulminum singularia quædam exempla afferuntur: de frigore, mense Jan. A. 1731, *W. Derham* disquirit: idem de igne fatuo notatu non indigna recenset. Sequuntur multorum Observationes de lumine sive aurora boreali; & nonnullæ de parheliis. *Ben. Langwith*, mane iter faciens, iridem vidit, humi jacentem, & ab illuminato rore formatam, cujus figuram hyperbolicam, & positum, (vertex enim admodum propinquus erat, & crura utrinque satis longe porrigebantur,) & reliqua phænomena, comparando cum ea iridem vulgarem, luculenter demonstrat. Idem, in vulgari iride interioribus colorum ordinibus varios alios debiliores contiguos se identidem observasse, memorat. *Is. Greenwood* effectus vaporum, in puteo quodam antiquo reparando obvios, exponit: *Desaguliers* de vaporibus & aere impuro ex fodinis extrahendis experimenta nonnulla affert. In *Hydrologicis* idem *Desaguliers* machinam describit, ad profunditatem maris certo & expedite dimetiendam; *Henr. de Saumarez* & *Th. Jones* de æstibus fluvii Thamesis; *Paulus Dudley* de cataractis fluvii Niagaræ in Canada, itemque de rivo in America absorpto; *Scheuchzerus* de origine fluviorum quorundam in Europa præcipuorum, item de lacubus Helvetiæ, disserunt. In *Minerologicis Fr. Nicholls* Observationes exhibet, ad historiam naturalem metallorum & mineralium spectantes; deinde de

variis

variis ſtratis, quæ in puteis & metallifodinis reperta ſunt, de cobalto, de adamante, de chryſtallis, de ambra, de petrefactis ſceletis humanis, de terræ motu, de inſula ex mari orta, de copioſo pumice in mari natante, de genere quodam ignis ſubterranei, de humo inuſitate ſubſidente, & de præcipitiis montium, tractatur. Sequuntur de magnete & de variatione acus magneticæ, *Taylori*, *Muſſchenbroekii*, & aliorum, Obſervationes. In *Botanicis* varia afferuntur ad Anatomiam & generationem plantarum pertinentia: *G. Cramer* de arbuſculis ex ligno putrido enatis; *P. Dudley* de malo, fructus ſine floribus ferente; *Thom. Fairchild* de motu ſucci in plantis; *Scheuchzerus* de parvitate plantarum Alpinarum; *W. Houſtoun* de Contrayerva; *Douglas* de Ipecacuanha, itemque de flore & cultura croci; *Seba* de cinnamomo; alii de oxyoide, de Muſa, de cereo Peruviano, & de aliis plantis rarioribus, verba faciunt.

Progredimur ad *Partem III*, Zoologica & Anatomica, Medica, & Chymica, complectentem. Hic, ut multa alia omittamus, *Hans Sloane* de duobus cornibus inuſitatæ magnitudinis, in cella quadam nuper repertis, erudite diſſerit, perquam probabile eſſe, demonſtrans, ea fuiſſe cornua ingentis alicujus bovis Æthiopici, cujus, poſt *Agatharchidem*, *Diod. Siculus*, *Strabo*, *Plinius*, *Solinus*, *Ælianus*, & ex junioribus *Ludolphus* noſter, mentionem faciunt. Idem de dentibus atque oſſibus Elephantinis, paſſim ſub terra repertis, accurate exponit. *W. Rutty* hiſtoriam naturalem cochenillæ & cocci Polonici perſequitur. *Fr. Nicholls* cancrum marinum hermaphroditum deſcribit, quem, propter exemplum oppido rarum, in vitro & ſpiritu diligenter aſſervat. Et quidem in animalibus, in quibus partes, generationi deſtinatæ, cum externæ, tum internæ, cum in maribus, tum fœmellis, duplices reperiri ſolent, ut in cancris & quibusdam avium generibus, non dubitat doctiſſimus Vir, veros exiſtere hermaphroditos poſſe: in ceteris id recte negari putat. Primo autem cancrum marem, itemque fœmellam, ante oculos ſeorſim ponit, & ſchematiſmo illuſtrat,

 ut

ut de partibus genitalibus utriusque sexus, & de harum partium naturali duplicatione, rite constare possit: deinde cancrum suum hermaphroditum delineat, ostenditque, si a capite ad caudam bifariam dissectus concipiatur, totam partem dextram fœmininam, finistram masculinam, esse, singularibus, non duplicatis, existentibus utriusque sexus membris. Inter ea, quæ de variis morbis atque affectibus corporis humani agunt, inprimis memoranda videtur Observatio D. *Alex. Stuarti*, de morte viri, ex vulnerata vesicula fellis: quippe qua occasione Viro docto innotuit, ad motum intestinorum peristalticum, atque adeo ad chylum in vasa lactea, & ad ipsa excrementa protrudenda, bilem prorsus necessariam esse: nam ex motu illo cessante, & distensionem intestinorum, & suppressionem alvi, & alia symtomata, in homine, de quo diximus, orta esse, satis constitit. Omittenda sunt cetera, quæ in hac *tertia Parte* proponuntur; exempli causa, de singulari quodam nævo materno, de implantatione variolarum, de cataractis oculorum, de plica Polonica, de Bronchotomia, de usu pulmonum ad sanguinem rarefaciendum potius, quam condensandum, de hernia aquosa, de fœtu per anum excluso, de calculo in vesica dissoluto, & per urethram ejecto, de usu aquæ frigidæ in febribus, de aqua venenata ex foliis lauro-cerasi destillata, de spiritu vini æthereo, & de multis aliis, non minus utilibus, quam curiosis.

Restat enim, ut etiam de *Parte IV* mentionem faciamus: quæ partim Chronologica, Historica, & ad Antiquitates spectantia, partim miscellanea, continentur. Et primum quidem locum hic occupant Annotationes magni *Newtoni* ad editionem Gallicam Indicis sui Chronologici, ipso invito factam, atque annotationes sibi oppositas complectentem: ubi, in plerisque ac præcipuis capitibus suam mentem plane non percepisse adversarium, Vir summus ostendit. His subjunctæ sunt *Halleji* quædam Annotationes ad Dissertationes, quas *P. Souciet* Chronologiæ *Newtonianæ* opposuit. *Jo. Ward* de equuleo; *Rogerus Gale* de stilo & papyro veterum, itemque de Inscriptione quadam Romana, nuper inventa; *W. Stukely* de Romano pavimento

mento reperto; D. *Simon Degg* de sceleto humano inusitatæ magnitudinis, disquirunt. Ex Miscellaneis, quæ postremo loco occurrunt, Observationem *W. Cheseldeni*, admodum notatu dignam, afferre placet, de Juvene quodam nobili, ex suffusione, quam cataractam vocant, a nativitate cœco, deinde vero arte chirurgica feliciter sanato. Non dubitare plerique videntur, quin cœcus, cum primum nactus oculorum usum fuerit, illico res circumjectas distincturus, & pro iis agniturus sit, quæ sunt, quippe quarum formas & qualitates, coloribus tantum exceptis, jam antea tactu exploratas habeat. Sed, falsum hoc esse, cum ipsa ratio rite attendentem docet, tum experimentum in juvene illo, de quo diximus, factum, penitus confirmat. Habuerat ille, prius etiam, quam a suffusione liberaretur, obscuram quandam luminis & colorum perceptionem, sed res ipsas, earumque figuras & terminos, discernere prorsus nequiverat. Postea vero, quam videre cœpit, priores illæ colorum ideæ minime sufficiebant, ut per eas deinceps internoscere colores, oculis suis expositos, potuisset: itaque illos non eosdem putabat, quos antea iisdem nominibus designatos conceperat. Coccineum colorem ex omnibus unum judicabat pulcherrimum: ceteri, quo floridiores erant, hoc magis placebant. Nigrum initio aversabatur: &, quamvis paullo post eum facile ferret, tamen, interjectis aliquot mensibus, nigram conspiciens mulierem, ingenti horrore afficiebatur. De distantiis rerum principio judicare nullo modo valebat, adeo, ut, omnia objecta visus tangere ipsos oculos, perinde ut objecta tactus cutem, opinaretur. Gratissima autem ea habebat, quæ maxime polita & regularia erant: etsi de eorum forma haudquaquam poterat judicare, nec conjectura assequi, quid illud esset, quod in quavis re visa placeret. Cumque nullas res, quamtumvis figura & magnitudine differentes, internosceret, doctus ab aliis, quæ ea essent, quæ videret, quorum scilicet formam jam antea tactu satis perceptam habebat, omni studio advertebat animum, quo ea discernere deinceps oculis posset. Sed multitudine discendorum fiebat, ut complura identidem oblivisceretur, & c. c. in

 cane

cane a fele internoſcendo, diu multumque erraret. Mirabatur vehementer, homines, quos maxime amabat, non videri pulcherrimos, neque easdem res, ut tactu, ita viſu, gratiſſimas eſſe. Duobus fere menſibus elapſis, animadvertere oculis incepit craſſitiem & inæqualitatem corporum, quæ ante id tempus non aliter adſpexerat, quam ſuperficies planas, coloribus variegatas. Cumque deinde in corporum imaginibus depictis, quæ ſimilem inæqualitatem præ ſe ferebant, tactu tamen nihil inæquale deprehenderet, miratus rogavit, uter igitur ſenſus mentiretur? Effigiem patris ſui in perexigua tabella cernens, agnovit quidem admonitus aliquam ſimilitudinem, ſed non ſine magno ſtupore quæſivit, qui fieri poſſit, ut tam ampla facies in tam parvo ſpatio ſit expreſſa; quippe quod non minus abſurdum putaſſet, quam ſi vini amphoram in ſextarium infundere coneris. Ac principio quidem, quæcunque videbat, perquam ampla exiſtimabat: ampliora videns, minora facile concipiebat: majora vero, quam quæ terminis, quos videbat, continerentur, imaginari nullo modo poterat. Faſſus, conclave, in quo erat, eſſe tantum partem domus, minime tamen concipiebat, quomodo domus videri major, quam præſens conclave, poſſet: hoc eſt, ut nos illud interpretandum cenſemus, non poterat imaginari extenſionem, ea majorem, quæ totum oculum implebat: quod neque nos ipſos poſſe, ſatis certum eſt. Ante factam operationem chirurgicam vix alium fructum ex viſu ſperabat, quam qui legendo & ſcribendo caperetur, obſervans, ea re cœcos præſtare, quod in tenebris ſecurius agere, quam videntes, queant. Deinceps vero delectationem, a quovis novo ſpectaculo ortam, & gratum animum erga chirurgum ſuum, nullis verbis nullisque ſignificationibus ſatis exprimere potuit. Noviſſime etiam altero oculo ſanato, res, ad quas utramque aciem dirigeret, non illas quidem duplicatas, ſed tamen altero tanto fere ampliores, quam prius, ſe videre teſtatus eſt.

RECUEIL DES PIECES D'ELOQUENCE préſentées à l'Academie des belles lettres de Marſeille, &c.

h. e.

h. e.

COLLECTIO EXPERIMENTORUM ELOQUENtiæ, oblatorum Academiæ bonarum literarum Massiliensi, pro obtinendo Anni MDCCXXXIV præmio: cum panegyricis Orationibus, in mortem Ducis DE VILLARS, Academiæ Fundatoris & Protectoris, ultimo consessu publico d. 9 Dec. hujus anni habitis, & Elogiis historicis Academicorum, inde a condita Academia emortuorum.

Massiliæ, typis Petri Boy, Typographi Regii & Academiæ bonarum artium, 1735, 8.
Plag. 11.

Antiquissima Massilia, celeberrima & mercium, quas Archipelagus cum Africa vastusque Oceanus Galliæ oris mittit, & bonarum artium, mercatura, pristinam suam, quam olim obtinuit, famam æquare summis viribus magnoque rerum successu hac ætate annititur. Neque enim, nisi qua parte suis viribus potens & respublica esse desiit, ab illa, qua olim polluit, autoritate quidpiam remisit. Clementissimo Provinciæ nunc dictæ, olim Celtarum trans Rhodanum, cœlo sita, hyemis, nisi qua pluviis irrigua, injurias nullas persentiscit, magno & perenni montium jugo aquilonios impetus eludens. Mores Gallorum comitatem plurimum sapiunt, quos exterorum consuetudines (nam orbis concilium hac urbe agitur,) tantisper miscent. Fertilia scientiis ingenia proveniunt, quæ patriam, quæ Celtica est, Græco, Latino, barbaroque idiomate mixta, linguam dulcedine Gallici idiomatis temperant, & animos ipsos ad elegantiam & nitorem compositos efficiunt. Accipit jam a Gallis Massilia, quod olim ipsis dederat. Phoceæ Joniæ, Asiæ minoris provinciæ, populi patria profugi, autore *Athenæo*, navibus ad Rhodani ostium

oſtium appulerunt, condita urbe Maſſilia, inde Phocenſium filia *Straboni*. Inter maximas ſui temporis urbes recenſetur a *Plutarcho*, quæ Carthaginem æmulam haud raro navibus terruit, digna inde viſa, quæ ſoror Romæ diceretur. Plurimum certe Cæſaris claſſem exercuit Maſſilia, nec niſi libertatem caro venditam victori tradidit. Neque vero armis tantum celeberrima, ſed & ſcientiarum artiumque exercitio & doctrina præpotens, extitit, ſiquidem eodem tempore & Athenas & Maſſiliam ad perpoliendos animos juventus Romana miſſa fuit, inde Athenarum æmula dicta. Gallorum potiſſimum agros animosque novo cultu ornavit, omnesque paſſim gentes commercio illexit. Principi fida, muros, quos olim *Caſari* vix ceſſerat, a Medico *Crina* reſtauratos, contra *Carolum V* meliori omine defendit. Superſunt in ornatiſſimis urbis palatiis antiquiſſimi ſplendoris rudera, Græci Latinique idiomatis Inſcriptiones, a *Sponio* & *Grutero* ex parte recenſitæ, & a *Ruffo* in unum collectæ, quibus & armorum vis, & ſcientiarum, ad rem nauticam maxime ſpectantium, & ex ſchola Dendrophororum acceptarum, prout inventum in Abbatia Salvatoris marmor docet, nitor plurimum innoteſcit. Antiquiſſimam & Athenis æquævam Academiam, mirum eſt, a magno Galliarum Rege *Ludovico*, artes quidem, ſed arma plus, ſpirante, magno honore habitam non fuiſſe. Habita tamen fuit a ſucceſſore, tutelam ſuſcipiente, & inſtitutum promovente claro armis Duce *Villarſio*, cujus exceſſum merito lugent Academici, quorum lugubris eloquentia libello hoc continetur; nec difficile eſt judicatu, quod Oratorem maxime decet, ex vero doloris ſenſu locutos fuiſſe. Prædicantur heroica Ducis facta libero ligatoque ſermone, nec omittitur quidpiam eorum, quæ vel ad ornatum, qui linguæ nationis eſt, vel ad rei oſtentationem, facere poterant. Victos, proſtratos, internecione deletos, hoſtes undique legas. Dulci flumine decurrit doctiſſimi *Peyſonel*, fratre Medico, ſeque ipſo, clari, ſermo, & ſe formoſior ipſo eſt; *de la Viſclede* ita canit, ut melius, quicunque is eſt, nequeat; nullo incedit cothurno, nec alte volat,

lat,

lat, ſed, uti decet poetam, libero ſermone ornatius, nec tamen obſcurius, Herois ſui laudes effatur. Præmiſſi ſunt ſermones coronati, qui ſuperioris anni præmium eloquentiori deſtinatum, vel laudem huic propiorem, meruerant. Ad majorem lingua Gallica elegantiam adſpirare, quam qua nunc gaudet, vix poterit, habetque Maſſilienſis Academia, de quo ſibi impenſe gratulari poſſit, quod barbari ſui, qui nationi eſt, ſermonis duritiem eo usque evincere potuerit, ut Lutetiis eſſe, politiſſimorum hominum conſortio uſus Maſſiliæ, videaris. Eo usque deventum eſt, ex quo immortalem ſibi, inſtaurata antiquiſſima Academia, famam peperit *Villarſius*, id quod anno hujus Seculi quinto ſupra vigeſimum factum eſt, ſiquidem altero poſt primi Eloquentiæ fœtus prodierunt. Inde quovis anno ad ornate dicendum invitantur ſtatuto præmio, quicunque illi ſint, indigenæ, an exteri. Proponuntur publice Orationum argumenta, ſtatuitur brabæum ter centum librarum Gallicarum, qui aurei nummi, in honorem Conditoris cuſi, valor eſt; mittuntur ante ſtatutum deciſioni terminum, qui eſt *Ludovici* dies, Auguſti menſis vigeſimus quintus, labores, nec niſi, qui ante Calendas Maji mittuntur, concurrunt judicii die. Nominibus Autorum parcitur, ne ignominioſum ſit, non optime dixiſſe; nulla ſubſcribuntur ſchedulæ nomina, ſubſtituitur tamen quodpiam ſacrum profanumve lemma, quod nominis vicem gerit. Quem Academicus ordo reliquis eloquentiorem judicavit, huic in ædibus Academiæ ipſo criterii die publice ſummus honor decernitur. Una per ſeptimanam vice indigenæ Academiæ ſocii in ſuperbo, quod *Villarſius* condidit, armisque ſuis ornavit, palatio una ſunt, & de prælecto quopiam libello vota ordine conferunt, neque civibus tantum, ſed & exteris, ille honor habetur, qui in conſortium, ſi digni viſi fuerint, admittuntur. Sigillum Academiæ, etſi non libello huic additum, aliunde tamen nobis innotuit, nec indignum id judicavimus, quod in Tabula ænea exprimeretur. Amice conſpirat cum hac Academia Pariſienſis ejusdem nominis, & communibus juribus uſa utraque, ſocios mutuo admittit. Adjectæ ſunt his Commentariis vitæ & Elogia Sociorum trium, qui inde ab inſtaurata Academia diem ſuum obierunt, *Jo. Petri Rigordi*, Equitis Ordinis S. Michaelis, nat. d. 18 Jan. A 1656, mort.

TAB. VI Fig. 5.

mort. d. 20 Jul. A. 1727, *Josephi de Vaccon*, Abbatis, & Canonici Ecclesiæ cathedralis Massiliensis, nat. A. 1687, mort. d. 7 Maji A. 1731, & *Ludovici Gouffier*, Comitis *de Roanez*, mort. d. 22 April. A. 1734. Nominantur etiam sub libelli finem superioris anni Socii, in quibus cum voluptate legimus amicissimum Musis nostris, & inter Lipsienses æque ac exteros clarissimum, nomen *Jo. Ernesti Hebenstreitii*, Medicinæ in hac nostra Academia doctoris publici, quem, in itinere olim constitutum, & Massiliæ aliquot dies commorantem, dignum judicavit Academia, cui illustrem in Societate sua locum tribueret. Gratulamur publico nomine Gallis de uberrimo ingeniorum per omnes Provincias proventu, deque morum politura, & literarum elegantia, &, prout novimus, nec illis nostra displicuisse, ita acturi sedulo sumus, ne quid desideretur eorum, quæ nostra opera ad illos proficisci unquam potuerint.

PAULI ERNESTI JABLONSKII DISSERtationes Academicæ de Terra Gosen,

Francofurti ad Viadrum, 1736, 4.

Plag. 18.

Novo specimine insignem suam Linguæ & Antiquitatum Ægyptiacarum peritiam monstrat S. R. Autor, cujus Dissertationem *de Remphah*, non vulgari eruditione conspicuam, alibi jam recensuimus. Cum enim studiosorum Theologiæ quædam societas publice disputando vires periclitari, atque animum excolere, vellet, hoc maxime argumentum, nondum satis excussum, & e tenebricosa vetustatis nocte evolutum, selegit, ac variis exquisitis rarisque observationibus illustravit. Octo illud Dissertationibus intra annum absolvit, quibus uno fasciculo comprehensis, titulum typographi suasu præfixit, ut libellus videri possit. In *prima* earum exponit, quænam de situ terræ Gosen veterum ac recentiorum fuerint opiniones: ac, plerosque eruditos eam in extremis Ægypti inferioris finibus, Arabiæ & Syriæ vicinis, collocare, nonnullos vero in tractu Nomi Heliopolitani illam quærere, observat, & simul peculiarem opinionem Viri ingenio & eruditione florentissimi, *Hermanni ab Hardt*, qui in urbe Phacusa, sita in

Nomo

Nomo Arabiæ, & terram hanc & nomen ejus ſibi viſus eſt reperiſſe, examini ſubjicit ac convellit. *Secunda* in fundamenta hujus ſententiæ & rationes inquirit, ob quas ſitus illius regionis intra fines Ægypti inferioris collocatur. Harum alias cum deſumtas eſſe viderit a natura & indole terræ Goſen, qualem *Moſes* depingit, aliam a ſitu ejus, reſpectu vel Palæſtinæ, vel aliarum Ægypti regionum, aliam a Græca verſione, aliam a ſede regia tempore Iſraelitarum, in celebri Ægypti inferioris urbe Tani, ſingulas ponderat, & ad eas reſpondet. *Tertia*, verum terræ Goſen ſitum in tractu Heracleotico quærendum eſſe, oſtendit, & ex præſtantia illius regionis, fertilitate, optimarum rerum lætiſſima copia, olei nempe ac vini, teſtimonio *Strabonis*, *Plinii*, & aliorum, confirmat. *Quarta* ex indiciis a *Moſe* ſubminiſtratis illius terræ ſitum porro probat, ubi primo diſquirit, quænam Ægypti Metropolis fuerit tempore Iſraelitarum, ac rationes quasdam pro Heliopoli, quasdam pro Memphi, allegat, ſimulque nomina harum urbium Ægyptiaca ex lingua eadem docte explicat. Tranſit dein ad alias urbes, quarum in hiſtoria commorationis Iſraelitarum mentio fit, Rameſſam ſcilicet ac Pithom, quas tamen ad regionem Goſen pertinuiſſe negat, ac inter terram *Ramſen* & urbem ejus nominis diſtinguit. Illam ipſam Goſen appellari putat, ac in lingua Ægyptiaca *Regionem Paſtorum* notare oſtendit. Rameſſam vero urbem eandem cum Heliopoli eſſe, & *agrum ſolis* Ægyptiace ſignificare, arbitratur, cum & ipſum nomen Ægyptiacum hujus urbis *On* lucem denotet. *Quinta* ſententiam ſuam ſtabilire conatur, partim ex conſilio Dei, volentis, ut Iſraelitæ in Ægypto a reliquis ejus incolis ſeorſim habitarent, partim ex vento auſtrali, quem per רוח קדים notari cenſet, qui locuſtas miraculoſe in Ægyptum advexit, & occidentali, qui רוח ים vocatur ex ejus mente, & eas in mare rubrum deturbavit, partim ex via, qua Deus Iſraelitas per mare rubrum ex Ægypto proficiſci voluit. Hic de tribus ſtationibus, quas Iſraelitæ in eo itinere habuerunt, nempe in *Succoth*, *Etham*, & *Piachiroth*, diſſerit, & iſtam quidem æque ac *Pithom terminum maris*, hanc *locum*, *in quo magna copia graminis & herbarum provenit*, Ægyptiace notare obſervat. In eadem quoque de

 mari

mari rubro differit, per quod Israelitæ transierunt, & quod vocibus סוף ים putat innui, non lacum Sirbonitem, ut Vir quidam doctus supra allegatus sibi imaginatus est, simulque declarat, cur in Ægyptiaca versione *Mare Sari* illud appelletur. *Sexta* situs illius terræ Gosen in tractu Heracleotico, hodie *Phioum* dicto, ex vetustis Ægyptiorum traditionibus de *Josepho* & *Mose* illustratur, &, cum cautionibus quibusdam in illis observandis, probabilis redditur. *Septima* circa nomen terræ Gosen versatur, quam Ægyptiis idem sonare credit, quod Græcis *Heracleopolin*, hoc est, *terram Herculi sacram*, ac, ut alia in historia *Mosis* occurrentia nomina, *Potipharis*, *Asenethæ*, *Zophnat Paneach*, ex lingua Ægyptiaca derivanda esse ait, ita & de hoc simile judicium fert, ac ingeniose pariter & erudite copioseque probare annititur. Ea occasione & nomen urbium Ægyptiacarum, *Canobus*, & *Sebennitum*, interpretatur. *Octava* de statu idololatriæ apud Ægyptios, tempore *Josephi* Patriarchæ, vetustissimo, ac in specie de cultu *Herculis* & *Minervæ*, Ægyptis *Nit* vel *Neith* dictæ, commentatur. Ad hanc Ægyptiacam *Minervæ* denominationem refert nomen *Asnath*, *Gen. XLVI*, *41*, occurrens, filiæ *Potipharis*, quem & Ægyptiace summum *sacerdotem solis* denotare, ac idem etymon esse ab *Herodoto* & *Diodoro Siculo* dicti *Aprier*, Regis Ægyptiaci, *Hophra Jer. XLIV*, *30*, vocati, acute conjicit. Ibidem ex *Martiani Capellæ* Satyrico *Lib. II* verba obscurissima, & a nemine eruditorum huc usque explicata, & ad nomen solis Ægyptiacum, judice incomparabili Viro *Crozio*, pertinentia, allegat, & ænigma illud solvit, quod doctorum ingenia magnopere torsit. In fine alia quædam discutienda proximo anno pollicetur, quod ut fiat, vehementer optamus, ac, ut valetudinem & vires Deus ei clementer indulgeat, ad thesauros suos Ægyptiacos porro reserandos, & nobis impertiendos, vovemus.

TAURELLUS DEFENSUS, HOC EST, JAC. WILH. FEUERLINI, D. P. P Dissertatio Apologetica pro NIC. TAURELLO, Philosopho Altorfino, Atheismi & Deismi injuste accusato, & ipsius TAURELLI

RELLI Synopsis Aristotelis Metaphysices ob raritatem recusa, cum Annotationibus Editoris.

Norimbergæ, apud Jo. Adamum Schmidium, 1734, 4.
Plag. 15.

Qui, orbem literarium & ingenia summa atheismo laborare, sibi aliisque persuasum eunt, vulgo ac ingeniis imbecillioribus eam instillant opinionem, qua hæc in transversum aguntur. Quare & inconsiderati atheisticatores & athei, quorum atheismus est planus & demonstratus, generi humano æque sunt noxii. Qui hæretificationibus delectantur, minus peccant, quam ii, qui summis ingeniis labem atheismi adspergere conantur. Amorem & æquitatem generi hominum ii proinde præstant, qui ab atheismi macula liberant innocentes, certe haud convictos. Jure igitur suo præconiis maximis dignus est Ven. Autor, qui *Taurelli* famæ consulere, & famam sinistram ei impactam refellere, studuit. Et quid doctori Metaphysices magis est decorum, quam eos in notitiam cujusque producere, qui hoc subtilitatum Metaphysicarum antrum, veluti Augiæ stabulum, repurgare laudabili conatu jam dudum instituerunt? *Nic. Taurellus* in hisce reformatoribus merito nomen suum fuit professus, Medicinæ quondam & Philosophiæ in Altorfina Academia Doctor. Ut atheismus ei exprobraretur, in causa potissimum erat *Taurelli Synopsis Metaphysices Aristotelis*, quam atheismo infectam crediderat *Zacharias Victor* in *Topica* sua. Synopsis illa, a Ven. *Feuerlino* perlecta, ingenerabat longe aliam sententiam. Ipse Autor, ea lectitata, in eam veniebat sententiam, defendendum omnino esse *Taurellum*, pietatemque ipsius erga Deum injuste in dubium fuisse revocatam. Quare ante quinquennium *Synopsin Apologiæ pro Taurello* conscripsit, edidit, & in publica eruditorum Disputatione examini opponentium subjecit. Deinde recudendam curavit *Taurelli* Synopsin Metaphysices *Aristotelis*, Annotationibus subjectis suis, iisque selectioribus, ut lectores ex integra scripti compage de *Feuerlinianis* vel defensionibus, vel excusationibus, ferre possent judicium. *Jacobus Martinus* in *Partitionibus & Quæstionibus Metaphysicis Taurellum* sæpe refuta-

vit. Ex his ea, quæ ad *Taurellum* pertinent, investigavit distincte Ven. Autor, &, uberiorem *Taurelli* defensionem meditatus, hanc Dissertationem conscripsit apologeticam, cujus *Sectio prior* est historica, *posterior* autem philosophica. Hæc est origo libri hujus, cujus potiora jam delibabimus. Vitam *Taurelli* jam edidit *D. Jo. Jac. Baierus*, Altorfinus olim Medicus, nuper demum defunctus, qui in *Biographiis Professorum Medicinæ, qui in Academia Altorfina unquam vixerunt*, primo loco *Taurelli* vitam, ex scriptis ipsius quam maxime & singulari studio collectam, una cum scriptorum catalogo, exhibuit. Spicilegium nunc additur & ficilimentum. *Taurelli* nomen germanicum fuit *Oechslein*. Unde natus fuit
Pag. 9. versus: *Corpore Taurellus, Taurus es ingenio.* Ipse A. 1575 Basileæ Doctor fuit creatus Medicinæ, natus Monte Bellicardo. A. 1579 vicarius fuit Basileæ *Is. Kelleri* Professor. Religionis fuit Helveticæ seu Reformatæ. *Aristotelis* doctrinas & errores ejicere ex animo statuit, omnique conatu fuit enisus. Retinuit tamen, meliora substituere haud valens, dogmata nonnulla *Aristotelis* parum solida, minusque perspicua. Primus vero libertatem philosophandi in Germanicis Academiis adhibuit.
11 seq. Catalogus scriptorum *Taurelli* philosophicorum penes Editorem est quærendus. Accusatores *Taurelli* extiterunt *Zach. Vietor*, *Jacobus Martini*, *Scheiblerus*, *Calovius*, *Quenstedius*, *Lampius*, *Læscherus*, *Geretius*, *Elswichius*, rati, eum de providentia divina minus recte sensisse: porro Theologi Heidelbergenses, *Gisb. Voetius*, Autores Recensionum innocuarum & *Læscherus*, *Geretius* & *Reimmannus*, arbitrati, ipsum de attributis Deo perfectionibus minus curate docuisse. *Zacharias* ille *Vietor* fuit ortu Waldeccensis, præceptore usus *Rudolpho*
4. *Goclenio*, intimo suo posthæc amico, Stoicæ sectæ amator, lectione multorum librorum commendabilis, Conrector Susati A. 1606, Theologiæ & Jurisprudentiæ peritus, Logicæ cum *Ramo* duas assignavit partes, Inventionem & Judicium, *Taurellum* putavit de providentia sequi placita *Epicuri*, Stoæ doctrinis paululum refragantem. *Taurellus* enim ex sententia adversariorum statuerat, mundum a Deo tam perfecte fuisse fabricatum, ut correctore ac defensore perpetuo haud sit opus, nisi

forte res humanæ, quippe varietati fortunæ ſubjectæ, provi- Pag. 9.
dentiam exigant ſpecialem. Innumeri Diſputationum Acade-
micarum ſcriptores atro carbone *Taurellum* notarunt, quo- 14 ſeq.
rum bene multos excitat Editor. *Quirin. Reuterus, Barthol.*
Coppenius, Theologi Academiæ Heidelbergenſis, vocant *A-
theum illum Medicum.* Hoſce ſecutus fuit *Giſbertus Voetius.*
Reimmannus in *Hiſtoria Atheiſmi pag. 502* negat, a *Voetio*
Taurellum ejusque doctrinas atheiſmi fuiſſe accuſatas.
Verum hic oſtenditur contrarium. *Voetius* tamen atheiſ- 19 ſeq.
mi definitionem & diviſionem formavit tam laxam & latam,
ut omnes, quotquot in metaphyſicis & Theologia naturali vel
revelata ipſi errare videbantur, dici poſſent *Athei.* At atheus eſt
ille, qui, Deum haud exiſtere, plane negat. Qui de uno &
altero attributo, ac operationum divinarum modo, aliter ac al-
ter ſtatuit, num is ideo diſtincte docet, Deum haud dari? Qui
temperantiam *Julii Cæſaris* negat, num is ideo ſtatuit, nul-
lum exſtitiſſe *Julium Cæſarem*? Nec tamen negamus, attribu-
ta divina ad eſſentiam Dei pertinere ita, ut ab ea removeri
haud poſſint. Verum, ut unus eſt perſpicacior & ſolidior al-
tero, ſic etiam plura accurate demonſtrare poteſt attributa,
quam alter. Sæpius tamen de vocabulis eſt lis & controver-
ſia, quibus nulla reſpondet ſolida notio. Nec id mirandum
eſt, cum de *ſanctitate Dei* notionem diſtinctam & ſatis late pa-
tentem pauciſſimi teneant. *Voetius* hic dicitur primus eorum, qui 24.
de atheiſmo, inſperſis exemplis, peculiari ſcripto egerunt. Ac-
cuſatio in *Taurellum* formata ab Autoribus Relationum inno-
cuarum *A. 1701 pag. 196* eſt omnium formidoloſiſſima. *Taurel-* 25 ſeq.
liana e contrario ſcripta laudarunt *Simon Sulcerus, Herm. ab
Elswich*, *Mich. Piccartus, Jo. Vitenbogardus*, Arminianus, *P.* 30 ſeq.
*Balius, Antonius a Sotomajor, G. G. Leibnitius, Immanuel We-
berus, Jac. Bruckerus*, aliique. Si numero ſentientium eſſet
pugnandum, *Taurellus* foret jam plene abſolutus. Sed rationi-
bus allatis quoque idem erat abſolvendus, quæ *Sectione II* phi-
loſophica copioſe proferuntur. Autor *atheos* diſpeſcit in a- 37.
pertos atque occultos. Ad poſteriores refert *Epicurum* &
Spinozam. Diſtinctionem inter directos & indirectos omnem
rejicit. Athei conſequentiales noſtra ætate vocantur *Deiſtæ.*

Quæſtio igitur ſemper recurrit, an Deiſtà ſententiæ ſuæ erroneæ de providentia ac retributione Dei æquiſſima nexum recte introſpiciat, ejusque momentum intelligat, cum doctrina de exiſtentia ſummi Numinis comparatum. Si qui minus nexum illum introſpiciunt, ipſi non ſunt athei; doctrina autem ipſorum atheiſmo favet. Poſterius debite eſt demonſtrandum, haud ex tripode pronuntiandum, centenaque repetitione crepandum. Grammaticum & verborum expoſitorem hæc demonſtratio reſpuit; Philoſophum ſobrii & ſolidi judicii illa requirit. *Taurellus* ab atheiſmo fuit immunis, eo quod fuit Chriſtianus, in honorem religionis Chriſtianæ ab *Ariſtotele*
Pag. 39. ſuo receſſit, trinitatis dogma pro vero habuit, peccatum originis & ſatisfactionum Chriſti pro nobis admiſit. Erravit ſane, ſed erravit haud tam inclementer, quam plurimi ſentiunt. At providentiam Dei haud ſuſtulit, quin potius eam adverſus *Ariſtotelem* aliosque vindicavit. *Taurellus* conciſo admodum & ſententioſo ſtilo objectiones, ſæpe ſine addita expreſſa
42. objectionis nota, proponit, quæ facillime ipſius videantur ſententiæ, niſi ſubſequens reſponſio atque attenta & iterata lectio
46 ſeq. docerent, ipſas eſſe nil niſi objectiones. De concurſu Dei cir-
49. ca res creatas erudite Autor diſſerit. Immenſitatem, infinitatem, & omnipræſentiam, propugnavit *Taurellus*, tantum abeſt, ut eas Dei perfectiones in dubium revocaverit. Excuſatur & purgatur, imo ſolide defenditur, *Taurellus*, cujus quoque liber ſubjunctus fuit, cui eſt inſcriptio: *Synopſis Ariſtotelis Metaphyſices, ad normam Chriſtianæ religionis explicata, emendata, & completa, a Nicolao Taurello.* Editoris induſtria
51. variis locis lucem affudit. Ipſe monet, corpora, ſub quibus Angeli apparuiſſe leguntur in Codice ſacro, vera fuiſſe corpora, ſenſibilia, humanisque corporibus quoad partes externas ſimilia. Oracula, nato Chriſto, haud deſierunt, judice *Rubenero*, aliisque. *Ariſtoteli* immerito Atheiſmi inuritur macula. Rev. Autor eam removet ex *Metaph. Lib. XII Cap. 7, 8*, variaque lectu jucunda adſpergit.

Prodiere inde ab aliquot menſibus *Tomi II Supplementorum ad Acta* noſtra *Sectiones* priores *ſex*.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXXVI.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ΚΥΡΟΥ ΑΝΑΒΑΣΕΩΣ ΒΙΒΛΙΑ ἑπτα. *Xenophontis de Cyri Expeditione Libri septem. Græca recognovit, cum Codicibus MStis & omnibus fere libris editis contulit, plurimis in locis emendavit, versionem Latinam reformavit, Observationibus suis, Tabula Geographica, & Dissertatione, auxit & illustravit, Notas H. STEPHANI, LEUNCLAVII, Æ. PORTI, & MURETI, recensitas & castigatas, variantium lectionum delectum, Indicesque necessarios, adjunxit THOMAS HUTCHINSON.*

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1735, 4 maj.
Alph. 3 plag. 21.

Cui splendidissimam *Cyropædiæ Xenophontis* editionem, A. 1727 publicatam, & a nobis recensitam in *Actis A. 1730 Mens. Jul. pag. 307*, debemus, eidem nunc Viro doctissimo, *Thomæ Hutchinson*, alterum *Xenophontis* Operum Volumen, quod *Cyri expeditionem* complectitur, acceptum referimus. Satis fortasse hunc *Tomum* laudasse jam videremur, si tantummodo confirmaverimus, ad *prioris Voluminis* exemplum atque adeo formam compositum esse hoc *alterum*. Sed, quo minus a longiore nobis ejusdem laudatione temperare queamus, & ipsius Operis splendor, & instituti nostri rationes, efficiunt. Præmissa est pariter huic *Volumini* doctissima Dissertatio, in qua Cel. *Hutchinson* partim de Autore *expeditionis Cyri*, quem *Xeno-*

 phontem

phontem esse confirmat, partim de universo, quod Græci confecerunt, itinere, ubi ex Geographia eruditissime omnia, ab illis tacta, & in Tabula Geographica repræsentata, loca illustrantur, copiosius agit. In ipsis Græcis emendandis æque adhibuit omnes fere, quas habemus, hujus libri editiones, quæ melioris notæ feruntur. Insuper ad manus habuit Codicem manu scriptum, qui in Bibliotheca Etonensi asservatur, & cujus lectiones *Joannes Burtonus*, Collegii Etonensis socius, cum Cl. Editore communicavit. Cujus quidem Codicis beneficio lectionem vulgatam alias confirmavit, alias reliquit. Ex bene multis, quæ nunc accesserunt, Græcorum emendationibus pauca tantummodo in medium afferemus. *Pag. 201* pro ἐπιπολὺ, quod vulgo legitur, rescripsit Autor ex Codice, quem laudavimus, Etonensi, ἐπιτοπολύ. *Pag. 385* libri editi legunt, οἱ δὲ πολέμιοι προϊόντων, τέως μὲν ἡσύχαζον, sed lectionem, quam Noster exhibuit, προσιόντων, debemus eidem Codici. *Pag. 508* editiones pleræque exhibent δίκαια πάσχειν αὐτὸν, pro quibus *Leunclavius* non dubitat scripsisse *Xenophontem* δεῖν βίαια πάσχειν αὐτόν. *Stephanus* annotavit, in quibusdam Codicibus legi, βία χρῆναι πάσχειν αὐτόν. Unde scribendum conjecit, βίαια χρῆναι, quemadmodum & *Muretus* legit: sed, præeunte Codice suo, exprimendum curavit Cl. *Hutchinson* βίαν χρῆναι πάσχειν αὐτόν. *Pag. 542* vulgo legitur, οὗτοι δὲ προεῖχον ὡς δέκα στάδια, pro quo nunc est, οὗτοι δὲ ἀπεῖχον κ. τ. λ. Ibidem nunc habemus, ἂν πρὸς ἐκεῖνον ἴητε, cum vulgo esset ἦτε. *P g. 558* pro προελάσας, quod est in vulgatis, jam ex hoc ipso MSto Codice visitur προσελάσας εἶπε. *Pag. 555* nunc repræsentatur, μεθ' ἡμέραν μὲν γὰρ ἐν ταῖς πορείαις ἡγεῖται τοῦ στρατεύματος, pro quo adhuc editi habuerunt ἡγεῖσθαι. *Pag. 576* editiones optimæ ac pleræque legunt οὐδὲν ἂν ἔτι τοῖς πεποιημένοις ἄχθεσθαι. At nunc duce Codice hoc restituit Cl. Editor ἔτι τοῖς πεπονημένοις. *Pag. 377* in verbis, παρέχει δὲ ἡ θεὸς τοῖς σκηνοῦσιν ἄλφιτα, ἄρτους, οἶνον, ἀργύρια, τραγήματα, fide MSti nixus, nomen ἀργύρια ejecit. *Pag. 408* editi plerique omnes dant, οἱ μὲν ἄνδρες εἰ ἤρχοντο πορείαν. Quemadmodum vero *Stephanus* & *Muretus* particulam εἰ in οἵδε vel οὗτοι vertendam censuerunt, sic eam, beneficio Codicis, plane

omi-

omisit Noster, quod ipsum jam visum fuerat *Leunclavio*. *Pag.* 480 in editis libris visitur ὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερὰ καλὰ, sed, vocem ultimam cum non agnoscat Codex MStus, eam ejecit Cl. *Hutchinson*, & cum hic, tum alibi, additam pro scholio habet. *Pag.* 433 ex eodem MSto vocem ἄρχων revocavit, & exhibuit, ὅτι ἄρχων αἱρεθεὶς κατημέλει. *Pag.* 456 editi perperam adhuc repræsentarunt, ἐπεὶ ὅτωγε τῦτ᾽ ἔχει, cujus loci scripturam integram ex MSto, inserta particula εἰ, hoc modo refert, ἐπεὶ εἰ ὅτωγε τῦτ᾽ ἔχει. *Pag.* 499 editiones quædam veteres dederunt, οἱ παραπλέοντες ἄσμενοι κατεῖχον, *Stephanus* vero & *Leunclavius* κατέπεμπον. Sed elegantiorem nunc ex hoc eodem Codice demere datur scripturam κατῆγον. Quodsi ope Codicis, quem usurpavit, manu exarati multis locis lectionem novam restituit, non minus idem Doctiss. *Hutchinson*, ingenio & conjecturis ductus, faciendum sibi, licet omnino pro modestia sua rarius, existimavit. Quo factum est, ut in non paucis locis verba nunc *Xenophontis* & elegantius & intellectui accommodatius legantur. *Pag.* 416 in plerisque editis reperitur μισθὸν τῆς σωτηρίας. At, quoniam Codex Etonensis μισθὸν τῆς ἀπορίας refert, levi mutatione reponendum duxit Doctiss. Editor μισθὸν τῆς πορείας, sensu sane & planissimo, & rei convenientissimo. *Pag.* 489 prius legebatur in plerisque editionibus, τὺς μὲν ἐπὶ τὸ δεξιὸν ἔπεμψεν, ipse vero Codex Etonensis legit ἐπέτρεφεν, pro quibus eleganter, licet ex conjectura, reposuit Noster ἐπέταξεν. *Pag.* 475 Aldina & Florentina editiones exhibent, ἱκανὸν μυρίοις ἀνθρώποις οἴκησις, *Leunclavius* cum aliis loco οἴκησις dat οἰκήσειν, sed, utroque relicto, Nostro placuit οἰκῆσαι, præsertim cum idem jam *Stephano* in mentem venerit. Græcis *Xenophontis* verbis subjicitur æque, ac *priore Volumine*, interpretatio Græca, quam licet summo studio emendaverit correxeritque, non vult tamen propter *Amasæi* & *Leunclavii* merita in *Xenophontem* suam vocare. Interim non Latina solum illa est & elegans, verum etiam menti ipsius Autoris apprime respondet, ita quidem, ut palmam reddere dubiam non immerito videatur Viris, quos modo laudavimus, eruditissimis. In Annotationibus, infimam paginarum partem occupantibus, id egit Cl. *Hut-*

chinson, ut partim *H. Stephani*, *Leunclavii*, *Æ. Porti*, & *Mureti*, notas recenseret aut castigaret, partim ipsa Autoris verba ex diversitate lectionum restitueret, partim idiotismos & lectiones intellectu difficiliores, non omissis quoque penitus antiquitatum capitibus, explicaret. Hinc eodem, quo in *priore Volumine*, modo instituit rationes, &, quæ a Cl. *Raphelio* ex *Xenophonte* ad illustrandam N. T. G. dictionem notata fuerant, sedulo ac diligenter observat. Accuratissime pariter differentiam verborum apud Græcos mediorum & activorum hinc inde evolvit, & sententiam *Ludolphi Kusteri* de hoc argumento non laudat solum, sed & egregie confirmat. Quemadmodum vero id negotii sibi datum credidit, ut ex Annotationibus non eruditi magis, quam tirones, proficere possent, sic eo omnem contulit industriam, ut utrique generi pro virili satisfaceret. Addenda & corrigenda, ad calcem *Voluminis* exhibita, proxime sequuntur duo Indices, quorum primus mensurarum & ponderum, de quibus facta est in *Expeditione Cyri* mentio, exponit nomina, alter vero exhibet res memorabiles. Paucis adhuc monendum ducimus, varias lectiones Codicis MSti Regiæ Bibliothecæ Parisiensis n. 2535, cum editione *Henr. Stephani* A. 1581 collati, ipsi Operi præmissas esse, quoniam, licet beneficio Cel. *Bernardi Montfaucon* transmissæ, serius tamen allatæ fuerunt, quam ut suis quæque locis inseri potuissent. Dolet etiam Cl. Editor, & nos cum ipso dolemus, spem ipsius de impetrando exemplari *Xenophonteo*, quod in Bibliotheca latet Vinariensi, interceptam, aut saltem dilatam esse.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ΛΟΓΟΣ ΕΙΣ ΑΓΗΣΙΛΑΟΝ τὸν Βασιλέα. *Xenophontis de Agesilao Rege Oratio. Græca recognovit, cum Codice MSto Harlejano & omnibus fere libris editis contulit, plurimis in locis emendavit, versionem Latinam reformavit, Observationibus suis auxit & illustravit, Notas H. STEPHANI, LEUNCLAVII, Æ. PORTI, recensitas & castigatas, variantium lectionum delectum, Indicesque necessarios, adjunxit* THOMAS HUTCHINSON.

Oxonii,

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1735, 4 maj.
Plag. 13.

Quæ jam nunc de *Xenophontis* libro, qui eſt de *Cyri expeditione*, eoque a Cl. *Thoma Hutchinſon* edito, diximus, hæc ipſa etiam de Oratione *Ageſilao* Regi ſcripta a *Xenophonte*, ejusque hac editione, dicta eſſe volumus. Nam, quemadmodum Cl. Editori non alienum eſt viſum, *Cyri* expeditionem & *Ageſilai* laudes uno legi in Volumine, ſic in utroque Opere denuo evulgando idem inſtitutum, eandem tenuit rationem. Itaque eo breviores nunc erimus in percenſenda hac *Xenophontis* Oratione de *Ageſilao*, quod, ſive interpretationem Latinam, ſive Annotationes ſpectes Cl. Autoris, idem ipſis pretium, quod ſuperiori Volumini, ſtatuendum eſſe pronuntiamus. Quoniam vero in hoc quoque libello emendando uſus eſt Codice quodam MSto *Harlejano*, cujus copiam ipſi fecit Comes Oxonienſis, pauca licebit jam exempla proferre, quæ hujus Codicis ope Noſter emendavit. Itaque *pag. 32* ex hoc Codice repoſuit συνέβαλεν, cujus loco hactenus vulgati libri ſcripſerunt συνέβαλλεν. *Pag. 50* in editionibus *Aldina*, *Florentina*, & *Leunclavii*, legitur, ὁρμώμενοι ἐυπετῶν τοῖς Κορινθίοις ἐγίγνοντο, quod vero in συνεγίγνοντο mutandum putarunt *Stephanus* & *Leunclavius*. Sed placet Editori lectio autoritate MSti munita, qua παρεγίγνοντο exhibetur. *Pag. 65* pro πολυεπαινότατος, quod vulgo ſcribitur, ex Codice revocavit πολυεπαινετώτατος, quamvis, utramque vocem Lexicographis ignotam eſſe, largiatur. *Pag. 12* pro vulgari ἁλίσκοιεν, juſſu Codicis reſtituit ἁλίσκοιτο. *Pag. 45* verbis ὡς γὰρ τῦ ϛρατεύεσθαι αὐτὸν, ex MSto addidit vocem αὐτὸν, quæ in libris editis deeſt. Eadem ratione *pag. 68* ὃς δȣλωσόμενος inſeruit τὴν Ἑλλάδα. *Pag. 74* omnes editi ſine ſenſu legerunt, τείχη ἀνάλωτα ἡττᾶσθαι ὑπὸ πολεμίων. Sed optime nunc cernitur ex laudato Codice pro ἡττᾶσθαι, quod eſt vulgatum, κτᾶσθαι. Addendis huic Orationi ſubjicitur rerum notatu digniorum Index ſatis copioſus.

HISTOIRE LITERAIRE DE LA FRANCE &c.
h. e.

HISTORIA LITERARIA GALLIÆ, IN qua agitur de origine & progressu, decremento & instauratione scientiarum in Gallia & Franco-Gallia, de ingenio Gallorum, ac studio, quo in literas quovis Seculo incubuerunt, de priscis scholis, de Academiarum in Gallia institutione, de primariis Collegiis, de societatibus scientiarum literarumque elegantiorum, de præstantissimis Bibliothecis veteribus & recentioribus, de Typographiis celebrioribus, ac de rebus in universum omnibus, quæ ad literas spectant, una cum Elogiis historicis Gallorum Franco-Gallorumque, meritis in eas illustrium, enumeratione Chronologica scriptorum, animadversionibus historicis ac criticis in alicujus momenti Opera, editionumque recensione, Autoribus denique laudatis. Opera Monachorum Ordinis S. Benedicti ex congregatione S. Mauri.

Tomus I.

Parisiis, apud Osmont, Huart, &c. 1733, 4 maj.
P. I Alph. 2 plag. 8. P. II Alph. 2 plag. 15½, Præf. & Index Editionum Plag. 8.

Magnum opus est atque arduum, stupendique plane laboris, cui manus admoverunt eruditissimi homines; ita tamen comparatum, ut, si prosperos habeat successus, tum splendorem nominis *Benedictinæ* sodalitatis, tum rei commoda literariæ, multis omnino modis sit amplificaturum. Perspexerunt insignem ejus utilitatem pridem *Labbæus*, *Jacobus*que, Carmelitarum socius, atque item alius e recentioribus, notionemque ejus animo informarunt, quin & partes quasdam ac veluti membra affabre effinxerunt, *Mainius*, *Verderius*, *Bullæus*, *Chevillerius*, *Caillius*, *Sammarthanus*, *Thuanus*, *Teisserius*, *Perraltus*, alii. Nemo tamen unus fuit, qui non, immensa rerum copia, laborisque tam varii ac multiplicis magnitudine, e longinquo ostensa, animum de-

spon-

ſponderet deterritus, ac de ſua perficiendi operis facultate deſperaret. At enim, quo majora quæ remoram injicere poterant, impedimenta erant, tanto ſeſe magis exſtimulari gloria patriæ ſenſerunt Autores, civitatisque literatæ emolumentis, igniculis veluti ſubjectis, inflammari, adeo, ut ſeſe ſuasque vires ipſimet ſuperaſſe videantur. Ut igitur de inſtituti ratione paulo fuſius exponamus, primum omnium ſciendum eſt, unumquemque e Gallis ac Franco-Gallis, nomen qui ſuum quodam ſaltem modo ſcriptis conſecravit, ſive ſuperſint illa, ſive interciderint temporum injuria, locum hic habiturum eſſe. Quin imo ad VI usque Seculum ii quoque laudabuntur, qui non ſcriptis quidem, at certe rebus præclare geſtis, ſcientiæque fama, inclaruerunt. Eruditis e Gallica gente exteri etiam accenſebuntur, dum quandam modo vitæ partem in Gallia exegerint, fatoque ſuo ibi ſint functi. Atque ex ea re *Irenæi* & *Lactantii* habebitur ratio, omiſſis contra *Athanaſio*, *Hieronymo*, *Oribaſio*, aliis, haud diu ſatis inter Gallos commoratis. Cum autem Gallia olim latiſſime patuerit, a Pyrenæis inde montibus, Alpibusque, ad Rhenum usque Oceanumque porrecta, conſultum putarunt Noſtri per VIII priora Secula veteribus eam limitibus continere. Ab XI autem Seculo Diœceſin Trevirenſem, una cum Moguntina Colonienſique Metropolibus, earumque Epiſcopis, uti dicuntur, ſuffraganeis, nec non Baſileenſem, Ebrodunenſem, Aventicenſem, ſive Lauſannenſem, Germanis reliquerunt; Argentoratenſem autem, quæ ſemel iterumque Gallorum fuit ſubjecta imperio, cum Leodienſi, Mechlinienſem denique Epiſcopatum, & Ultrajectinum, a Seculo XIV ſibi vindicarunt, Lotharingiam, Sabaudiam, Genevam, non minus ſibi aſſerentes. Quantamcunque etiam operam navarunt Autores, neminem ut intactum dimitterent, qui meritis ſuis fuerit illuſtris, vix tamen ac ne vix quidem plurimorum ſaltem mentionem injectam eſſe ſpondent, cum optimorum hominum virtutibus digni ſubinde laudatores defuerint. Ordo ab ipſorum ſerie temporum oblatus, quem ſequerentur, optimus eſt viſus; adeoque quodvis Seculum eos dabit, qui vel eodem vitam finiverunt, vel, ſicubi de eo non conſtet, tum temporis inclaruiſſe commemorantur.

cantur. In Hiſtoria ita verſabuntur, ut vitæ ſcriptorumque inprimis rationem habeant: in quibus tum ad ordinem, quo ea ſe exceperunt, cauſasque & occaſionem illorum elaborandorum, materiam denique, attendent, tum dubia, ſubjecta, atque deperdita, enarrabunt; ac, quid de ſcribendi ratione judicarint eruditi, editionum etiam quæ ſint optimæ, docebunt. Vitam dum exponunt, nihil odio aut gratiæ daturos ſe eſſe, promittunt, candide commemoraturi, quicquid ad ingenium ſcriptoris pernoſcendum ſpectat, ac vel nobilitavit eum, vel labe quadam & macula adſperſit. Scripta, ſi merentur, recenſebunt fuſius, procul tamen amandata Caſuiſtarum, uti vulgo audiunt, Myſticorumque turba, qui a Seculo XVI orbem ſcriptis onerarunt. Contra, Acta Martyrum, Sanctorumque vitæ, ſed caute, commemorabuntur, ſi a Gallis, vel in Gallia ſaltem, fuerint ſcriptæ. Actis Conciliorum, Canonibuſque, ordine temporis ſervato, locus erit. Reliqua, quæ præſtituri ſunt, ipſe Operis index condocet. Quemadmodum vero magna negotia magnis adjutoribus egent, ita eruditorum, omnium ordinum, opes ſubſidiaque ſibi modeſte expetunt Autores, in eamque rem nominant complures, qui ſtudio induſtriaque ſingulari ſuppetias ipſis tulerunt, digni omnino, quorum exemplo alii ad honeſta ejusmodi officia præſtanda excitentur. Et hæc quidem de inſtituti ratione: jam ad rem ipſam convertamur. Ac primum quidem omnium, quis literarum ſtatus temporibus ante C. N. in Gallia fuerit, inquirunt Autores. Atque hoc loco non poſſe ſe in eorum concedere ſententiam profitentur, qui Græciam ipſam, communem illam, qualis magno conſenſu habetur, literarum parentem, ſua Gallis ornamenta debere affirmant, cum hi contra maximam, quarum laude florebant, ſcientiarum partem Græcis acceptam retulerint: quanquam Gallos, ſummæ genus ſolertiæ, in Philoſophiam prius dedita opera incubuiſſe, quam Græcos, *Clemente Alexandrino* teſte negari nequit. Utcunque autem obſcura ſint initia, id certum eſt, *Mercurio*, Regi olim ſuo, ſi Chronico Alexandrino fides eſt, tanquam mercaturæ autori, artiumque amplificatori, tum *Herculi*, rei militaris, arguteque loquendi, *Apollini*, Medicæ artis inventori, *Minervæ* de-

nique, bonarum autori artium, divinos habuiſſe honores, atque in Theologia ſublimius quid confectatos eſſe. Cum enim ab reliquarum commercio gentium ſejuncti fuerint, Philoſophiam una cum aliis artibus domi natam, ac a Britannis præter horridum illum homines immolandi ritum nihil derivatum eſſe, admodum probabile eſt. Græcis literis uſos eſſe Gallos, *Caſar* affirmat. Neque audiendus eſt *Hotomannus*, qui vocem *Græcis* apud *Caſarem* nulla Codicum autoritate nixus, expungit, multoque minus *Bouterous*, ut qui Romanas in nummis literas oſtendit quidem, ſed antiquitatem eorum non demonſtrat. Ceterum mixtus Romanis literis Græcus Gallorum character, Romano ſeſe inter illos priorem eſſe, abunde loquitur. Quo tempore Galli ſcribendi artem acceperint, certis omnino argumentis confici nequit. Sive enim a Phocenſibus tradita, ſive ex Aſia in Europam literarum hæc ſecreta invecta fuiſſe, quis contendat, utrinque difficultatibus premi ſe ſentiet, quamvis priori conjecturæ minores obſtent. Quæ de variis ſcribendi modis, tabulis ligneis, cereis, membrana, papiro, aliis, hoc loco afferunt, digna ſunt, quæ ab harum rerum curioſis legantur. Sequitur nunc concinna Bardorum, Vatum, qui cum Eubagibus iidem ſunt, Druidarumque, hiſtoria, quos, tanquam divinarum humanarumque rerum interpretes, ob animorum immortalitatem, a transmigratione admodum diverſam, ſuis in ſcholis traditam, celebrant Autores, quibus tamen, cum nota ſint, recenſendis non immorabimur. Seculo ante Chriſtum natum fere VI Phocenſium colonia ad Maſſiliam appulſa, Ionicis legibus ac inſtitutis, atque iis quidem, ut paterent omnibus, publice propoſitis, utebatur. Tum vero ſcholas aperiebat, in quibus literarum quicquid eſt, tanto hominum docebatur concurſu, ut Romani Maſſiliam ipſis ſubinde Athenis anteferrent, Græci autem certatim eo confluerent. Hinc coloniæ per omnem Galliam miſſæ, ſcholæ Druidarum novis donatæ doctoribus, id quod Narbone, Corbilone, Arelati, Viennæ, Auguſtoduni, Lugduni, Nemauſi, Toloſæ, Burdegali, quin in univerſa Gallia Narbonenſi factum eſt; quam Cis-Alpina, Galatia, Celtiberia, hac in re haud ita multo

 poſt

post laudabili conatu æmulabantur. Græca lingua, Rhodanum transiens, in Celtica non minus, quam jam antea in Narbonensi Gallia floruit, Romanam autem ab victrice hac gente in Galliam illatam fuisse, constat inter omnes. Celticæ obscuræ sunt origines, quam rejectis aliorum opinionibus eruditorum, ab ipsa gentium dispersione Babylonica arcessunt Autores, atque ad Britanniæ magnæ linguam propius accedere disputant. Ex hac non modo, verum etiam Græca, Latina, & Francica hodierna, orta est Franco-Gallica. Ordinem studiorum illis temporibus multo alium fuisse atque his nostris, ex illustri *Petronii* loco liquet. Plurimi eloquentiæ Latinæ forensi operam dabant; magis tamen ore, quam scriptis, patriæ suæ inservientes. Ii, quorum vitas & scripta recensent Autores, hi fere sunt: *Pytheas*, Philosophus, Astronomus, & Geographus; *Euthymenes*, Geographus & Historicus, *Eratosthenes*, Philosophus & Historicus, non *Cyrenæus* ille, qui hujus famam nominis sui splendore propemodum obscuravit, sed alius quidam, illo, integro fere Seculo, junior. Autor est Historiæ Galaticæ, a *Stephano Byzantino* præter rem tributæ *Cyrenæo*, utpote qui plures ante pugnam, inter Prusiam & Attalum pugnatam, annos mortuus est. Sequuntur *Lucius Plotius*, Rhetor, *Marc. Ant. Gnipho*, Romæ eloquentiæ & humaniorum literarum doctor, *Valerius Cato*, Poeta & Grammaticus, *Q. Roscius*, Comœdus, *Divitiacus*, Philosophus, *Cajus Valerius Procillus*, Cæsaris Legatus, *Telon* & *Gyareus*, Astronomi & Mathematici, *Corn. Gallus*, Poeta, *P. Terentius Varro*, Poeta & Historicus, denique *Trogus Pompejus*, Historicus. Seculo a C. N. *primo*, non adeo magna in literis mutatio facta. Suus iisdem pariter atque bonis artibus manebat honos, quibus nec cultores deerant, nec tutores. Numerum scholarum hoc tempore insignem fuisse, perquam est probabile. Narboni enim, Arelati, Viennæ, aliis civitatibus, & hac in re cum Massilia, Augustodunoque, æmulationem intercessisse, dubitari nequit. Id certum est, literatis eas hominibus abundasse omnes. Quantum inter artes sculptoria floruerint ac statuaria, vel unus suo probat exemplo *Zenodorus*. Ceterum eloquentia

tia labi quodammodo ac decrefcere, cujus rei caufas *Quintilianus* percenfet, ac reftituta quantumvis alio longe atque antea habitu incedere. Viri illuftres, qui hoc Seculo claruerunt, hi funt: *Vibius Gallus*, *Ofcus*, *Agroeas*, Oratores, *Pacatus*, *Caftor*, Rhetores, *Germanicus Cæfar*, *Votienus Montanus*, Orator, *Jul. Montanus*, Poeta, *Jul. Gracinus*, Philofophus, *Claudius*, Imperator, *Julius Florus*, Orator, *Clodius Quirinalis*, *Urfulus*, feu *Surculus*, Rhetores, *Domitius Afer*, Orator, *Petronius*, Poeta, *Demofthenes*, *Crinas*, *Charmis*, Medici, *Æbutius Liberalis*, Philofophus, *Gabinianus*, Rhetor, *Julius Secundus*, *Marcus Aper*, Oratores, *Antonius Primus*, Poeta; *Satrius Rufus*, orator, *Artanus*, JCtus, *Cn. Jul. Agricola*. Adhuc Philofophiam tantum humanam traditam vidimus. Jam Seculo *fecundo* rerum facrarum, a Paganifmi fordibus perpurgatarum, memoria fubit. *Pothinus*, *Irenæus*, alii, *Polycarpi* difcipuli, doctrinæ puriori propagandæ magno cum fucceffu ftudebant: qui quidem hoc minus mirandus eft, quo magis Gallorum animi doctrinis quibusdam, a Chriftiana non admodum remotis, jam dum erant imbuti. Hac divina luce circumfufi, ardentiori bonarum artium colendarum ftudio flagrabant. Græca tum ufos effe lingua, cum *Irenæus* doceret Lugduni, fcripta ejus, Græco exarata fermone, docent. Vix enim credibile eft, id quod nonnullis videtur eruditis, Latine jam dum facta effe. Inquinatam autem illam fuiffe, ac peregrinarum mixtione vocum corruptam, extra omne dubium eft. Quot novi cogebantur cœtus, tot inftitutas fuiffe dixeris fcholas, in quibus tamen fidei ex facris literis corroborandæ ratio ac via maxime oftendebatur. Nam ante IV a N. C. Seculum Rhetoricam, Poefin, Dialecticam, Philofophiam, Mathefin, in fcholis publicis traditas effe, vix probari poteft. Ipfi etiam Epifcopi, quanquam a reliquis, excepta Eloquentia, ftudiis deftituti, voce nihilo minus ac fcriptis cœtus fanctioris commoda egregie promovebant. Scholæ florentiffimæ doctores haud adeo multos dederunt. Plurimi enim jam Seculo I vixerunt. Autores percenfuerunt fequentes, *Paulinum*, Senatorem, *Geminium*, *Rufinum*, Oratores,

 Abafcan-

Abascantium, *Salvium Liberalem*, Medicos, *Sentium Augurinum*, Poetam, *L. Ann. Jul. Florum*, Historicum & Poetam, *Favorinum*, Historicum, Philosphum atque Oratorem, *Menecratem*, JCtum, *Titum Antoninum*, Imperatorem, *Frontonem*, Oratorem, *Charmolaeum* & *Zenothemin*, JCtos. Hos excipit brevis de Lugdunensibus martyribus relatio, nec non recensio Epistolæ Lugdunensis ac Viennensis cœtus ad fratres in Asia ac Phrygia, qua de iis exponunt; tum *Faustus* commemoratur, Actorum Martyrii *Andochi* & sodalium scriptor. Prioris Concilii Lugdunensis, quo statuebatur, paschatis festum die Dominica celebrandum esse, acta recensentur, atque illud, quo *Valentinus* & *Marcion* damnati dicuntur, inter ficta numeratur. Dum res literarias Seculi *tertii* enarrare instituunt Autores, multi sunt in eo, ut, quos sacræ literæ fecerint progressus, fecerunt autem multos, liquido appareat: quos qui cognoscere avent, hos ad illorum temporum historias ablegamus. Deteriori longe loco bonæ fuerunt literæ, satis habentes, quod fortuna, quacum conflictatæ sunt, perquam adversa, non penitus fuerint prostratæ. Ecquid enim sperare poterant sub *Caracalla*, Musis infesto, ecquid Gallia ipsa nunc discerpta in partes, nunc ægre in unum coalescente, mox exterarum gentium impressionibus factis iterum dilacerata? At reviviscere quodammodo videbantur, cum Imperatores Treviris sedem figerent, urbemque, olim jam non ignobilem, locupletem magis ac opulentam redditam, adeo ornarent, ut cum Roma ipsa fere contendere de principatu suo modo posset. Utcunque hæc erant, Augustodunenses scholæ aliquantum de splendore suo remittebant, Trevirensi ceteroquin nulla in re concedentes. Quicquid autem damni fecerant, *Constantii Chlori* opera resarciebatur abunde. Ceterum iniquo literarum, uti sanctiorum, sic etiam humaniorum, fato factum est, ut optima præstantissimorum ingeniorum monumenta maximam partem perirent; ex quorum, ad nos quidem propagatorum, numero si judicare vellemus, næ parum omnino, quod ejus ætatis dignitatem tueretur, actum esse, existimari poterat. Suis, quæ inde ad sese derivarunt, emolumentis contenti homi-

homines, qua ratione memoria eorum posteritati traderetur, perparum fuere solliciti. Nobis proinde sufficiat vel nomina eorum adduxisse, de quorum vita scriptisque Autores uberius exponunt, *Irenæi* nempe, *Antonii Caracallæ*, Imperatoris, *Caji*, Episcopi, *Hippolyti*, *Jul. Titiani*, Geographi, Oratoris, & Rhetoris, *Faustini*, Episcopi Lugdunensis, *S. Martialis*, primi Lemovicensium Episcopi, *Sexti Julii Saturnini*, tyranni, Probo imperante, *M. Aur. Cari*, Imperatoris, *M. Aur. Numeriani*, Imperatoris, *S. Eugenii*, Martyris, *Cl. Mamertini*, Oratoris, *S. Genesii*, Martyris Arelatensis. Declarato generatim statu reipublicæ Gallicæ Seculo *quarto*, Autores scholarum injiciunt mentionem celebrium. Treverensis ob forensis Oratoriæ cultum maxime erat illustris. Burdegalensem inter, ab *Ausonio* celebratam, Augustodunensem, itemque Tolosanam, magna intercedebat æmulatio. Insignem profecto hoc Seculum proventum Poetarum, Oratorum, Rhetorum, tulit, pauciores autem Historicos. Utcunque est, Eloquentia magnum facilitatis, ac ingenuæ pulchritudinis, fecit detrimentum. Horridiuscula Poesis, nec tam leniter fluens, quam anterioribus Seculis. Unica fere Historia maximam partem eodem, quo antehac, loco constitit, non tamen injuriarum, quas tempora, difficilia subinde, inferunt, plane inexperta. His, quæ pro instituti ratione breviter delineavimus, ampliore dicendi genere ulterius deductis, ad res ecclesiasticas convertuntur Autores; ac doctorum pugnas & certamina pro tuenda doctrina puriori, tum victorias etiam, uberius enarrant, simul autem, pro eo ac par est, dolent, tantum elucubratissimorum numerum scriptorum intercidisse. Ii vero, quorum ingenii monumenta ætatem tulerunt, vel secus, hi sunt: *Eumenius* Rhetor, atque item Orator, *Massus*, Episcopus Parisiensis, Anonymus, *Claudii Mamertini* discipulus, *Constantini* laudibus clarus. Incidit in hæc tempora Concilium Arelatense primum. Sequuntur *Cactlius Argicius Arborius*, Astronomus & Philosophus, *S. Reticus*, Augustodunensis Episcopus, Grammaticorum Burdegalensium delectus, *Thalassus* nimirum, *Phœbitius*, *Concordius*, *Macrinus*, *Sucuro*, *Lactantius*,

tius, Orator, ac defenſor eccleſiæ, Anonymus Poeta Chriſtianus, cujus extat de laudibus Domini carmen; *Æmilius Magnus Arborius*, Rhetor, *Conſtantinus* junior, Imperator, Orator Anonymus, Monodiæ in *Conſtantinum* Autor, *Tiberianus*, Gallorum præfectus, *Leontius*, *Jucundus*, & *Glabrio*, Grammatici, quorum tempore primum Coloniæ, Concilium coactum eſt, *S. Maximinus*, Epiſcopus Trevirenſis, *Luciolus*, *Minervius*, & *Staphylius*, Rhetores, qua fere ætate ſecundum Arelatenſe Concilium commemoratur, primumque Biterrenſe; *Gennadius*, Orator, *Criſpus*, *Urbicus*, *Herculanus*, Grammatici, *Paulinus*, Trevirenſis Epiſcopus & Confeſſor, *Attius Patera*, Rhetor, *Fiberius Victor Minervius*, Orator & Rhetor, *Exuperantius* Rhetor, & *Citarius*, Grammaticus; quo circiter tempore primum *Lutetiis* Concilium fuiſſe coactum perhibetur; *Paulus*, Epiſcopus Pariſienſis, *Saturninus*, Arelatenſis, *Alcimus*, Hiſtoricus, Orator & Poeta, *Sedatus*, rhetor, *Hilarius*, Pictavienſis Epiſcopus, *Heliodorus*, Presbyter Pictavienſis, *Saluſtius*, Gallorum præfectus, *Claudius Mamertinus*, Orator, *Helleſpontius*, Orator, & Philoſophus, *Cenſorius Atticus Agricius*, Rhetor, *Attius Tiro Delphidius*, Rhetor, Orator, & Poeta, *Ammonius Anaſtaſius*, *Urſulus*, & *Harmonius*, Grammatici, quo tempore primum *Valentiæ* concilium celebratum eſt; *Theodorus*, *Auſonius*, Medicus, *Marcellus*, Grammaticus, *Nepotianus*, Rhetor, & Grammaticus, *Juſtus*, *Hilarii* diſcipulus, *Eutropius*, Hiſtoricus, *Victorius*, Grammaticus, *Dynamius*, Rhetor, *Gratianus*, Imperator, ſub quo primum Burdegalenſe Concilium habitum, *S. Servatius*, ſive *Sabbatius*, *Theon* & *Proculus*, Poetæ, *Siburus*, Præfectus prætorio, *Parmenianus*, Donatiſta, *S. Juſtus*, Epiſcopus Lugdunenſis, *Icarius*, Comes Orientis, *Afranius Syagrius*, Poeta, *Valentinianus II*, Imperator, ſub quo primum Nemauſenſe Concilium habebatur, *S. Phœbatius*, Epiſcopus Aginnenſis, *Auſonius*, Rhetor, Orator, & poeta, *Paulus*, Rhetor, & Poeta, *Gregorius*, Præfectus Gallorum, *Rufinus*, Anonymus, homo literatus, cujus apud *Symmachum* mentio fit, S. *Ambroſius*, Epiſcopus Mediolanenſis, *S. Martinus*, Epiſcopus Turo-

Turonensis, *Tetradius*, Poeta, *Latinus Palatus Drepanius*, Orator & Poeta, *Palladius*, Rhetor, *Sulpicius Alexander*, Historicus. Et hæc fere sunt magnorum atque illustrium partem hominum nomina, quorum historiam, res gestas, scripta, enarrarunt hoc *Tomo* Autores, tanta cura atque tam ample, ut nos, indice tantum digito eos demonstrasse, satis habeamus.

MEMOIRES DU CHEVALIER D'ARVIEUX, recueillis par le P. JEAN BAPTISTE LABAT.

h. e.

COMMENTARII HISTORICI EQUITIS DE ARVIEUX, publicati a P. JO. BAPTISTA LABATO.

Tomi VI.

Parisiis, sumtibus Caroli Jo. Bapt. Delespine, 1735, 12.
Alph. 6 plag. 2.

Collectæ sunt hæ Commentationes Itinerariæ, Historico-Geographicæ, a R. P. *Labato* ex schedis Equitis *d'Arvieux*, Legati olim Regis Galliarum Constantinopolitani extra ordinem, & Consulis Aleppensis, Algeritani, ac Tripolitani, nationis Gallicæ, quibus itinera ejus Constantinopolitana, aliaque in Asiam, Syriam, Palæstinam, Barbariam, describuntur, Regiones quoque illæ, & incolarum mores ac consuetudines, commercia, regiminis status, historia naturalis, alii eventus considerabiles, narrantur. Divisæ sunt in *sex Partes*, & ordine annorum digestæ, ex quibus præcipuas notabimus res generatim in iis occurrentes, cum speciales locorum descriptiones & historiæ in ipso libro hoc elegantissimo legi debeant ac mereantur. *Primus* igitur *Tomus* complectitur primum Illustris Viri iter Massilia Smyrnam susceptum, quod copiose describit, ac dein porro in Ægyptum A. 1658, quam Regionem, & urbes celebres, Alexandriam, ac Damiettam, fuse delineat. Excursus

Pag. 77 – 114. 148. 174 – 231.

Pag. 258. cursus quoque ejus in Palæstinam memoratur, ac in eo ur-
269. bium Tyri, Acræ, vel Ptolemaidis, Seydæ, vel Sidonis, & ejus
294. 463. commercii, descriptiones sunt notabiles. Porro historia Prin-
357. cipis Druzorum Fekherdin, item Principis Melhem Maon, &
379. ejus successorum & Bassarum, sive gubernatorum quarundam
397. 438. harum urbium, modus regiminis tyrannici, exponitur. *Secundus* continet itinera, quæ Vir Illustris suscepit in Galilæam, Samariam, Judæam, Palæstinam, & ad Loca sancta, ac in iis
23. 46. urbium Ramæ, Gazæ, Ascalonis, Hierosolymæ, lectu dignissi-
71. 106. mæ descriptiones occurrunt. Hic de Ecclesia S. Salvatoris, sive
168. 206. sepulchri, & ceremoniis in ea observatis, de ordine S. sepul-
111. cri, & ejus Equitibus, quomodo recipiantur, privilegiis horum
117. Equitum, agitur. Porro excursiones referuntur ad Jordanum,
157. mare mortuum, ad urbes Bethlehemi, Hebronis, in desertum
217. Sabæ & S. *Joannis*, montem Carmel, ad urbem Nazareth, Sa-
264. fetam, Barutum, sive Berytum, Tripolin Syriæ, Damascum
318 324. a monte Libano, quæ loca describuntur singula amplissime.
373. 445. *Tomo tertio* profectio Viri Illustris exponitur ad Turabegum,
398. Principem Arabum Montis Carmel, cujus aula & regimen describitur. Hoc iter jam A. 1718 a doctissimo *Roquio* editum separatim fuit, unde descriptionem morum ac consuetudinum Arabiæ desertæ incolarum copiosam petas. Ex quo apparet, Arabes illos Bedouinos sive campestres non adeo brutos ac ab omni humanitate sejunctos, stupidos, ignorantes homines, aut improbos, esse, si ea legantur, quæ tota hac parte fuse ob-
170. servata sunt de Arabum Religione, de hospitalitate in eorum
179. campis, & subditorum in pagis, de illorum moribus, de hono-
188. re, quem barbæ exhibent in juramentis, de eorum justitia & ju-
204. re, de illorum occupationibus, de eorum habitationibus sub
228. tentoriis, de eorum vestitu, de eorum oblectamentis, de illo-
262. rum Medicina, & usu ejus fere nullo ob temperantiam. *Tomus*
254. *quartus* complectitur descriptionem Geographicam & Politi-
286. 320. cam urbis & Regni Tuneti sive Tunis vulgo dicti, modum re-
329. giminis per Day Principem ac Ministros, consuetudines varias
49. regionis illius, iter Constantinopolitanum, Regis jussu susce-
436. 498. ptum, urbem Constantinopolin & Adrianopolin delineat, pro-

sopo-

Topographiam Sultani *Mohammedis* IV exhibet, ac historiam memorabilem celebris in Historia Turcica supremi *Vezirii*, *Kupruli*, ac ejus filii, qui in munere hoc successit, regnante *Mohammede IV*, enarrat. *Tomus quintus* urbem & Regnum *Algezira*, sive Algier, ut vulgo efferunt, amplissime repræsentat, ac de modo regiminis, de militia, de consilio status, & aliis officiis, de modo excurrendi in prædam, & dividendi inter se captivos, de suppliciis usitatis, de vestibus virorum ac fœminarum, & aliis, agit. *Tomus sextus* & ultimus Epistolas *Picqueti*, Episcopi Cæsaropolitani, ad Dominum *d'Arodeur*, de itinere suo in Persiam, a *pag. 91* usque ad *158*, item amplam descriptionem urbis Haleb, sive Aleppi, viginti duo regiones, in quas divisa est, eorumque nomina, denique ipsius mortis historiam Viri Illustris, continet. Totius autem vitæ curriculum Operi præmissum est, cum variis observationibus, ad ejus nomen & familiam pertinentibus, lectu dignissimis.

Pag. 553. 556. 217. 280. 411. 434. 613.

ANTONII BLACKWALLI, INCLYTI Magnæ Britanniæ Philologi, Autores sacri Classici defensi & illustrati, sive Critica sacra Novi Testamenti. CHRISTOPHORUS WOLLIUS, M. A. S. T. B. & Concion. ad D. Nic. Sabbathicus, ex Anglico Latine vertit, recensuit, variis observationibus locupletavit, & Hermeneuticam Nov. Fœd. Dogmaticam adjunxit.

Lipsiæ, sumtu Jo. Christiani Martini, 1736, 4.
Alph. 5 plag. 14.

Majorem in modum lætamur, Cl. *Wollium*, unum ex sodalibus nostris, eumque diligentissimum, voto illi satisfecisse, quod in his *Actis A. 1729 Mens. April. pag. 166* orbi literato publice declaravimus. Illic enim optavimus, ut Cl. *Blackwalli* liber, quem nominatim hic designavimus, Latina civitate donaretur. At vero Cl. *Wollius* Criticam

 illam

illam Novi Testamenti non tantum ex Anglico Latine vertit, seque adeo interpretem præbuit, verum observatoris etiam partibus fungi, non ab re fore putavit. Dignissima hæç nova est elaboratio, cujus compendiariam nunc enarrationem conficiamus. Esset igitur a re proposita sejunctum, & actum acturi essemus, si ea, quæ in Opere Britannico continentur, omnia hic iterum repeteremus; præsertim cum *prius Volumen* loco jam indicato *pag. 158 seq.* & *secundum A. 1733 pag. 413 seq.* verbose satis & copiose recensuerimus. Quæ cum ita sint, nihil est reliquum, quam ut singularia Latinæ hujus editionis argumenta studiose diligenterque commemoremus. Hunc indicem, *Critica sacra Novi Testamenti*, addidit Cl. Interpres, librum perutilem ac jucundum Philologis eruditis accuratius commendaturus. In præmissa Præfatione, causis Latinæ versionis, quas ipsa ratio probat, declaratis, vitam doctissimi *Blackwalli* breviter descripsit. Fuit is Magister artium, idemque Rector scholæ Derbiensis ac postea Bosworthensis in Comitatu Leicestriensi. Tandem vero egregiam Rectoris, hoc est, primarii Pastoris, provinciam in Ecclesia vici Clapham, qui in Comitatu Surriensi situs est, ornavit, deque hac aliquamdiu optime promeritus, ac tribus libris, *Nova Latina Grammatica*, *Introductione in Classicos Autores*, Latine non ita pridem hic Lipsiæ versa, & superiore *Anno* a nobis recensita, hisque ipsis *Autoribus sacris Classicis*, quorum *posteriori Volumini* non diu ante mortem ultimam manum imposuit, in hanc lucem editis, die 8 Mensis Aprilis, A. 1730, in vico Bosworth dicto, diem obiit supremum. Inprimis autem Critica *Blackwalliana* faustis & fortunatis prodiit auspiciis, multis quippe ac eximiis laudibus a meritissimis viris cum intra tum extra Magnam Britanniam ornata. Atque hæ ipsæ impulerunt doctissimum Interpretem, ut perdifficilem in se susciperet laborem. Acrius eum commoverunt singulares Virorum maximorum, eximiaque autoritate valentium, B. *Rambachii*, S. Ven. *Marpergeri*, ac Celeb. *Mosbemii*, cohortationes, insignesque utilitates, quas, dum ipse perlegit librum, perspexit in sacrum Nov. Fœd. codicem

dicem redundaturas. Stilus Britannici Philologi ejusmodi quidem est, ut cultioribus hodie Anglis vere probatus, & causæ, quæ agitur, accommodatus, purus item ac significans, jure meritoque dicatur; at idem tamen nimis amplus & copiosus a Cl. *Wollio* vocatur, ut verborum copia sacrorum inprimis Oratorum propria esse solet. Quo majorem ille navavit operam, ut, nulla sermonis Anglici proprietatum habita ratione, & verba, & cogitata, *Blackwalli* fideliter, perspicue, atque verbis Latinis, incredibili studio ac meditatione, enuntiaret. Munditiei ac elegantiæ Romanæ præcipue studuit, & cavit etiam atque etiam, ne Autorem, qui pure ac nitide scripsit, & barbariei sacro Nov. Fœd. sermoni toties objectæ sese opposuit, ipsum barbare ac sordide differentem in sua induceret versione. Hoc consilio *Ciceronem* de Oratore, *Gellium*, *Quintilianum*, & alios melioris notæ Autores, in auxilium vocavit. Autori solenne est, ut interiorem sacrorum Nov. Fœd. oraculorum connexionem copiosa & liberiori, sed ea perquam nervosa, & significante, amplificet interpretatione. Hanc etiam Latina veste induere conatus est Clarissimus interpres, sacris Oratoribus, hanc Nov. Fœd. Philologiam lecturis, & in usus suos conversuris, ea ratione serviturus; ut eo, quem significavimus, loco pro se ipse verba fecit Doctiss. *Wollius*. Idem, dum loca ab Autore excitata recensuit, in eo elaboravit, ut, quoad ejus fieri posset, eadem investigaret ac venaretur, nec vero iis omissis, quæ sine mentione Capitis, paginæ, ipsiusque sæpenumero libri, indicata invenit. Rev. *Blackwallus* multos testatus est scriptores, quorum tantummodo Anglice verba expressit, nec raro exposuit liberius. Hos etiam opera moleste sedula quæsivit ac evolvit is, qui versionem confecit. Eidem in rebus ipsis nonnulla expolienda, corrigenda, uberius illustranda & amplificanda, se obtulerunt.

Ad observationes *Wollianas* quod attinet, eæ variæ sunt, hoc est, Theologicæ, Philosophicæ, Philologicæ, Criticæ, Historicæ, Hermeneuticæ, Homileticæque. Has quidem, seu in contextu positas, seu extremis paginis subjectas, stellulis ubique ab iis secrevit & segregavit, quas Autor interdum adjecit, nu-

meris arithmeticis distinctas. Nos de illis, quæ Cl. *Wollio* debentur, observationibus generatim ac universe, non invita, sed secunda, veritate, prædicare nulli dubitamus, eas non centies repetitas, & e medio sumtas, sed novas plerasque omnes ac minime vulgares, & ex interiori eruditione petitas, atque ita præterea copiosas esse, ut tertia minimum parte liber nunc major sit, quam Anglicus fuit, ut ex Rev. *Blackwalli* manibus exiit. Immo etiam id sibi datum credidit Interpres, ut utiliorem pariter ac jucundiorem redderet eundem. Nam non solum antiquas locorum Nov. Fœd. expositiones nova confirmavit arte, sed novas etiam addidit; cujusmodi sunt pleræque omnes. Illuc pertinet etiam, quod argumenta rerum nulli non Capiti verbosius, ubi omissa fuerunt, & singulis paginis compendiosius præmisit, quæ plane præterita sunt ab Autore. Quæ sane præmissa argumenti significatio, majusculis literis descripta, & duabus semper lineis inclusa, præter citandi commoditatem, & rerum omnium in una veluti tabula repræsentationem, nitidam quoque & elegantem speciem Latinæ conciliat versioni. Ex hac ipsa quarumvis paginarum summa capita si describamus, operæ pretium facturi videmur, ad Opus *Blackwallianum* mirifice adamandum viros excitaturi, qui periti & idonei harum rerum judices sedere valent. Inscribitur
Pag. 6 seq. nimirum *Tom. I Part. I Cap. I de Hebraismis Nov. Test. pro-*
51 seq. *batis; Cap. II de Solæcismis Nov. Test. delendis; Cap. III de*
141 seq. *quibusdam Nov. Fœd. vocibus vindicatis; Tom. I Part. II*
164 seq. *Cap. I de stilo Nov. Test. classico; Cap. II de variis Nov. Test.*
184 seq. *elegantiis; Cap III de nativa Nov. Test. eloquentia vindi-*
200 seq. *cata; Cap. IV de Judiciis Patrum de stilo Nov. Test. latis;*
216 seq. *Cap. V de eleganti stili Nov. Test. varietate; Cap. VI de*
230 seq. *sublimibus Nov. Test. figuris; Cap. VII de arguta Nov. Test.*
266 seq. *dictione & ratiocinationibus sacris.* Hoc ipsum Caput Cl.
288 seq. *Wollius* de suo addidit, ne quid huic Criticæ deesse videretur. Sicut vero doctissimus Autor continuam scriptorum classicorum sacrorum & exterorum instituit comparationem; ita Interpres in hac additione idem secutus est exemplum. Et in *arguta* quidem Nov. Test. *dictione* dilucidanda istud ante

oculos

oculos habuit, quod in his *Actis A. 1729 pag. 163 seq.* illa de re jamjam commonuimus. In enodandis vero ratiocinationibus exempla refert, & sub judicium vocat, ex Philosophis antiquis excerpta, *formam*, hoc est, *modum*, addit *concludendi*, eumque his, simili tractandi ratione adhibita, comparat sanctiora, eademque multo selectissima. Inter alia ad *1 Jo. IV, 19*, adversus Ven. *Wolfium* suam tuetur explanationem, quam certo quodam loco proposuerat, ex unica ratiocinandi dexteritate. Hæc eadem juvit ipsum in nova, quam facilem, ut arbitramur, ac simplicem, & ab omni ingenioso acumine alienam, excogitavit, oraculi δυσνοήτυ *Rom. VIII, 18 - - 25*, interpretatione, dum *creaturam*, quam vocant, *gemebundam* de *Judaeis extra sacram Christi civitatem viventibus, & gloriosum Messiam, inversa divina œconomia, anxie expectantibus*, exponit, hancque S. *Pauli* sententiam esse contendit, *consummatam credentium Novi Testamenti Judæorum υἱοθεσίαν, ejusdemque patefactionem, non prius, quam Messia quandoque gloriose apparituro, incredibili cum jucunditate adventuram esse*. Ex *Paulinis* hæc una est ratiocinationibus, quæ hoc loco inprimis enucleatur. Nil temere effundit novæ hujus Autor enodationis, verum eas addit rationes, quæ legentium non extorquent assensum, sed facile consequuntur. Sed, his explanatis, ad *Cap. VIII* nos convertimus, hoc insignitum indice, *de diversa Scriptorum Nov. Test. charactere*; *Cap. IX, de propriis Scriptorum Nov. Test. virtutibus*. *Tomi II Partis I Cap. I* agit & inscribitur *de stilo Nov. Test. a vitiis objectis amplius vindicato*; *Cap. II de elegantiis sacræ Nov. Test. dictionis*; *Tom. II Part. II Cap. I de divisione Nov. Test. in Capita & commata*; *Cap. II de variis Nov. Test. versionibus, speciatim Latinis*; *Cap. III de locis quibusdam Nov. Test. in Britannica Versione male translatis*. *Tomi II Partis III* index est, *Caput unum de variis Lectionibus Nov. Test.* quo nullum majus in toto extat *Volumine*. De cetero *quatuor* adjectis Indicibus de *Blackwalliana* Critica bene meritus est Interpres, 1) *Autorum*, 2) *Locorum sacrorum, inprimis Nov. Fœd.* 3) *Vocum ac phrasium eximiarum*, 4) *rerum memora-*

Pag. 296.
304 seq.
322 seq.
341 seq.
392 seq.
427 seq.
492 seq.
503 seq.
519 seq.

morabilium. Nec vero elegans Opus ulla ratione deformari passus est mercator, qui sumtus præbuit. Chartam enim coemit puram, & oculis non injucundam, in qua illud typis etiam nitidis descriptum fuit. Simul ut evolvitur liber, & index ejus primarius adspicitur, ornat eum effigies *Blackwalli*, ad eminentis in Magna Britannia artificis, *Virtue*, exemplum hic Lipsiæ eleganter sculpta & expressa. Nihil addimus, nisi hoc unum, quod jure nobis videmur posse contendere: hæc Latina Critica *Blackwallio – Wolliana* est thesaurus variæ, & sacræ & profanæ, doctrinæ, ac omnis interioris, quam sanctior hodie Theologia flagitat, eruditionis, & sacra Nov. Test. Philologia non immerito vocatur, quæ, quam lucem, dignitatem, ac singularem reverentiam, toti sacrosancto Codici *Salomo Glassius* Philologia sua afferre voluit, eam omnem unis Novi Fœderis tabulis, copioso præstantissimorum auxiliorum apparatu conciliat.

Accedendum nunc nobis erit ad *Hermeneuticam Nov. Fœd.* a Cl. *Wollio* elaboratam & adjunctam. Separatus ejus index hic est: *Hermeneutica Nov. Fœd. Acroamatico - Dogmatica, certissimis defecatæ Philosophiæ principiis corroborata, eximiisque omnium Theologiæ Christianæ partium usibus inserviens.* In Præfatione Cl. Autor & hujus totius indicis, & conjunctæ cum Critica *Blackwalliana* Hermeneuticæ suæ, rationem reddit. *Blackwallus* sacris Nov. Test. Philologis auxilia præbuit philologico-critica. Quare non ab re fore existimavit Cl. *Wollius*, si hermeneutica subsidia cum his amice copularet, atque ita utriusque generis opes & copias erudito exhiberet interpreti. Cl. Anglus dictionis Nov. Test. dignitati ac munditiei ex sacrorum & exterorum classicorum Autorum consuluit comparatione. Itaque Cl. *Wollius*, eadem tractandi ratione adoptata, planum facere voluit, libros, quorum divinæ sunt origines, non aliam prorsus, atque toto genere disjunctam, enodandi flagitare artem, quam alii scriptores, inprimis dogmatici, poscant & requirant. Quod solas Nov. Test. tabulas hac sua juvit scriptione, has declarat causas. Est inter utrumque sacrosanctum Codicem interius aliquod vinculum, cum

cum Nov. Test. in vetere latere, Vetus autem in Novo patere, non immerito dicatur. Tum vero nemo dubitat, quin Theologia Christiana ex sanctissimis Nov. Test. Tabulis multo enodatiorem ac perfectiorem capiat demonstrationem. Iis præterea hæc inserviet Commentatio, qui sacris studiis non operantur, dummodo Græcæ linguæ periti sint, quam in scholis & Gymnasiis non tantum Theologi futuri addiscunt, verum ii etiam, qui Jurium peritiæ, aut Medicinæ, aut Philosophiæ separatim, suum consecraverunt ingenium. Hi contra Hebraicas & Chaldaicas literas, quibus Vet. Test. conscriptum est, ne attingere quidem solent. Nec vero novas Vet. Testamentum regulas interpretandi exigit, sed hæ quoque ipsæ, quas Nov. Test. requirit, ad idem pertinent, uno excepto illo, quod sanctarum Orientis linguarum proprietates & ultimæ historiæ sibi quodammodo vindicant. Philosophiam purgatam ac defecatam erudito interpreti commendavit Cl. *Wollius*, quod seculo, quo vivimus hodie, philosophico illi, qui in Philosophia plumbei, inermes, & toti alieni, reperiuntur, nullo in erudita civitate loco ac numero versantur. Adhæc vult Cl. Autor expendi, artem ratiocinandi Virorum eruditorum Librum veluti Symbolicum esse, in cujus si dictata omnes jurarent eruditi, nullæ amplius lites & controversiæ in sacra & literata ferverent civitate. Has etenim aliter componi posse negat, quam si rationes sumtionum reddantur, si in disserendo *modus concludendi*, quem alii *formam ratiocinationis* vocant, disertis addatur verbis. Philosophiam hoc poposcit propositum, propterea quod non *popularem* & *exotericam*, sed *eruditam* atque *acroamaticam*, Autor tradidit interpretandi rationem. Hæc namque Hermenevtica nobilissima pars est Philosophiæ, hoc est, Logicæ. Arctiori insuper vinculo naturales ac patefactæ veritates inter se nexæ & jugatæ sunt, quam ut sine illarum ignoratione hæ solidius & accuratius dignosci ac defendi queant. Hæc ubi idoneo quodam *Jo. Bened. Carpzovii*, magni olim Theologi, testimonio confirmavit, non *falsam* ac *deformatam*, sed *verum* & *purgatam*; & vero ne hanc quidem ut *normam* ac *principium*, sed ut *organum*, at idem tamen paulo cultius

cultius atque ad rem institutam accommodatius se commendare fatetur. Addit dictis, se nullius in magistri verba jurasse, sed optima quæque, & cum veritate congruentia, ex *Aristotele*, *Cartesio*, *Gassendo*, *Lockio*, *Rüdigero*, *Müllero*, *Wolfio*, aliisque, delegisse, & in usus suos convertisse. Cum vero, ut B. *Carzovius* præ se tulit, melior Exegeseos sanctioris pars *Dogmatica* esse debeat; *Dogmaticam* Hermenevticam suam inscripsit *Wollius*. Non enim *verborum* tantum, sed *rerum* etiam, hoc est, *dogmatum*, inprimis eruditam demonstravit declarationem, & ex hac utraque conjuncta *Theologiam Dogmaticam*, *Polemicam*, *Moralem*, ac *Paracleticam*, atque adeo *Homileticam* quoque, duxit ac terminavit. Ita vero ille, *Jo. Georgii Neumanni*, Inclyti Vitembergensium Theologi, autoritati obsecutus, *sobriam* hic *Philologiam* ac *Philosophiam*, una cum *erudito elegantiorum literarum usu*, auditoribus suis inculcavit Academicis.

Totum vero Opus constat ex *Introductione* satis copiosa, & *Regulis Nov. Fœd. Hermenevticis*. In illa hanc Cl. Autor sequitur tractandi rationem, ut certas semper §os præmittat, hasque subjectis observationibus demonstret ac illustret. Initio probat
Pag. 1 seq. existentiam *Acroamaticæ Nov. Fœd. Hermenevticæ* ejusque
§. 1. vel *animo tantum conceptæ*, vel *literis mandatæ*, ex historia
pag. 4 seq. civitatis sacræ, quam in antiquiorem & recentiorem dividit.
§ 2 — 17. Antiquiori præmissa, recentiorem contexit, inde ab eo tempo-
pag. 47 seq. re ductam, quo B. *Lutherus* sacrum Codicem e tenebris in lu-
§. 18. cem revocare cœpit. Speciatim naturam Hermenevticæ Nov.
pag. 17 seq. Fœd. cœtuum consideravit, ut *Evangelico-Lutherani*, *Ro-*
§. 19. 20. *mani*, *Reformati*, ac *Sociniani*: ubi *quinque artes* ac *griphi*
pag. 20. interpretum, qui *Fausto Socino* favent, recensentur. Inpri-
§. 21. 23. mis singulari studio evolvitur, per *sapientiam*, *philosophiam*,
pag. 21. *rationem*, *rectam* & *sanam rationem*, quam *Sociniani* toties
§. 22. crepant, *ingenium versutum*, *vafrum*, *captionibus & griphis*
assuetum, nec non *mysteriis sanctissimis inimicum*, ie ipsa intelligendum esse: qua occasione ἐνανθρώπησις Servatoris con-
pag. tra *Val. Schmalcium* a suspicione absurdi, & notio *rationis*
23 — 25. genuina, ad usum sanctioris Theologiæ, ab ambiguitate accu-

rate

rate vindicatur. Ad Hermenevticam N. F. separatim elaboran- Pag. 27
dam Autorem singularis ejus commovit utilitas, & ratio do- §. 24.
ctorum Nov. Fœd. interpretum, qui aut nimia *memoriæ*, aut
nimia *ingenii*, aut utriusque facultatis æquali virtute value-
runt, paucos contra *eruditum judicium*, quod vim ratiocinandi
in explicando adhibet, juvit. Quo loco recensentur vitia in- pag. 29.
terpretum, qui sola valent *memoria*, nec non eorum, quos
ingenium juvat *fæcundum*, ut 1) possibiles sensus, ex quibus 31.
Scepticismus nascitur *Exegeticus*, 2) *Syncretismus Exegeti-*
cus, quo plures possibiles vocum sacrarum potestates ac notio-
nes in uno eodemque loco conjungunt, & in concordiam redi-
gunt, 3) incredibilis regularum copia Hermenevticarum, 34.
quarum ope minutis sacras literas ambagibus dissecant,
4) ingeniosæ ratiocinationes. Ubi tamen tres virtutes emen- 30 seq.
datæ mentis, *discrimen*, *venustas*, & *sensus veri & falsi*,
ad eruditum requiruntur interpretem, quarum prima ad *me-*
moriam, altera ad *ingenium*, & tertia denique ad *judicium*
pertinere censetur. Ex iis Nov. Fœd. interpretibus, qui vim pag. 34
ratiocinandi ante oculos positam habuerunt, *C. E. Brochman-* §. 25.
nus, *Jo. Georg. Dorscheus*, *Fr. Jul. Lutkens*, *Jo. d'Outrein*, &
Ven. *Jo. Laur. Moshemius* inprimis, laudantur, & Cel. *Wolfii*
Curæ Philologicæ & Criticæ excitantur, ubi plures illuc per-
tinentes nominantur Autores. Consequitur *definitio Herme-* pag. 36
nev. Nov. Fœd. nominalis, & *realis Hermenev. Acromaticæ* §. 26.
generatim spectatæ, ubi planum fit, eruditi esse interpretis, pag. 37
non solum ut *verba* sciat Autorum, quos declarat, sed eorum §. 27.
etiam *systemata*, ex quorum concentu *reales* ipsorum senten- pag. 40.
tiæ petendæ. Hac in *profanum* & *sacram* divisa, *realis* A- pag. 41
croamaticæ Nov. Fœd. Hermenev. speciatim additur *defini-* §. 28.
tio, ac *divisio*, 1) in *totalem* & *partialem*; hæc singularem pag. 42
aliquem librum sanctiorem, illa vero *totum Nov. Fœd. Syste-* §. 29.
ma, idemque *historicum* & *dogmaticum*, explanat. Cum ve- pag. 43
ro omnes Philosophi & dogmatici scriptores ex suo singulari, §. 30.
cui faverunt, systemate explicandi sint; officio suo satisfactu- pag. 85.
rus Autor, *dogmaticum* aliquod totius Scripturæ sacræ, sigilla- 43 — 85.
tim Nov. Test. *Systema*, purgata ratione & divina patefactio-

 ne

ne in auxilium vocata, concinnavit, in quo ſimul eorum, qui
cœleſtes violant veritates, ſententias, nullo tamen cœtu no-
minatim deſignato, infirmavit ac diluit. Ex hoc ſyſtemate
dogmatica, contendit, oracula exponenda & illuſtranda eſſe.
Pag 43. 86 Conjungitur cum data diviſione 2) in *verbalem* & *realem*, ſeu
ſeq. *idealem*, quæ altera, rationibus ab utilitate & neceſſitate pror-
92 §. 31. ſus eximia ductis, majorem in modum commendatur. Her-
menevtica Nov. Teſt. *realis* 3) eſt vel *Dogmatica*, vel *Hiſto-*
pag 93. *rica*. *Dogmatica* vel *mixta*, vel *pura*; illa ad *dogmata mix-*
64 ſeq. *ta*, hoc eſt, ex ratione ac revelatione ſimul patentia, hæc ve-
ro ad *myſteria*, pertinet. Cum in tota hac ſcriptione, tum in
hac maxime pertractatione, totus in eo verſatur Autor, ut re-
centiorem purgatam Philoſophiam erudito commendet expla-
98. natori. His jactis fundamentis, *cauſas novem Philoſophiæ ex
Hermenevtica exulis* recenſet & proſcribit: 1) eſt ignorantia
ejus, 2) abuſus locorum *Paulinorum*, *1 Cor. II*, 4 – 13, *2 Cor.
X*, 5, *Col. II*, 8. Accedit 3) miſera Scholaſticæ Philoſophiæ
99 ſeq. facies, 4) perpetua Socinianorum Philoſophiæ ac rationis ja-
ctatio, qua rationem eam, qua valent ipſi, pro norma ſacras
literas interpretandi haberi volunt, 5) bona intentio, vel ſaltem
100 ſeq. opinio, hoc velo tecta, 6) mala intentio, 7) rejecta temere a
multis diſtinctio inter ea, quæ ſupra & contra rationem ſunt,
101. 8) ambigua, & tantum non impia, notio, vocabulo *Myſterium*
102 ſeq. a Deiſtis & Socinianis ſubjecta, 9) exercitatio, quæ inſcribitur,
paradoxa, Philoſophia Scripturæ interpres, quæ Eleuthero-
poli, hoc eſt, Amſtelodami, A. 1667 in lucem exiit. His, &
106 ſeq. quæ huc pertinent, declaratis, *gradus certitudinis*, ad quorum
normam dogmata ſacra cum natura notis conferenda ſunt, de-
92. finiuntur, & *quinque legibus* incluſi exhibentur. Hermenevtica
Dogmatica pura porro eſt vel *generalis*, ſive *communis*, vel
ſpecialis, ſeu *propria*. In illa convenit utrumque, Vet. ac
107. Nov. Teſtamentum, hanc vero ſolam ſibi vindicat Novum. At-
que hæc Nov. Fœd. *propria* in *Antitypicam* & *Antiprophetì-
cam* dividitur. Ut enim Hermenevt. Nov. Teſt. typorum &
vaticinationum Meſſianarum eruditam tradit enucleationem;
ita Hermenev. Nov. Teſt. docet, quemadmodum utriusque
gene-

generis veritatum complementa, ab ipsis divinitus actis & eruditis hominibus indicata, explicari debeant. Ut adeo Ἀντὶ in voce *Antipropheticus* ad sensum Vet. Test. *Propheticum*, sicut in vocabulo *Antitypicus* ad sensum Vet. Test. *typicum*, referatur; ut novam istam appellationem accurate ipse explanat Autor. Pag. 110 seq. Ubi etiam de *mystico*, quem & *typicum* vocat, Vet. Test. sensu multis exponit verbis, atque ex certissimis 111 seq. demonstrat principiis, ad *divinos typos*, ac *vera oracula Messiana* rite dignoscenda, quæ in Acroamatica Theologia valere debeant, ipsam *authenticam* Spiritus S. in Nov. Test. non posse non requiri declarationem. Ne cui vero ingeniosæ hic fictioni locus detur, *tria* veri *sensus antitypici* & *antipropbetici*, in Nov. Test. tabulis sciscitandi, communicavit indicia. 112. 116. Disputat contra eos, qui non omnes Vet. Test. typos a viris divinitus instructis, qui Novum Fœdus condiderunt, enucleatos 117. esse opinantur, hosque ingeniosos interpretes ad scepticismum exegeticum viam parare ostendit. Hæc postquam omnia 120. debitis vallavit præsidiis, *fundamenta divisionum*, hactenus in medium prolatarum, enodat, ex *sensu* nimirum Nov. Fœd. ducta, qui est vel *verbalis*, sive *Grammaticus*, & *literalis*, vel *realis*, seu *idealis*, isque vel *dogmaticus*, vel *non-dogmaticus*, sive *bistoricus*. *Dogmaticus* iterum vel *mixtus*, vel *purus*, est. Hic denique vel *generalis*, seu *communis*, est, vel *specialis*, sive *proprius*, 121 §. 32. pag. 122 seq. qui in *antitypicum* & *antipropheticum* dividitur, & singulari solertia enucleatur, ut *divini innati typi* ab *bumanis illatis*, 127. quorum ingeniosi hodie interpretes Autores esse solent, secernendi ac segregandi sint. Cum his sensus Nov. Test. speciebus alii *mysticum* Nov. Test. *sensum* conjungendum esse con- 122. tendunt, id vero vel bono vel malo consilio sciscunt. Cl. *Wollius* 130. cum his congreditur, nominatim cum Cel. *Rambacbio*, qui ingeniosa magis, quam solidiora, sensus mystici suppeditavit criteria. At vero Cl. Autor rejicit sensum *mysticum*, *moralem*, & *spiritualem*, in *parabolis* Christi, & eruditam harum enodatio- 131. nem cum declarat, tum exemplis illustrat idoneis: quo in argumento Homiletas quosdam ineptos, qui sacras Domini parabolas imperite interpretantur, non sine sale perstringit. Nec

 largi-

Pag. 137. largitur, in *miraculis Jesu* mysticum latere sensum. Negat
denique, eundem in sanctissimis Nov. Test. *historiis* venan-
140. dum esse. Sed Patres olim *bono consilio*, nec eo tamen lau-
9. 143. dando, has ingeniosas in deliciis habuerunt *allegorias;* ut *Ori-
genes*, & ejus amici, *Origenistæ*, ex juniori schola, cui patroci-
nabantur, *Platonica* in sacram Christi civitatem easdem trans-
145 §. 33. tulerunt. Introductionem finiunt *quinque Axiomata*, ex alla-
ta reali Hermenev. Nov. Test. definitione petita, quæ, ut
consectariorum, hoc est, *Regularum Hermeneuticarum*, prin-
cipia ponuntur. Ut adeo hæc ipsa fundamentum primariæ con-
stituant Tractationis, quæ nunc demum consequitur.

Regulæ Nov. Test. *Hermenev.* tot *Capitibus* traduntur,
quot *Axiomata* posita sunt, ex quibus illæ ducuntur. Itaque
quinque sunt *Capita*, in quibus regulæ inveniuntur declaratæ.
pag. 147. *Cap. I de Regulis Generalibus ipsum interpretem ad erudi-
tam Nov. Fœd. explanationem præparantibus* inscribitur.
148. *Axioma*, quod hic præmittitur, hoc est: *Erudita Hermenev.
Nov. Fœd. est firma facilitas intellectus hominis eruditi,
ejusque in probabilitate hermenev. exercitati.* Hinc tredecim
regulæ Hermenev. ceu consectaria ducuntur, quas breviter
149. nos indicabimus, ut appareat Lectori, quo valeant: 1) com-
153. mendat interpreti erudito artem ratiocinandi, 2) judicium per
159. eam cultum & expolitum, 3) interiorem naturæ & graduum
probabilitatis hermenev. peritiam, quorum mensura, hoc est,
168. robur ac ratio, enucleatur, 4) animum a perturbationibus,
temere adscitis opinionibus, ac definitionibus nominalibus, ho-
176. die usitatis, vacuum, 5) veræ lectionis ex probatissimis Codi-
178. cibus explorationem, 6) genuinum versionum usum, 7) prom-
179. tam rerum sacrum contextum circumstantium notitiam,
183. 8) concentum sive systema doctrinarum sacrarum, 9) exqui-
190. sitam linguæ Græcæ, vocum, ac phrasium, ac proprietatum,
196. Græcarum cognitionem, 10) doctrinam de Terminis Gram-
200. matico - Rhetorico - Logicam, 11) naturam propositionum
202. sacrarum periodicam ex arte Rhetorica, 12) veritatem earum
enuntiativam, una cum ratione vocum nativa, ex Logica; ubi
210. & *Tabula Vocum 90 Nov. Test. relativarum* communi-
catur,

catur, 13) veritatem ratiocinativam, seu ratiocinationes sacras *Capitis II* hic est index: *de Regulis generalibus, ipsam erudita Nov. Fœd. explanationis indolem ac naturam declarantibus.* *Axioma II*, fundamenti loco positum, hoc est: *Erudita Hermenev. Nov. Fœd. ex consensione rerum omnium orationem Græcam circumstantium verum Autorum sensum ratiocinando firma concludit facilitate.* Ex hoc 5) derivantur regulæ: quarum 1) præscribit interpreti accuratam antecedentium & consequentium, nec non ipsius subjecti ac prædicati, singularis propositionis enodandæ connexionis evolutionem, 2) ratiocinationem circa sensum vocum grammaticum, 3) circa sensum Autorum sacrorum idealem sive realem, 4) circa gradum ac pondus veritatis Hermenev. dimetiendum, 5) jubet cavere sacrum enarratorem a mera possibilitate & conjectura. Hæ sunt *generales* regulæ, quæ ad profanum non minus, quam sacrum, requiruntur interpretandi negotium. Nunc sequuntur *speciales*, hoc est, eæ, quæ solam excellentiorem Nov. Fœd. divini scilicet Codicis, expositionem juvant, ejusque adeo *propriæ* sunt. Hinc *Cap. III de Regulis specialibus, in singularem erudita Nov. Fœd. explanationis usum cum cura semper convertendis*, exponit. *Axioma III*, quo regulæ nituntur, ita se habet: *Autores Nov. Fœd. divinitus acti sunt homines, iidemque Vet. Test. interpretes.* Regula 1) eruditum Nov. Fœd. scrutatorem jubet certum esse, scriptores a Deo eruditos nusquam obscure, aut per barbarismos ac solœcismos, locutos de industria esse, 2) nativam orationis δεινότητα in loco semper usurpasse, 3) verissimas res esse, quas cum humano communicaruut genere, 4) removendas veras a Nov Test. contradictiones, & conciliationem contra ἐναντιοφανειῶν sacrarum judicio fultam instituendam, 5) sensum realem antitypicum in Nov. Test. quærendum, 6) Novum a Vet. Test. tanquam clarius ab obscuriori, differre, 7) Nov. Test. perfectiorem Dei patefactionem esse, ultra quam explanationes haud evehendæ. *Cap. IV de Regulis specialibus. in Hermenevtica reali ab erudito Nov. Fœd. explanatore observandis*, agit. *Axioma IV* hoc ponitur: *Datur, præter verbalem, Herme-*

Pag. 230. 242. 243. 247. 252. 255. 257. 263. 267. 270. 272. 275. 277. 207. 207. 279. ibid. 280.

nevti-

nevtica Nov. Fœd. erudita realis, eaque vel dogmatica, vel
Pag. 281. *Non-Dogmatica.* Regula inde ducta interpretem jubet cavere, ne tantum realis ſit explanator, contra vero inculcat ei, ut ſit etiam realis, idemque vel dogmaticus, vel non-Dogmaticus, qua occaſione quatuor exhibentur Tabulæ: in prima
282. dogmata credenda, in altera moralia, in tertia paracletica, &
284. in ultima denique Hiſtoriæ Nov. Fœd. dogmaticæ, in uſum Theologiæ Acroamaticæ, repræſentantur. *Reg.* 2 duplex interpretis eruditi officium commendat, quod in eo vertitur, ut
ibid. ſenſum exploret verbalem una cum reali, ſive ideali. *Cap. V*, idemque poſtremum, hanc præmiſſam habet inſcriptionem: *de Regulis ſpecialibus, ex fine Hermenev. Acroamaticæ in eru-*
285. *ditam Nov. Fœd. enodationem redundantibus. Axioma V*, ex quo tres *Regulæ* in lucem proferuntur, his eſt verbis conceptum: *Erudita Hermenevtica Nov. Fœd. ſacra eo valet, ut Theologia divinitus inſpirata perfectius hinc demonſtrari*
286. *queat.* Ergo, ſecundum *Reg. 1*, Theologia inſpirata realis dogmatica, mixta & pura, eaque Dogmatico-Polemica, Moralis ac Paracletica, perfectius interpreti demonſtranda. Cum vero definitio ac diviſio demonſtrationis principium & criterium ſpeciale ac proprium ſit; Regula præſcribit 2, ut eruditus Nov. Fœd. enarrator definitiones ac diviſiones elaboret, unde Theologico-reales ducat concluſiones. Quo loco de variis methodis Theologiam tractandi diſſeritur,
287. contra *Analyticam* nonnulla modeſtiſſime monentur, & *Syntbetica* ceteris antefertur, qua initium fit 1) ab *exiſtentia* dogmatis demonſtranda; ubi, quid ex purgata ratione, & quid ex S. Scriptura, petendum ſit, cum cura diſcernitur. Huc &
288. *Hiſtoria Eccleſiaſtica Dogmatica* refertur, & prudens illius u-
289. ſus certis obſervationibus circumſcribitur, & idoneis exemplis
290. roboratur. Exiſtentiam probatam excipiat 2) *definitio*, hanc 3) *diviſio.* Utramque conſequantur 4) *Axiomata*, inde profecta, ex quibus 6) *conſectaria* deducenda, adjuncto *concludendi modo*, ſi quem peritiores deſiderent. Atque his 7) *ſcho-*
292. *lia* ſubnecti poſſunt. Hanc *methodum* vocat Autor *Philoſophicam Syntheticam:* at amat ille tamen atque in deliciis habet

bet interiorem meditandi rationem *Mathematico-Philosophicam*, quamvis in animum inducat, ut credat, ad eam aptiores esse, qui in ipsa interiora rerum adyta penetraverint, quam qui *externa* ejusdem *figura* tantum, sine nuce veritatum gustata, delectentur. Hanc vero methodum, ita comparatam, cum sua haud pugnare, sed amice potius consentire, scilcit. Pag. 294.
Reg. 3 & ultima hunc eruditi Nov. Fœd. interpretis finem constituit, ut ideam eminentiæ, ejusque vel supernaturalis, vel antitypicæ, in Theologia ex Nov. Test. demonstret. 295.

Atque hæ sunt *triginta* illæ *Regulæ* Hermenevticæ, quas in erudita Nov. Fœd. explanatione commendavit Autor. Istæ vero cum generales ac universæ sint, omnes speciales, quas modo cunque, in usum cumprimis eorum, qui latiorem ipsarum ambitum haud satis capiunt, facileque offendunt, excogitare licet, quasque ipse in separatis Dissertationibus adhuc in lucem orbis eruditi protulit, sub illis comprehenduntur, ac, veluti consectaria, hinc eliciuntur. Hoc modo Autor, Philosophia & severiori meditatione adjutus, nimium regularum diminuit numerum, quas nonnulli præter necessitatem adauxerunt. Nec vero posuit tantum Axiomata, & regulas hinc duxit, sine indicata ratione, sed explicavit omnes præterea notiones & sumtiones, demonstravit eas accurate, semperque *modum concludendi Logicum* disertis nominavit verbis. Quid? quod & *Praxin Nov. Fœd. Græcam*, hoc est, locos selectiores, addidit, in quorum enodatione ad normam regularum, quas fixas esse voluit, versatus est, eximio easdem usu confirmaturus. Planum fecit, quavis oblata occasione, quantum realis & idealis sensus grammaticum juvet ac verbalem, & locos, quos cœlestium violatores veritatum in dubium vocarunt, omnia fere, quæ volunt, ipsis dando & concedendo, ex certissimis principiis vindicavit, suæque integritati restituit ac sinceritati. Rebus omnibus explanatis, quatuor confecit Indices, eosque copiosos ac utiles: nimirum Indicem 1) Autorum, 2) Locorum Nov. Fœd. 3) vocum Nov. Fœd. potiorum, 4) rerum memorabilium. De reliquo, cum auditoribus præcipue suis hunc consecraverit librum, iis ipsis ea in posterum declarabit,

quæ

quæ aliis fortaſſe obſcuriora videbuntur; quandoquidem hoc ipſo jamjam tempore, iſta duce ſcriptione, Collegium inſtituit Hermenevticum, cum Hermenevticam ſacram univerſam in Collegiis Exegeticis adhuc tradiderit. Nos quidem, re bene putata, nulli dubitamus, recenſitam hactenus ſcriptionem, in qua ratio ſacras literas interpretandi ad eum certæ rationis gradum, quem ſapientiores jam diu in votis habuerunt, evecta eſt, cui & ab elegantiori dictione non vulgare pretium accedit, iis, qui eruditioni Theologicæ ex animo bene cupiunt, perlegendam etiam atque etiam commendare: quin etiam ſperamus, *Hermenevticam* Vet. Teſt. ſi quam elaboraverit, ſicut in Præfatione ſignificat, Cl. *Wollius*, & reliqua ejusdem, quæ & in Theologiam univerſam, & in nonnullas S. *Pauli* Epiſtolas jam meditatus eſt, & ea, quæ hodieque meditatur, illuc pertinentia ingenii monumenta, ſacræ & eruditæ civitati maximopere probatum iri.

OPUSCULA, AD HISTORIAM JURIS ET maxime ad POMPONII Enchiridion illuſtrandum pertinentia, collegit JOANNES LUDOVICUS UHLIUS. Præfationem præmiſit JO. GOTTL. HEINECCIUS, JCtus, Potent. Pruſſ. Reg. a Conſil. Sanctior. Jur. & Phil. Prof. P. Ord. & Jll. Frider. h. t. Prorector.

Halæ, impenſis Orphanotrophei, 1735, 4.
Alph. 2 plag. $8\frac{1}{2}$.

Eſt hoc fere proprium magnis ingeniis, ut non ab ipſis tantum præclara quæque atque ſalutaria perveniant, ſed ut aliis etiam, quibus naturam in tribuendis dotibus minime contigiſſe novercam intelligunt, ad ſimilia tentanda animos inſpirent, &, quæ ſufficiant bonis conatibus, inſtrumenta ſuppeditent. Illuſtris *Heineccius*, cum ei ſatis eſſe poſſet, ad veterum Jureconſultorum gloriam erudititſimis ſcriptis adſpiraſſe, eademque, inter plauſus publicos, pleniſſime potitum, noluit

luit his finibus omne suum eruditorum commoda promovendi studium contineri, sed illud inprimis adjiciendum suis in rectionem studia præstantissimis meritis existimavit, ut, si quos ex discipulorum corona, qua se quotidie, dolentibus quantumvis invidis, cinctum pulcherrime ac velut circumseptum videt, magno animo contendere ad doctrinæ politioris laudem animadverteret, horum honestum impetum consilio partim, partim approbatione, confirmaret, simulque viam ipsis monstraret, qua mature prodesse eruditis, spemque lætam de se concitare doctrinæ excellentioris possint. In quorum numero cum præ ceteris eminere ipsi videretur *Jo. Lud. Ublius*, quem *Juvenem ornatissimum, & ad interioris Jurisprudentiæ omnisque humanioris literaturæ adyta incredibili industria contendentem*, vocat, quem & *suum* passim nominat, & nos ipsi *Heinecciana* famæ applaudentem sæpius coram audivimus, autor huic fuit, ut industriæ suæ aliquem ad eruditos redundare fructum pateretur, & ad edenda denuo nobilissimorum JCtorum scripta, quæ illustrandæ Juris Romani Historiæ inservire, aut Commentarii ad *Enchiridion Pomponii* vicem sustinere possent, curam studiumque converteret. Qua cum nihil illi optatius accidere, ex præceptoris consilio gloriam captandi, occasione posset, mora nulla interposita, obtemperavit prudentissimis monitis, &, ut commodius deinde legi posset *Enchiridion Pomponii*, non ita cuilibet lectori obvium, selegit, quos Jurisprudentiæ elegantioris studiosis in manus traderet, præstantissimorum Commentatorum quaternarium, eorum nempe, quos vel aliunde satis constaret, ad illustrandum partim, partim emendandum, *Pomponium* præclara quæque contulisse. Enatum hinc præsentem *Opusculorum* fascem vides, in cujus vel ipsa fronte incomparabilis *Cujacii* nomen fulgidissimæ gemmæ instar splendet. Habes enim hic 1) ipsum *Pomponii Enchiridion*, seu *L. 2 D. de Origine Juris*, cum *Notis*, seu, ut ipsi Autori vocatur, *Commentario*, *Jacobi Cujacii*. Non indicat in Præfatione Ill. *Heineccius*, unde potissimum petitum sit Opus, nec nobis certo satis constat, an sit unquam sigillatim editum; accessisse tamen Operibus *Cujacii* conjunctim

Aaa editis,

editis, quorum editio *Wecheliana* id *Tomo II pag. 83* habet, vix unus est, qui nesciat. Pascent egregie Lectorum animos *Cujaciana* hæc bellaria, etsi non large nimis, satis tamen laute atque suaviter, instructa, unde vis illa sagacissimi ingenii, quam cetera Viri magni scripta ad unum omnia spirant, plenissime elucet. Est enim verborum æque ac rerum solertissimus investigator, felix inprimis in restituendis aut emendandis Autoris sui verbis, & cum ipsis rationum nervis insignem Autorum veterum omnisque generis antiquitatum notitiam conjungens. Succedunt 2) *Christoph. Adami Ruperti Animadversiones in Enchiridion Pomponii*, Jenæ olim forma minima excusæ, sed tum ita mendis operarum deformatæ, ut, meliori habitu vestitas jam videre, non possit non cuilibet nostrum gratissimum accidere. Fuit *Rupertus*, quod omnibus notum est, Germaniæ nostræ & sui ævi gloria, maximorum Virorum sine dubio famam æquaturus, nisi in ipso ætatis & doctrinæ flore constitutum immatura fata occupassent. Eadem laus, quæ ceteris ejus scriptis, maxime in Autores veteres Commentariis, passim tribuitur, ad ipsas has *Animadversiones*, suasore olim *Georgio Richtero* Altorfii scriptas, sed mortuo demum Autore publicatas, pertinet, suntque in his multa Operis *Pomponiani* capita erudite enodata, multa etiam veteris Jurisprudentiæ momenta dextre explicata. Insignem igitur Lectori usum spondet, & in magno utique pretio habendus labor videtur, etsi nec suis careat labeculis, aut, si benignius sit judicandum, limam passim Autoris sui desideret, quem, ut sanandis locorum vulneribus non æquale ubique acumen adhibuisse apparet, ita, si diutius in vivis fuisset, & publicandi Operis sui ipse curam suscepisset, nullum est dubium, pauca ea, quæ jam forte offendere lectorem possunt, felici industria emendaturum fuisse. Exhibet nobis 3) Editor *Cornelii van Bynckershoek*, incomparabilis Batavorum Jureconsulti, *Prætermissa ad L. 2 D. de Origine Juris*, ab ipso Autore olim inter *Opuscula varii argumenti*, quæ conjunctim A. 1719 Lugduni Batavorum lucem publicam viderunt, postea Halæ A. 1729 cum iisdem Cel. Autoris *Opusculis* denuo edita cura *Franc. Caroli*

Con-

Conradi, tunc in Lipſienſi Academia Jura docentis, nunc Helmſtadienſis Anteceſſoris, cujus & Præfationem, eruditam æque ac copioſam, non incommode hic repetitam legimus. Doceat te vel ipſum Operis rubrum, non hic quærendum ad *Enchiridion Pomponii* Commentarium pleniſſimum, ea recoquentem omnia, quæ ſunt ante a Viris doctis obſervata, ſed nova tantum & ſingularia, ſecure prætermiſſa illi Commentatorum turbæ, & ob id inprimis magni æſtimanda, Opere hoc *Byncker ſhœkiano*, id eſt, docto, eleganti, & polito, contineri. Ut hinc laudandum valde videatur Cl. *Uhlii* conſilium, qui velut ad ſupplendos *Cujacii* & *Ruperti* labores pertinere id libelli, neque adeo ab illis hoc in loco ſejungendum, recte exiſtimavit. Qui novit *Byncker ſhœkianæ* Muſæ decus atque gloriam inſignem, non, ut præſenti Operi hederam ſuſpendamus, is poſtulat. Omnia ad tanti Viri laudes dixiſſe putabimur, ſi, quod vere Ill. *Heineccius*, *tanto magis quemque profeciſſe videri in Jurisprudentia*, *quanto magis illi placeant Opera Byncker ſhœkii*, dixerimus. Quæ ſubjuncta eſt his *Prætermiſſis*, *Chriſtfridi Wæchtleri*, præſtantiſſimi olim cauſarum patroni Dresdenſis, eorundem *Prætermiſſorum Recenſio*, non niſi plagulæ unius ſpatium implens, migravit huc ſine dubio (quod, neſcimus, cur diſſimulet hic Editor,) ex *Opuſculis Wæchtlerianis*, horumque *pag.* 712, quem in locum tranſtulerat Editor *Trotzius* ex *Actis* noſtris *A.* 1720 *Menſ. Mart. pag.* 112 *ſeq.* Vellemus, ipſa evolvere *Acta* noſtra placuiſſet *Uhlio*, ne omitteret illam *Wæchtleri* alteram *Prætermiſſorum Recenſionem*, ibidem obviam, ita, ſi quid judicamus, comparatam, ut elegantia & bonarum rerum copia alteri haud quidquam cedat, atque adeo utraque hic conjungi ſatis commode potuerit. Sed levis eſt hæc jactura, ſi, recenſentis magis, quam illuſtrantis, munere defunctum illic *Wæchtlerum*, conſideres. In his, quæ faſce præſenti continentur, aliquanto plus præſtitit, emendationes locorum *Byncker ſhoekianas* ſubinde ſub examen criticum vocans, inprimis *Ciceronis* Jurisprudentiam, quam ille Batavorum Heros labefactatum iverat, novis rationibus communiens. Quam ipſam controverſiam ut hic pleniſſi-

me disputatam legerent istarum rerum curiosi, accessit sub finem *Antonii Schultingii*, Clarissimi olim Franequeranæ Academiæ Jureconsulti, *de Jurisprudentia Marci Tullii Ciceronis*, tersa & facunda Oratio, recitata publice Franequeræ A. 1702, postea ad calcem *Jurisprudentiæ Ante-Justinianeæ*, immortalis Operis, adjecta. Opusculis his pulcherrimam coronidem imponit Ill. *Heineccii de Variis Saturninis JCtis* Programma, ante aliquod tempus in Academia Viadrina publicatum, non ex mole sua, (est enim perbreve,) sed ex rerum optimarum selectu, æstimandum. Hæc igitur, quæ jam pro instituti nostri ratione breviter enarravimus, *Opuscula* conjunctim hic prodeunt opera & cura *Ublii*, cui non illud tantum debes, quod scripta hæc omnia emendatissima jam legas, sed & illud inprimis, quod ad calcem *Opusculorum* accuratus rerum Index accesserit, & in *Cujacii* libello *Enchiridion Pomponii* cum ipsis *Cujacianis* notis commode conjunctum, Scriptorum loca accuratius, quam factum a *Cujacio*, indicata, &, quæ Græca hic leguntur, eorum causa, qui hospites sunt in istis deliciis, sermone Latino sint donata. Eo nomine gratias habebis diligentissimo Juveni, cujus labor vel ob id bono cuique probabitur, quod placuerit magno ingeniorum æstimatori, *Heineccio*, qui, ut Operi huic omni ex parte decus suum constaret, amplissimam ei & Autore tanto prorsus dignam Præfationem præmisit, in qua, quicquid de *Pomponio*, nobilissimo illo *Enchiridii* Autore, quicquid de vita ejus, varia doctrina, librisque numero permultis, sed maximam partem deperditis, ex veterum Scriptorum monumentis cognosci potest, collegit diligenter, & venusta oratione exposuit, præterea, velut in transcursu, larvato illi *Schützio*, & suo, & omnis doctrinæ elegantioris, jurato hosti, animose respondit, postremo *Opusculorum*, ab *Ublio* collectorum, dignitatem commendavit, multaque diligentia id egit, ut, quæ *Cujacii* & *Ruperti* quantumvis acute videntes oculos effugerant, ipse ex solidioris Critices penu suppleret, &, si quid illis rectius aut ipse observasset, aut observatum ab aliis novisset, id larga manu exprometer.

BER-

BERNARDI SIEGFRIED ALBINI, ANAtomes & Chirurgiæ in Academia Batava, quæ Leidæ est, Professoris, Historia musculorum hominis.

Leidæ Batavorum, apud Theodorum Haak & Henricum Mulhovium, 1734, 4 maj.

Alph. 3 plag. 17, cum Tabb. æn. 8.

Expectatissimus omnibus Anatomes cultoribus, maxime illis, qui Musculorum viriumque motricium corporis humani cognitione delectantur, exiitit Liber iste, de quo jam, antequam prodiret, fama increbuerat, magni in difficili hac Anatomes parte ponderis & singularis prorsus utilitatis fore. Mediocria de Eruditiss. Autore sperare, nefas videbatur omnibus, nec vota frustratus est eventus rei. Quamvis enim vix dici aliquid de hoc argumento possit, quod non dictum fuerit a tot tantisque Myologiæ gravissimis exercitatissimisque Autoribus, negari tamen nequit, desideratissimum fuisse hoc Opus eo potissimum nomine, quod opus fuerit aliquo conciliatore variarum sententiarum & terminorum, quibus paucissimi Myologorum conveniunt. Post rem scilicet herbariam, quæ hac ætate gravissime itidem conflictatur cum polyonymiis, synonymiis, & homonymiis, vix alia est disciplina, quæ vitiis in dictione gravius exerceatur, Anatome, maxime quod musculos attinet, quorum non tam ipsorum, quam nominum, tædiosa multitudo, & quo termino apud hunc aliumve Autorem quærendi, vel qua constanti ratione declarandi sint, tyronem artis deterrent. Hoc beneficio potissimum nos obstrictos sibi fecit Cl. Autor, quod singuli musculi onomatologiam sollicite exponere, ex Autoribus in unum colligere, unoque adeo conspectu sistere, allaboraverit Methodus ipsa, singulum musculum singulo Capite recensendi, historiam uniuscujusque omni, qua patet, ambitu adducendi, leviores etiam aliis visas circumstantias pro definiendo ortus & progressus termino, dire-

ctionis, diametri modo, declarandi, omnibus placet. Prout est summæ in secando dexteritatis, fieri aliter non potuit, quin variorum hallucinationes detegeret & emendaret. Habituri hunc librum sumus fidelem cultri Anatomici ducem in istis potissimum musculorum tricis impedimentisque, ubi vel parvitate & mutua fibrarum decussatione, vel, etiamsi majores fuerint, dubia sua, utrum pars, an totum sint, relatione, ingenia exercentur. Assuescendum nihilo secius erit novis quibusdam terminis, antea a nemine usurpatis, quos Vir Clarissimus huic doctrinæ intulit. Habituri sumus Tragicos, Antitragicos, Epicranios, aliosque, quos tamen, tanquam intrinsecum significandi valorem habentes, lubenter admittimus. Generaliora, ad Historiam musculorum universam spectantia, præmittuntur *Libro primo*, quo de fabrica usuque partium in musculo erudite ad mentem recentiorum disseritur, propositis & fideliter communicatis administrationis Anatomicæ subsidiis, quibus musculus in elementa partesque constitutivas clare reduci possit. Præmittitur hoc ipso brevis omnium musculorum enarratio, inter quos sunt, qui novitate placere possunt, constrictores isthmi faucium, curvatores coccygis, scaleni quidam minores, pro majoris parte huc usque habiti, aliique; etsi fassus sit Cl. Autor, ejusmodi musculos non in omnibus cadaveribus, sed in quibusdam, reperiri, quorum rarius visorum musculorum, Stylohyoidei alterius transversi, perinæi, biventris cervicis, aliorumque, catalogum annectit. Sicut autem Musculorum seriem aliquibus auctiorem effecit, ita eandem ex altera parte imminutam reddidit, siquidem sphincteres vesicæ, aliasque ex fibris motricibus compositas partes, ex albo Musculorum delevit, quod albicantibus, non carneis, fibris constare deprehendantur, nec in legitimam musculi formam collectæ sint. Proponitur omnium commodissima musculos administrandi methodus, Autori familiaris. Primo loco suadet, spectandos esse musculos, qui sub cute jacent, nec advertendum esse animum ad alios, donec hi omnes a pinguedine liberati, nitidissime detecti, discentibusque declarati fuerint. His deinde dextre remotis, sequens musculorum stratum eadem industria perquirendum est, sicque

per-

pergendum ad Musculos ultimæ ossibusque proxime adjacentis seriei, musculo omni transversim discisso, & a vicinis undique separato, tum ad originem, tum ad insertionem usque. Quo discentium aut secantium commoditati inserviret, totum corpus sollicite in plurimas regiones dividit, quique in singula ambitus totius corporei provincia siti sint musculi, quique sese mutuo tegant, quo sibi subjaceant ordine, exponit. Corpus viri universum in octo & quadraginta, fœminæ in sex & quadraginta, dispescit regiones, quarum aliæ geminæ sunt, aliæ singulares, aliæ utrique sexui communes, aliæ alterutri propriæ. Hac lege sibi ipsi lata, omni *Libro secundo* musculos, qui cuti immediate subjacent, reliquosque subtus premunt, recenset. *Tertius* denique *Liber* bis centum & triginta Capitibus totidem musculos amplissime describit, non illo ordine, quo hactenus ab Autoribus descripti fuerant, quibus musculos unius ejusdemque partis, utut diversis in locis enatos, recensere insimul volupe fuit, sed diverso, scilicet uniuscujusque regiones musculi, nullo habito ad partem, quam movent, respectu, prout prope se invicem collocantur, una incedunt, quo ipso sua sponte apparet, a summo corporis loco nempe epicranio, dicendi initium fieri debuisse, cujus caro non, ut hactenus, musculi frontales & occipitales, aut occipitofrontales, sed epicranius unus, audit. Plura sunt laude digna, quæ ad condendam specialem omnis musculi historiam de suo addidit Clariss. Autor, nihil intactum relinquens eorum, quæ vel ad secandi dexteritatem, & rite a se invicem dignoscendam vicinam & perinde visam carnem, vel ad affectionem musculi, variasque ejus circumstantias, pertinere ullo modo poterant. Adduntur propriæ observationes variarum discrepantium, & in omni subjecto non convenientium, alicujus musculi circumstantiarum. Ante omnia, qui plerumque constantiam secantium miris modis exercent, musculos trachelomastoideum, transversalem cervicis, cervicalem descendentem, qui sacrolumbalis pars posterior *Cowperi*, felicer explicuit. Facere tamen haud potuit, quin longissimum dorsi & sacrolumbalem eodem Capite declararet, ob indissolubilem, nec nisi naturæ vim inferendo distrahendam,

utrius-

utriusque nexum, ita quidem, ut parum absit, quin uterque ille musculus pro bicipite quodam, in duas longissimas caudas abeunte, ab ipso *Albino* habeatur. Adjecit musculorum manus Iconographiam, *Joannis Wandelaar*, eximii Artificis, opera factam, prorsus elegantem, cui omnium musculorum corporis similem optare vel expectare velle, summum esset in re Anatomica votum attigisse. *Quarto* denique *Libro*, qui mere Physiologicus est, omissi de industria hactenus musculorum effectus ordine exponuntur.

DESCRIZIONE E STUDI DELL' INSIGNE Fabrica di S. Maria del Fiore, &c.

h. e.

DESCRIPTIO ET ACCURATÆ DELINEAtiones insignis fabricæ templi Metropolitani Florentini S. Mariæ de Flore, pluribus Tabulis æneis incisæ, & Magno Duci Florentiæ, JO. GASTONI, dedicatæ, a BERNARDO SANSON SGRILLIO, Architecto.

Florentiæ, apud Bernardum Paperini, 1733, fol. maj. Plag. 12, Tabulæ æneæ 17.

Satis constat, urbem Florentiam quamplurimis pulcherrimisque abundare Architectonicæ artis operibus, quorum plerorumque delineationes admodum accuratas novissime collegit, atque in lucem edidit, nobilis Architectus, *Ruggierius*. Sed nemo tamen huc usque describere aggressus est fabricam omnium præcipuam & plane admirabilem templi metropolitani & cathedralis S. *Mariæ de Flore*: si *Fontanam* excipias, qui nonnulla attigit in sua templi Vaticani descriptione. Cum igitur non paucas, easdemque summo studio factas, ædis illius delineationes reliquisset *Jo. Baptista Nellius*, Senator Florentinus, & ædis provisor, non ita pridem defunctus, rem gratissimam se facturum credidit egregius Autor noster, Architecturæ professoribus, si eos diutius carere non pateretur instru-

ctione

ctione tam necessaria ad majoris molis fabricas: quarum cum rarissima est occasio, tum tot ac tantis subjecta difficultatibus effectio, ut, nisi habeas, quos imiteris, excellentissimos artis magistros, vix ac ne vix quidem fieri possit, ut non sæpe & graviter offendas. Itaque delineationes *Nellianas* ille quidem septendecim Tabulis æneis majoribus elegantissime insculpsit; descriptionem vero luculentam addidit nobilissimus *Ticciatus*. Cœptum est superbum illud & magnificentissimum opus sub finem Seculi decimi tertii: nec prius absolvi, quam A. 1435, potuit, dedicatum a Pontifice *Eugenio IV*. Proximum ei est aliud antiquum templum *S. Joannis* Baptistæ, cujus etiam ipsius delineationem & succinctam descriptionem adjicere visum fuit.

LA NUOVA PRATICA DI PROSPETTIVA, &c.
h. e.

NOVA PRAXIS OPTICES, IN QUA NOVæ quædam opiniones exponuntur, cum regula generali, in qualibet superficie rem quamlibet delineandi: Opus Pictoribus, Architectis, & Sculptoribus, maxime utile & necessarium. Autore D D. PAULO AMATO, Sacerdote, & Architecto Panormitano.

Pars I.

Panormi, inchoatum a *Vincentio Toscano*, 1714, & ad finem perductum ab *Onuphrio Gramignano*, 1733, fol.
Alph. 1 plag. 1, cum Tabulis æn. 35.

Paulus Amatus, Ciminnensis Sacerdos, Jurisprudentiæ Doctor, & civitatis Panormitanæ Architectus, cum diu floruisset, atque in artibus Architecturæ, Geometriæ, & Optices, Panormi semper primas obtinuisset, compluribus pulchre & splendide exstructis operibus clarus, annum ætatis agens octogesimum primum, exstinctus est. Reliquit ille librum, quem nunc in manibus habemus, imperfectum: qui ab ipso subjectus prelo typographico, A. 1714, quo vivere desiit, nuper de-

mum publicam adſpexit lucem Varia in eo proponuntur, adperficiendam Optices praxin, & delineandi artem, opportuna. Et in Proœmio quidem cum de nomine, ſcopo, præſtantia, jucunditate, utilitate, & neceſſitate, artis laudatæ, tum de præcipuis Autoribus, qui eam ſcriptis ſuis illuſtrarunt, ſuccincte agitur. *Pars prima* diſtributa eſt in ſeptem Capita: quorum tria priora complectuntur principia quædam geometrica de planis & ſolidis: reliqua de ichnographia, orthographia, ſcenographia, & quomodo res quæque in qualibet ſuperficie optice delineandæ ſint, exponunt. Sequitur Tractatus opticus; qui, neſcimus, an pro altera libri Parte habendus ſit: neque enim id notatum eſt. Atque ille tribus conſtat Sectionibus: tertia imperfecta eſt: quarta, quam addere Autor in animo habuerat, plane deſideratur. Principio duobus Capitibus definitiones & fundamenta Optices practicæ afferuntur, deinde aliis duobus de nova quadam Autoris methodo tractatur. Sectio prima Capitibus decem; altera novem; tertia quinque, abſolvitur. Poſtremo rogant libri Editores, ut vitiis cum typographi, tum ſculptoris, lector ignoſcat: neque enim fieri potuiſſe, ut illa, propter defectum & corruptionem exemplaris manu exarati & delineati, ſatis evitarentur.

GLI ECCELSI PREGI DELLE BELLE ARTI, &c.

h. e.

EXCELSA PRETIA PULCHRARUM ARtium, & mutua earum conjunctio cum ſcientiis mathematicis, demonſtrata in Capitolio, ab Academia, quæ dicitur DEL DISEGNO, occaſione Panegyris, ſolenniter celebratæ A. 1732, principatum Academiæ tenente Equite, SEBASTIANO CONCA, ad CLEMENTEM XII.

Romæ, apud Jo. Mar. Salvionium, 1733, 4.

Plag. $13\frac{1}{2}$.

Nemini facile ignotam eſſe arbitramur Academiam Pictorum, Statuariorum, & Architectorum, quæ Romæ a *Clemento*

mente XI, Pont. Max. instaurata & ordinata, nomen a designando accepit *del Disegno.* Neque illud obscurum esse potest, quod tres illæ artes hodie apud Italos, quasi κατ᾽ ἐξοχὴν, vocari soleant *belle arti*, quas pulchras Latine dicere malimus, quam bonas aut liberales, quoniam bonarum & liberalium artium vocabula tam arcte restringi se non patiuntur. Mos est atque institutum hujus Academiæ, ut singulis annis, sub principium Maji, solennem celebret Panegyrin; in qua juvenum, istarum artium studiosorum, specimina, superiori anno ad elaborandum proposita, publice examinantur, & præmia quædam ab Eminentissimis Cardinalibus, qui præsentes sunt, distribuuntur. Fieri istud solet in palatio quodam Capitolino, variis emblematibus & insignibus ad eam rem exornato, quo magna hominum vis confluit, ad audiendos concentus musicos & Orationem solennem, quæ hac occasione recitatur. Huic nonnulla adduntur Carmina, ab iis elaborata, qui Pastores Arcades vocantur. In præsenti libro, qualis fuerit Panegyris A. 1732, quæ specimina fuerint exhibita, & qui præmia reportaverint, exponitur. Adjecta sunt Carmina & Oratio, quam de excelsis principiis artium liberalium, (de quibus scilicet diximus,) & de mutua earum conjunctione & harmonia cum scientiis mathematicis, recitavit Rev. *Æneas Silvius Piccolominius*. Hæc Oratio lingua Italica, Carmina partim Italice, partim Latine, conscripta; ipse vero liber eleganti charactere typographico in charta augusta expressus, & partim literis majoribus nitide effigiatis, partim aliis similibus sculpturæ ornamentis, distinctus, & ad rerum seculique ingenium accommodatus est.

NOVA LITERARIA.

Mediolani haud ita pridem, cura *Philippi Argelati*, Viri Clarissimi, prodiit Operum *Caroli Sigonii Tomus quintus*, de cujus pretio ut certius constare possit Lectoribus nostris, en, ipsius *Argelati* Programma, nuper editum, & ad nos transmissum, hic legendum damus:

Si omnes, quotquot hactenus intercesserunt, moræ causas recensere velim, quibus impeditus, quinti Sigonianorum Operum Tomi editionem in hanc usque diem differre coactus sum, longa nimis, Lector humanissime, in mæstissimum commentarium excurreret Epistola; quamobrem unam tantum, ex qua ceteras omnes facile dignoscas, in medium proferre liceat ad excusationem nostram: rerum nempe publicarum statum apud nos bellorum motibus agitatarum, unde literis minus honoris est habitum, eaque sublata sunt præsidia, sine quibus, industrio licet homini, difficile nimis, ne dicam impossibile, eam operam præstare, quæ gravissimis impensis absumitur, vel ad inquirendos & comparandos MStos Codices, vel ad excitandos literatos viros, ut expoliendæ huic editioni elucubrationibus studiisque suis manum conferrent. Quæ cum ego anxio nimis animo in hac editione paranda consectatus fuerim, factum est, ut, crescente in dies materia, incepto huic Operi apprime necessaria, modum, quem ab initio mihi proposueram, excesserim, & sextum Tomum addiderim, quo editio nostra erit absoluta, extra quam ne minimum quidem Sigonianorum Operum alibi sit inquirendum, quod fatearis, necesse puto, postquam Elenchum Epistolæ huic additum perlegeris. Quod ad quintum hunc Tomum pertinet, brevibus exponam. Continet is libros de Republica Atheniensium, *quæ Rempublicam Hebræorum scientiarum cultu ac soliditate imitata est. Et, quoniam in hac illustranda expertus sum me literatis viris, ac potissimum Geographis, placuisse, quod novam Geographicam Tabulam Palæstinæ, summa diligentia delineatam, exhibuerim, & quod omnes omnium ante nos curas in eo studio vicerim communi doctorum testimonio, ad eam iterum palmam contendere volui, Atticam universam, quam ceteri vix cursu velocissimo præterierant, distinctius perlustrando, & sub tuos oculos, erudite Lector, Apollinis Regiam, & literarum humaniorum fœcundissimam inter nos matrem, iterum effingendo. Id factum est opera & studio eruditissimi Viri, Hebraicarum Græcarumque literarum peritissimi, e Societate Jesu, qui nomini suo parcus, laudem omnem in Societatem suam, studio-*

ſtudiorum & doctrinarum altricem, cumulatam voluit, mihique altum ſilentium impoſuit, modeſtiæ ſuæ potius, quam deſiderio meo, nimis obſecutus. Et ſane non ipſa tantum rei novitas, ſed & diligentia, qua doctiſſimus Autor delineaverat Tabulam hanc, non minori Chalcographi peritia exſculptam, tibi cariſſimam facient, eamque ſi comparaveris cum Veliana, quæ ipſius Anonymi judicio in ſua Præfatione præſtantia ceteras antecellit, percipies, quanti noſtra facienda ſit, quæ locos omnes, vel ab ipſo Sigonio, *vel ab Autoribus Græcis, indicatos, unice repræſentat, ingenti literatorum Virorum commodo, Græcaque ipſius Hiſtoriæ luce, poſtquam Attici, qui artes omnes optime coluerunt, in Geographia ſua nobis tradenda parci adeo fuerint, ut vix nobis per veterem Atticam iter aperuerint. Ad illud itaque in tanta temporum diſtantia reſtituendum, Autor noſter in eo totus fuit, ut Athenarum primo latitudinem & longitudinem polarem, quantum fieri poteſt, ſolidiſſime ſtabiliret, æquinoctialibus obſervationibus inhærens, & juxta* Vitruvii *ac* Riccioli *ſententiam in longitudine XII graduum differentiam notavit ab eo, quo Galli & Germani Geographi hactenus celeberrimam eam urbem collocaverant. Fluminum præterea numerum & curſum ſedulo inquiſivit, Iliſſum, Eridanum, atque Cephiſſum, diſtinctius ſignavit, quam fecerint* Cluverius, Laurenbergius, *&* Cellarius. *In urbium tandem nominibus recenſendis* Meurſii *nomenclatorem probavit, atque, ut differentiam eorum nominum inter* Sigonium *&* Meurſium *oſtenderet, utrumque nomenclatorem compoſuit, in quo Populi omnes Attici Græco Latinoque ſermone cientur, & utrinque ceteros alios addidit, qui ab alterutro, vel ab utroque, prætermiſſi fuerant, quorum & memoria in Græcis ſcriptoribus invenitur, eaque occaſione* Sigonium, *a* Gronovio *erroris poſtulatum, in ſua Præfatione ad Tomum IV Theſaur. Antiqu. Græc. feliciter vindicat, duaſque Lambras, teſtimonio Græcorum, a* Meurſio *editorum, olim fuiſſe demonſtrat, &* Laurenbergium, *etſi præſentem Atticam perluſtrantem, non ſemel cæcutiſſe demonſtrat. Quamobrem, cum ipſe ob Tabulæ anguſtiam Athenarum ſitum & murorum ambitum deli-*

delineare minime potuerit, indicatis majoribus Ædificiis, & Templis, quod mente proposuerat, Venetos Græci Thesauri editores hortatur, ut novam Tabulam parent, in qua repetitis curis exhibeatur, quicquid ab ipso minime fuerit observatum, ut nihil tandem ad plenam Atticæ notitiam desiderandum supersit. Jam vero aliqua delibanda sunt de ceteris Autoris nostri laboribus in illustrandis ipsis libris de Atheniensium Republica, *in quibus ne verbum quidem Græcum a* Sigonio *adbibitum dolet* Gronovius *in dicta sua Præfatione, quasi vitio verterit homini de Græcorum Republica scribenti, ejus gentis Autorum testimonium dissimulasse. Quæ sane accusatio licet alia etiam ratione facile refelli potuisset, visum tamen est accuratissimo Viro, commodissimum antiquitatis cultoribus futurum, si veterum Græcorum locos, unde hauserat* Sigonius *enarrationes suas, productis eorum verbis indicaret, atque ita* Sigonio *adversus asperiorum Criticorum exceptiones in posterum inconcussam fidem firmaret. Ad eos vero locos in tanta* Sigonii *brevitate inquirendos quantum laudatus Autor noster insudare debuerit, nemo melius æstimaverit, quam qui Græcorum dicendi luxum animadverterit, eorumque libros evolverit. Ex quo tandem labore id ipsi factum est apertissimum, nullum alium vel ante vel post* Sigonium *Atheniensium mores, leges, consilia, magistratus, judicia, & alia singula, quæ celeberrimam Rempublicam constituerant, distinctius enarrasse. Tandem aliqua in Auctarium Chronologicum præfatus Autor noster,* Sigonianum *librum* de Atheniensium Lacedæmoniorumque temporibus, *mole quamvis exiguum, maximi tamen pretii in suis animadversionibus facit, quod Græcarum rerum omnium seriem ab initio gentis ordine complectatur, &, quicquid a ceteris enarratione longa scriptum fuerat, paucis collegerit. Id unum in* Sigonio *minus accuratum sensit, Chronologiæ nempe ineundæ rationem; quamobrem periodi Julianæ subsidio usus, itemque Autorum testimoniis, atque Astronomicis observationibus, quæ viam ad cognoscenda tempora unice possunt aperire, inito calculo ad Solis ac Lunæ Eclipses Thucydidi memoratas, annum Peloponnesiaci belli, ac Trojani excidii, melius designat, & utramque Chronologiam Atheniensium &*

Lace-

Lacedæmoniorum feliciter prosequitur, Regum atque Archontum serie in Tabulis Græcis, Latinisque nominibus, disposita, suisque Olympiadibus alligata, in quarum designatione quoties a Sigonio *discessit, in subjunctis annotationibus rationem explicat. Ex his omnibus, Lector humanissime, facile conjectaberis, quanta sit ad Græcarum antiquitatum explicationem in hac nova editione nostra studiosis omnibus commoditas comparata. Sed ad Latinas transeamus. Habet hic Tomus libros etiam* de antiquo jure Civium Romanorum, Italiæ, Provinciarum, & de Judiciis, *quibus duplicem Præfationem præposuit J. C.* Ludovicus Voigt, *natione Saxo, in hac urbe plures jam annos moram trahens, Græcæ Latinæque eruditionis, atque cultioris Jurisprudentiæ, amantissimus, & inter privatos Lares inque Gymnasio Nobilium legitimam trahens scientiam. In prima Romanæ Jurisprudentiæ origine, cum celebratissimo* Gravina *e purioribus sinceræ Philosophiæ fontibus repetita, qui sit verus ipsius Jurisprudentiæ genius, quæque ratio ad eam comparandam ineunda sit, ablegatis forensium rabularum deliriis, qui, noverint licet aliquando Romanas leges, earum tamen sincerum sensum & vim assequi non possunt, quod Romanæ totius antiquitatis ignari per ipsum Romanum forum peregrini & barbari vagentur, & enormiter errent; quamobrem ad hunc errorem reparandum* Sigonianos *hosce libros unice opportunos demonstrat, e quibus veram Romanæ Jurisprudentiæ indolem haurire possumus. In altera vero Præfatione, Libris* de Jure Italiæ *præfixa, Reipublicæ Romanæ triplicem statum distinguit, Regium nempe in Consulibus, Aristocraticum in Senatu, & popularem in Plebe, ac Tribunis, atque variam cujuscunque status naturam exponit, cumque de populari disserit, latius ad Comitiorum explicationem descendit, eorumque diversa genera diligenter observat, recensitis cum* Paulo Manutio *Romanis Tribubus, quæ in comitia veniebant, earumque convocandarum rationem, & habendorum Comitiorum causas & modos, enarrat, unde sit facilis apparatus ad* Sigonii *libros &* Gruchii, *quos inter occasione legis Curiatæ explicandæ obortæ sunt controversiæ, quæ hactenus eruditos omnes in utramque partem traxerunt.*

xerunt.

xerunt: ad Gruchium *vero Cl.* Voigt *accedere videtur, servato in re tam obscura, ut par est,* Sigonio *ceterisque bonore debito. Libros vero singulos, editis veterum annotationibus, quæ in sæpius recitato Thesauro Antiq. Rom. inveniuntur, perpetuis commentariis illustravit V. C.* Joannes Madernus, *Latina eruditione exercitatissimus, eamque operam præstitit, quæ lucis plurimum tam* Sigonianis *libris, quam Romanorum ipsis legibus, allatura sit ad Scientiæ Juris incrementum, & ad studiosorum omnium commodum atque utilitatem. Hæc sunt, quæ te prægustare volui, Lector bumanissime, ac, si probaveris, ut spero, postremas nostras curas babebis in sexto Tomo, qui erit ultimus, atque bæc continebit*: Emendationum Libros II; Disputationum Patavinarum Libros III; Disputationes de binis Comitiis, & Lege curiata; de Nominibus Romanorum; Fragmenta *Ciceronis* Scholiis illustrata; *Aristotelem* Rhetoricorum Lib. IV e Græco in Latinum conversum; Orationes VII; de Dialogo Librum; Orationes III pro Libro, cui titulus: *Consolatio Ciceronis*; Judicium de Romanæ historiæ Scriptoribus. *Clarissimus* Muratorius *in Vita* Sigonii *sequentia ejus Opera indicavit*: Demosthenis Orationem in Philippum e Græco translatam; Confutationem Censuræ *Antonii Bendinelli* sub nomine *Sauli Ronchi*; Vitam *Ægidii Foscararii*, Jurisconsulti; Vitam *Onuphrii Zarabbinii*, Cotineolensis. *Sed ad eos inveniendos diligentia nostra usque modo fuit inanis, ideo, si apud quempiam existant, rogo, ut ad nos mittere dignetur, gratias vel pretium accepturus, quo eos etiam edere possimus. De ineditis in eodem Tomo cura nostra lucem accipient sequentia Opuscula:* De Origine Scholarum Bononiensium; de Donatione Constantini Magni; Orationes II; Epistolæ; Elogia in mortem *Sigonii*. *Si quæ interea suppetent tam clari Autoris scripta, in publicum emittere non negligam, ut gratiæ utilitatique tuæ, Lector bumanissime, consulam. Vale.*

Si quid & nostræ valent preces, eos omnes, quorum literaria supellex Opusculorum aliquid *Sigonianorum* servat, ne expetentem hæc *Argelatum* destituant, literarum causa publice enixeque rogamus.

❀ ❀ ❀

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Septembris Anno MDCCXXXVI.

THE NAVAL HISTORY OF ENGLAND, &c.
h. e.
HISTORIA NAVALIS ANGLIÆ, A VIctoria Normannica A. 1066 ad A. 1734 deducta, e comparis ætatis Scriptoribus, domesticis atque exteris, Documentis authenticis, manu exaratis Commentationibus, Tractatibus atque Annalibus rarioribus, collecta a THOMA LEDIARD, Linguarum Occidentalium Professore, S. R. M. Magn. Britann. in Germ. infer. Legati extra ordinem Secretario.

Volumina II.

Londini, apud Joannem Wilcox, & Olive Payne, 1735, fol.
Alph. 10.

Non ignotum in Republica literaria *Lediardi* nomen est, qui non in Anglia solum, sed in Germania etiam, scriptis aliquot editis & Anglorum & Germanorum commodis inservire studuit. Cum Hamburgi ageret, ibidem linguæ Anglicanæ Grammaticam Germanico sermone typis exscribi curabat. Est enim utriusque linguæ peritissimus. Et constat, eum Germanicæ linguæ intelligentiam in civium suorum usus vertere. Neque enim solum Clarissimis Viris, qui *Baylii* Dictio-

narium Hiſtorico - Criticum Anglice interpretantur, atque numero multis obſervationibus augent, in vertendis libris Germanicis, ad inſtitutum eorum facientibus, operam ſuam præſtat, verum etiam aliis Commentationibus Anglice reddendis & Germanorum honori, & Anglorum utilitati, conſulit. Non poſſumus enim non ejus labori plaudere, quem in Celeberrimi *Jo. Jacobi Maſcovii*, ornamenti utriusque noſtræ Reipublicæ egregii, *Commentariorum rerum Germanicarum* interpretationem Anglicanam impendit. Ejusmodi enim Operis, quod Italorum atque Belgarum plauſum jam conſecutum eſt, verſio non poteſt non & Anglis perſuadere, neque in Germania noſtra eruditiſſimos Viros deeſſe, quorum ſcripta præſtantiſſimis exterorum Commentationibus palmam reddant dubiam. Sed in rem præſentem veniamus. Anglia nulla re magis alias regiones antecellit, quam quod mercatu inſtituendo atque naves armatas in expeditionem ducendo, principatum tenet. Quis igitur Cl. *Lediardo* vitio vertat, quod in recenſenda e genuinis documentis navali Angliæ hiſtoria operæ ſtudiique poſuerit plurimum. Amplitudo operis, & inſtituti ejus ratio, vix permittit, ut, exemplis quibusdam in medium prolatis Lectorem noſtrum doceamus, quo ſucceſſu res ſuas egerit Cl. *Lediardus*. Sufficiat igitur, ſummatim indicaſſe, quid Clariſſ. Autor Hiſtoria Navali ſibi velit; quibus ſubſidiis inſtructus, ad eam elaborandam acceſſerit; & qua methodo eam perſecutus ſit. Navalem Hiſtoriam dum Cl. Autor tradere inſtituit, id agit potiſſimum, ut ante omnium oculos exponat atque declaret, quomodo navalis Anglorum poteſtas ſucceſſive ad illud faſtigium pervenerit, quo nunc eminet. Eam in rem a Normannica Victoria Hiſtoriæ hujus originem repetit. Sunt quidem ejus ætatis Hiſtorici tantum non omnes Monachi, qui, rerum publicarum ignari, de re nautica Anglorum explicate non diſſerunt. Neque etiam Cl. Autor propterea operæ duxiſſet pretium, ab hac periodo ſuos ordiri Commentarios, niſi illi fuiſſent obſervationes ſingulares e ſcriptis exterorum Hiſtoricorum petitæ, quibus hinc Anglicanæ hiſtoriæ periodo lucem aliquam accendit. Sub *Eliſabethæ* auſpiciis navalis Anglorum poteſtas mirum in modum crevit, &

funda-

fundamenta jacta sunt gloriæ, quæ e navalibus pugnis & mercaturis in dissitis regionibus factis in Anglicam gentem redundat. Id causæ est, quare nauticæ rei statum ætate *Elisabethæ* latius atque studiose describat. Neque etiam tacitus præterit fata atque successus moliminum *Oxenhami*, *Drakii*, *Hawkinskii*, *Raleighii*, hominum in maritimis rebus exercitatissimorum. Quis diversus status potestatis Angliæ navalis sub unoquoque Rege fuerit, data opera exponit, atque indicat, quo itinere nova in America Regio detecta, a quibus & quo tempore ab Anglis inhabitata, quid ad mercatum Anglorum inde redundarit commodi. Qua quidem occasione, quemadmodum de primis Americæ inventoribus, *Christophoro Columbo*, *Joanne* & *Sebastiano Caboto*, atque *Magellano*, late differit, sic digna lectu sunt, quæ de recentissima atque omnium optima Anglorum Colonia *Georgia* sub finem Operis edisseruit. Vix opus est, ut moneamus, Clariss. Autorem de mercatura Anglorum in *India Orientali*, *Turcia*, atque *Russia*, non sine cura agere, ejusque mercatus historiam recensere. At, subsidia quod attinet, quibus Clariss. Autor in elaborandis hisce Commentariis usus est, non meminimus quidem alicujus Scriptoris, qui ante eum Navalem Angliæ Historiam in unum collegerit Volumen; non desunt tamen Historici, qui eam aliud agendo suis Annalibus inserunt, vel suarum Historiarum partem faciunt. Horum igitur scripta sedula manu versavit. Neque solum Anglicos consuluit Historicos. Etiam exterorum Historicorum scrinia compilavit, ubi navales pugnas cum Gallis exponit, & hujus regni Historicos in subsidium vocat. Ubi de expeditionibus maritimis contra Belgas atque Hispanos susceptis verba facit, non scriptores solum evolvit eorum parti faventes, verum etiam ex Italorum, Germanorum, Danorum, atque Suecorum, Commentariis proficere studuit. Præterea ad *Cottonianam* Bibliothecam, quæ thesaurum Historiæ Anglicanæ continet, illi patuit aditus. Gubernatoribus etiam atque magistris navium diversos Annales MStos debet, quibus magno suo cum commodo usus est. Præ ceteris *Guilielmum Jones* laudibus celebrat, quod, communicando diversa ad rem nauticam Anglorum pertinentia MSta, publico usui inservierit.

Quæ cum ita ſint, non dubitandum, quin Cl. *Lediardus*, Navalem Angliæ Hiſtoriam edendo, operæ fecerit pretium. Quoad fieri potuit, ordinem Chronologicum ubivis ſequitur. Atque, ut majori cum voluptate Commentarii ejus legantur, non ſolum res geſtas recenſet, verum etiam obſervationibus additis characterem ſummorum virorum, de maritimis rebus meritiſſimorum, deſcribere ſatagit, de rebus ad hanc Hiſtoriam facientibus nonnunquam diſputationes inſtituit, ſuumque judicium addit, atque in ſtatum poteſtatis navalis in exteris regionibus inquirit. Animus erat Cl. Autori Introductionis loco Diſſertationem de navigiis veterum præmittere. At vero mutavit conſilium. Magis enim e re eſſe duxit ſub initium Operis de navalis apparatus ſplendidiſſimi Magnæ Britaniæ Regis præſenti ſtatu commentari, gubernatores atque magiſtros navium recenſere præcipuos, atque de eorum muneribus atque ſtipendiis diſſerere. Ut ex hac etiam Diſſertatione Lectores capiant commoda, de numero navium Regiarum, earum ratione, atque pretio, obſervationem Cl. *Lediardi* ſub finem recenſionis hujus exhibebimus:

E Navibus	armatis atque tormentis inſtructis	una conſtat	--	omnes
7	100	35, 553 Libris		248, 871 L.
13	90	29, 886	—	388, 518
16	80	23, 638	—	378, 208
24	70	17, 785,	—	426, 840
30	60	14, 197,	—	425, 910
34	50	10, 606	—	360, 604
25	40	7, 558	—	188, 950
1	30	5, 846	—	5. 846
29	20	3, 710	—	107, 590
30	naves minores, ſupponitur, earum unam conſtare	2, 000,	—	60, 000
209	Naves conſtant			2, 591, 337 Libris

Licet hæc ingens ſit pecuniæ ſumma, idem tamen propemodum

dum numorum numerus 40000 nautis atque militibus, tempore belli alendis, quovis anno debet impendi.

HISTOIRE CRITIQUE DE MANICHÉE ET du Manicheisme, &c.

h. e.

HISTORIA CRITICA MANICHÆI ET Manichæismi, Autore DE BEAUSOBRE.

Amſtelodami, typis Joannis Friderici Bernard, 1734, 4.
Alph. 3 plag. 16.

Terriculamentum quondam erat *Manichaiſmus*, ipſe vero *Manichaus* videbatur exſtitiſſe ab orco tanquam monſtrum horrendum, infame, ingens, cui lumen ademtum. Utrumque *Petrus Bælius* veluti caput Meduſæ ac diram Erynnyn Theologis objectavit. Terrorem ademit nobis Vir Cel. motosque compoſuit fluctus, docens, *Manichaum*, ad libellam criticam expenſum, toto cœlo diſtare ab illo *Manichao*, cui *Bælius* lineamenta, vultum, ac vocem, dedit. Veneramur induſtriam ac leporem dictionis, rerumque amœnam varietatem, ab Autore in cauſa critica, faſtidii plena, pulchre adhibitam. Opus inſcriptum eſt Perilluſtri *Thulemeiero*, Auguſtiſſimi Boruſſorum Regis ad negotia ſtatus peregrina Adminiſtro, Muſarum delicio, doctrinæque melioris fautori. Præfatio anſam & originem Operis hujus elaboratiſſimi exponit. Cel. Autor in eo erat, ut exquireret primordia & fontes ſectarum, & Waldenſis, & Albigenſis. *Petrus de Waldo* ſuppeditavit fortaſſis denominationem; at ſectæ conditor haud exſtitit. Albigenſes interciderunt, Waldenſes reſtant. Primi fuerunt quadraginta viri, & nobilitate & ſacerdotio Aureliæ inclyti, quos Rex *Robertus*, *Manichaiſmi* crimine inſimulatos, A. 1022 vivos concremari juſſit, quos inter eminebant decem Canonici, & ſanctitate & literis cultiſſimi. Cruciatus ipſi pertulerunt ma-

gna cum constantia, spe & lætitia mentis, quæ ipsos hostes in admirationem rapuit. Dabit Autor eorum historiam criticam post *Paulicianorum* & *Bogomilorum* historiam, eadem ratione affabrefactam. Adspiret Numen conatibus tam gloriosis, tantaque difficultate obseptis. *Manichaismi* illud crimen quo magis illis intentabatur, eo plura capiebant Albigenses incrementa, & passim per Europam impensius invalescebant, ut vix rogi ad eos supplicio destruendos sufficerent. Noscantur igitur hæreses *Manichaismi*, & errores Albigensium, oportet, antequam utraque secta in contentionem adduci, & utrimque comparatio legitima institui possit. Hæc est illa illustris origo hujus limatissimi Operis. Recentiorum sententias Autor seposuit, fontes affectatus, unico excepto *Tillemontio*, qui tamen credulitate & anticipatis opinionibus laboravit. Græcorum singuli, de *Manichaismo* judicantes, sitim restinxerunt ex Actis disputationis *Archelai*, Episcopi in Cascar, cum *Manichao*. *Zaccagnius*, Vaticanæ præfectus, Acta illa primus emisit plena & integra. Autor operose ostendit, Acta illa esse meram fictionem. Ex hac fictione deducti sunt errores, *Manichao* perperam attributi, quibuscum tot viri boni pro aris & focis conflictati fluctus in simpulo moverunt. *Photius* illa Acta tribuit *Hegemonio*, qui quingentis annis post *Manichaum* scripsit. *Eusebius* haud meminit Actorum disputationis *Archelai*. Opus suum Autor bipartitus est. *Pars prior* est historica, *posterior* dogmatica. De religione *Zoroastris*, ejusque in Perside vicissitudinibus, de religione Christianorum per Turkestaniam, aliisque rebus cognatis, immiscentur varia, eaque solidissima, *Parti priori*. In *posteriori* enodantur capita doctrinæ a *Tyrbone*, *Manichai* discipulo, propositæ; errores a consecutionibus & corollariis inde profluentibus secernuntur; Theologia *Manichaa* in systema redigitur. Origo *Manichaismi* resolvitur in autoritatem, quam sibi arrogabat *Manichaus*, docens, sese ea tradere, quæ Christus Apostolos celaverit, nec tamen sese venditans pro Paracleto, vel Spiritu sancto. Ut generalem religionum reformationem induceret hæresiarcha, repudiavit Vetus Testamentum, Novum emendaturus. Ut emendationi viam aperiret illi, dictitavit,

Præfat. pag. 8.

II.

ditavit, scripta Nov. Test. esse adulterata, nec profecta ab Apostolis virisque Apostolicis, sed a Christianis Semi-Judæis. Argumenta, quibus id sese confecturum crediderat, erant sane ficulnea, uti ex recensione allata ac confutatione patescit. *Manichæi* hic liberantur a crimine, perperam eis intentato, quod libros Nov. Test. depravarint. Retorquetur id crimen in Cathalicorum nonnullos male sanos, exemplisque comprobatur. *Manichæus* Veteris Testamenti libros substituebat alios, siquidem cuicunque nationi Prophetæ exstiterint sui: refugiebat ad apocrypha, Seculo secundo ad hæreses Docetarum & Encratitarum corroborandas efficta, perhibentium, (Docetas intellige,) *Verbum* suscepisse nonnisi externam hominis figuram, haud naturam vel substantiam. Encratitæ matrimonia & usum carnium improbabant. Dogmatum falsorum fundamentum erat unum. Credebant enim, corpus & materiam Pag. 13. esse per sese aliquid mali. *Lucas* seu *Leucas* apocrypha illa confinxit, qui fere sesqui seculo ante *Manichæum* vixit. Enumerantur ab Autore libri *Manis*, & primorum ejus discipulorum. Deinde sequitur systema Theologiæ *Manichæi*, rati, Dei naturam esse extensam & definitam, personasque Trinitatis esse consubstantiales, sed distinctas in modum trium personarum humanarum. De Concilio Nicæno, de sectis inibi obviis, de Sabellianis, de Æonibus, & Emanationibus divinis, dis- 15. seritur in *Partis posterioris Libro tertio.* Hæc est summa hujus *Tomi primi.* At nunquam non genuino nexu influunt & copulantur observationes inexspectatæ & admodum reconditæ. In *Tomo secundo* comparebit historia critica trium *Manichæi* præcursorum, *Basilidis*, *Marcionis*, & *Bardesanis.* De Valentinianis, de Gnosticis, quos fuisse Christianos Autor negat, de doctrinis cardinalibus Philosophiæ inter ethnicos & Hebræos varie propositis, multa & insignia propositurus. Præjudicium 22 seq. ab autoritate & sanctitate Patrum vulgo depromi solitum hic diluitur & repudiatur. *Manichæus* credebat, Deum esse lucem vivam & materiæ expertem, in supremo cœlo ab æterno residentem, semper stipatam substantiis intelligentibus, puris & immortalibus, quas Æones a duratione æquali vocavit,

Pag. 25. vit. Statuebat porro, hasce emanasse ex substantia divina, siquidem creationem ex nihilo rejiciebat, & materiam pro omnis mali fomite reputabat. Cœlum supremum, & substantias intelligentes, in eo habitantes, vocabat cum aliis *mundum intelligibilem*, eumque *aeternum*. Luminosa substantia, ex qua cœlum fuerat formatum, æque æterna erat, ipso judice, ac ipse Deus, quippe qui ex nihilo producere aliquid haud valeat. Sed cœlo & Æonibus tribuebat *aeternitatem secundam*, siquidem ipsis sit causa, nempe Deus. Ex essentia Patris credebat Filium & Spiritum sanctum, duas personas, emanasse. Quæ duæ emanationes ex ejus sententia erant reliquis superiores. Ipsas Patri consubstantiales esse, opinabatur, nec tamen prorsus independentes. Primam Emanationem seu Personam putabat in sole ac luna residere, inde a condito quidem mundo materiali, idque in sole per potentiam, in luna vero per sapientiam. Secundam ponebat in aere. Utramque, credebat, Patris jussa ad finem mundi usque exsequi. In angulo spatii immensi residere statuebat malignum Dominum, quem *Manichaeus* vocabat *materiam*, *daemonem*, *tenebras*. Imperium ejus in quinque regiones distributum existimabatur. Summo tenebrarum principi parebant malignæ substantiæ quamplures. Imperia Dei & Dæmones separata credebantur invicem muris nescio quibus, ac ab uno latere vicinis. Deus novisse putabatur tenebras; ac tenebræ lumen haud agnoscebant.

27. Tenebræ cum irrupturæ essent in lumen, Deus ipsis *primum* opposuit *hominem*, quinque elementis substantiæ cœlestis armatum. Qui cum esset justo imbecillior, Deus in subsidium ejus misit *Spiritum viventem*, qui ipsum liberabat. Inter hæc Dæmones partem substantiæ cœlestis rapuerant, unde evenit, ut Lumen & Tenebræ invicem confunderentur. Ita *Manichaeus* sese felicissime existimabat originem mali, & peccati labem, expediisse, atque eam cum sanctitate Dei in concordiam redegisse. *Spiritus vivens* ex opinione *Manichaei* Dæmones subegerat, & ex cœlo in aerem dejecerat, ubi ipsi per vim admodum circumcisam excitant tempestates, tonitrua, fulgura, morbos contagiosos, & pluvias. Matrimonium, corporum

porum multiplicandorum caufam, horrebat *Manichæus*. Veram Chrifti nativitatem, converfationem, alimoniam, affectus innocentes, perpeffiones, ejus in crucem fublationem, refurrectionem, negabat, faciens hactenus cum Docetis. Quare haud potuit, quin quoque carnis noftræ refurrectionem inficiaretur. Conjugia a Satana effe excogitata, fomniabat, quam fentiendi libidinem *Gichtelio* ac *Gothofredo Arnoldo* nuper denuo arrififfe, eft in propatulo. Theologia *Jacobi Bæhmii* in plerisque capitibus cum *Manichæi* fyftemate concordat. *Manichæus* porro improbabat ufum vini & carnis, unde robur fuppeditetur carni ac cupiditatibus infulfis. Quare *electos* fuos jubebat amplecti voluntariam paupertatem, & abftinentiam ab omni negotio civili. Imperfectioribus indulgebat plura, quippe qui ad perfectionem Evangelicam nondum adfpiraverant propter cupiditatis præpondium. Sanctis tamen fuis permittebat ufum Mufices & fuffimentorum. *Manichæo* probabatur transmigratio animarum, cujus interventu animæ impuriores fenfim defæcari & expurgari poffent per varios cafus & tot discrimina rerum. Gradui primo conveniebat allevatio in Lunam: fecundo tribuebatur levatio in Solem: tertio depurationis gradui congruebat deportatio animæ ad locum, quem columnam gloriæ appellabant *Manichæi*. Cum fingulæ animæ & partes fubftantiæ cœleftis a materia fecretæ fuerint, excidium orbis hujus adfpectabilis inftabit. Ignis horridus fqualidusque prorumpet ex cavernis. Angelus *omophorus*, qui terram in fitu & æquilibrio fuftinet, eam in flammas demittet, compage & retinaculo folutam, ac præcipitabit maffam hanc inutilem ad *tenebras exteriores*, quorfum dæmones relegandi funt in perpetuum & animæ inertiores, quæ anfractum depurationis tunc nondum perfecerunt. Hoc eft illud famofum ac fabulofum fyftema *Manichæi* ac *Manichæorum*, ex fententia Ven. Autoris. Ad teftimonia Scriptorum fide dignorum & obruffam criticam fingula funt admodum exacta, id quod lectio Operis quemque condocebit. Quæ *Tomo* huic defunt, proximo ea plenius illuftrabuntur. Adjiciemus huic recenfioni compendiariæ nonnulla, alias vel incognita, vel haud fatis

Pag. 31.

Lib. I probata, quorum notitiam sparsim suppeditavit Autor. Tra-
pag. 6. ductio Actorum *Archelai* restat duntaxat Latina, facta ante Se-
culum septimum. *Scythianus* fuit ætate æqualis *Manichæo*,
26. teste *Photii* fragmento in *J. A. Fabricii Tom. V Bibl. Græc.*
28. *pag. 283. Colbergius* perperam ubique sese invenisse putavit
Manichæos. *Pythagoras* & *Zoroastres* eadem ætate floruerunt.
30. *Simon Magus*, Ex-Judæus, errores *Manichæismo* affines
35. fovit, animamque symbolo *Helenæ* expressit. *Basilides* primus
39. e Christianis fuit *Manichæismi* autor. Philosophi Theolo-
giam Christianam docebant primis Seculis summa cum liber-
40. tate, qualis jam in ecclesia haud toleratur. *Manichæismus* er-
41. ror est Persis ac Indis olim diu probatus. Evangelium Christi
notat ejus prædicationem & doctrinam. *Terebynthus* & *Bud-
das* idem notant; Chaldæi enim terebynthum vocant *Butam*.
54. *Manes* fuit nomen honorificum, quod ostenditur *pag. 73 seq.*
Nescio tamen, quam ob causam Ven. Autor occasionem arri-
piat quamcunque, ut Viro in republica literaria & ecclesia sa-
ne magno, *Joanni Christophoro Wolfio*, adversas sententias de-
74. 174 &c. fendere, eumque reprehendere possit. Nec Persas, nec *Mani-
chæum*, adorasse Solem, Autor ostendit *pag. 106 seq.* qui *Gotho-
fredi Arnoldi* errores historicos nonnullos agnoscit, eumque
114. satis celebrat. Historiam de *Manichæo* ex Orientalium scri-
ptis contractam prædicabunt omnes, tanquam opus, quod ex
155 seq. Phidiæ exiit officina. *Manichæum* Græca calluisse, Musicæ,
ac scientiarum Mathematicarum, Astronomiæ, Medicinæ, Pi-
ctoriæ, & inprimis Geographiæ, fuisse peritissimum, pauci
157 seq. norunt. *Zardasch* seu *Zoroastres* designat *amicum ignis pag.
163. Zoroastris* Philosophiam qui pernosse cupiunt, Nostrum
162 seq. adeant, necesse est. De Magis, de Ormizda, & Arimanio, cau-
167 seq. sisque affinibus, fercula deinceps apponuntur exquisita. In
Gothofredi Arnoldi Historia Ecclesiastica ipse haud pauca no-
tat & improbat Autor, paulo tamen inclementiori judicio Vi-
rum Cel. *Joannem Christophorum Colerum* fuisse usum, ad-
239 seq. dens. Nostrum est, venerari industriam & elaboratissimum
Autoris magni Opus, ac *Tomo secundo* propitiam comprecari
Lucinam. In præsens enim sat prata biberunt, dummodo id ad-
didisse

didisse licuerit, historiæ dogmatum *Manichæi* Autorem Cel. interposuisse Commentationem de eo, quod libri apocryphi & fabulosi miracula Evangeliis nostris enarrata haud concutiant, sed, in religionis Christianæ firmitatem, potius stabiliant. Habeat nos ita in recensendo suo Opere æquissimos Ven. Autor, & fortassis æquiores, quam ipsum interdum in Diario erudito, *Bibliotheque Germanique*, experti sunt nostratium nonnulli, humanitate sua, ut acerbis ita telis exciperentur, non sane promeriti.

HISTOIRE DES PAPES DEPUIS S. PIERRE jusqu' à Benoit XIII inclusivement, &c.

h. e.

HISTORIA PAPARUM INDE A S. PETRO usque ad BENEDICTUM XIII. Tomus III, ab EUGENIO III usque ad ALEXANDRUM V, Tomus IV, a JOANNE XXIII usque ad PIUM IV, exhibent vitas, facta, & scripta Pontificum Ecclesiæ Romanæ.

Hagæ Comitum, apud Henricum Scheurleer, 1733, 4 maj. Alph. 7 plag. 9.

Quam ante aliquod tempus telam sumus exorsi, jam pertexere est animus. De *Tomis I & II* disseruimus in hisce *Actis A.* 1734 *Mense Jan. pag.* 7 *seq.* Hisce porro alias *Tomorum* bigas Autor, candore ac judicio pollens, adjunxit. In limine Operis apparet Epistola, vices prologi sustinens, ac abstergendæ, vel potius reprimendæ, aliorum censuræ destinata, quam cummaxime Autor Anonymus, qui Hagæ Comitum literarias edit Ephemerides, *Lettres serieuses & badines* inscriptas, in *Tomum* utrumque *priorem* hujus de Pontificibus Romanis Historiæ strinxerat *Vol. VII Part. II.* Momenta apologiæ significare liceat. *Zosimum* Papam laudasse Concilii Nicæni consulta, loco Sardicensis, adversum Episcopos Africanos, Ephemeridologus largitur, & id simul in Nostro notat, causam cum *Baronio*, *Bellarmino*, *Norisio*, & *Perronio*, interserens, Canonibus Synodi Sardicensis Canones Nicænæ fuisse expositos, quasi liceat, commentatorem *Aristotelis* laudare, ac ipsum intelli-

telligere *Aristotelem.* Subterfugium hocce jam occupaverat Noster *Tom. I pag. 189.* Subit mirari, cur *Zosimus*, *Bonifacius*, & *Caelestinus*, Papae Romani, eo nomine admodum ab Episcopis Africanis exagitati, suffugio tam subtili sese noluerint tueri. Addit Noster, Canonem illum famosum Sardicensem repugnare Canonibus Synodi Nicaenae. Deinde defendit suam olim pro *Nestorio* allatam apologiam; contra vero crimen calumniae *Evagrio*, in *Nestorium* acerbiori, intendit. Nec idem abnuit, homines Romae in album adsciscí ac adscribi Sanctorum ex variis causis minus legitimis. Tandem ipse purgat sese ab objecta sibi Indifferentismi ac Libertinismi labe. Quibus praemissis, Autor cursum, quem sibi proposuerat, ingreditur. Typographus vero nuntiat, *Tomum V* propediem in lucem exiturum, ac Opus ita iri expeditum. Liceat nobis in

Tom. III praesens delibare unum ac alterum Historiae ipsius momentum.

pag. 3. Legati ecclesiae Armenorum A. 1145 Viterbii mentionem injecerunt de *Sacerdote Joanne*, Principe Christiano, Nestorianismi affectatore, qui Persas devicerat. De eo plura leguntur apud *Abulpharagium Dynast. IX pag. 280 seq. Paulum Marcum Venetum de Region. Oriental. Lib. I Cap. 51 seq. Athanasium Kircherum* in *China illustrata Part. I Cap. 1 pag. 47 seq. Petrum Maffejum* in *Historiarum Indicarum Lib. I pag. 15 seq. Thomam Hyde* in *Appendice ad historiam religionis veterum Persarum pag. 522, Brianum Waltonum ad Polyglotta in Prolegom. XV fol. 98. Jo Georg. Eccardum Tom. II Corporis historici pag. 1451 seq.*

6. *Eugenius III*, Roma profugus, Treviris agitavit Concilium, in quo scripta S. *Hildegardis* fuerunt approbata. S. *Bernhardus*, fidissimus Paparum minister, & infelix expeditionum sacrarum praeco, passim ab Autore reprehenditur. Judicia a *P. Balio* lata hud raro ab eodem adoptantur. Ignis supplicia intrepide subierunt

8. multi, qui adhaeserant doctrinis stupidi ecstaticique hominis, sese *eum* vocantis, ac pro filio Dei venditantis, judice vivorum

14. ac mortuorum. Sic non ipsa martyria, sed causae, faciunt martyras. *Eugenius III* in controversia de electione Archiepiscopi Magdeburgensis haud inficiatus fuit, Papas nil posse validi pronuntiare, quod Deo ac Canonibus Ecclesiasticis repugnet.

gnet. Idem jusserat creari Bacularios, Licentiatos, & Doctores Juris Canonici, quod *Gratianus* nuper compilaverat. Pag. 15.
Volupe est lectitare controversias *Friderici Barbarossæ*, cum Pontificibus Romanis exercitas, nec non Patriarchæ Hierosolymitani adversus Ordinem Hospitaliorum lites, Romam delatas, in 24 seq.
quibus *Joannitarum* dona plus valuerunt, quam legitima contra conquerentium causa. *Friderico* Cæsari jura regalia, quæ Imperatoribus sunt in Pontifices, egregie fuerunt perspecta.
At horum veritas Romæ habebatur pro retrusa ac abdenda. 34.
Fabulam ea redolent, quæ *Conradus Urspergensis pag. 290*
de genere mortis tradidit, quo *Adrianus* II Papa, videlicet ex 36.
musca in os ingressa, periisse dicitur. *Guilielmus Tyrius* verum *angina* significavit morbum. *Alexander III* electionem
sui submittere Concilio œcumenico recusavit, mori per tem- 41.
pus manusque tradito frustra confisus, cum exemplorum satis, haud abnuente ipso *Fleurio*, in contrarium exstet. Ut Seculo XII Legatus, a Pontifice ad Reges missus, autoritate posset sua gaudere, Pontifex eo fine prius precibus suis proceres regnorum permulsit. *Manuelem Comnenum*, Imperatorem Græ- 63.
cum, *Alexandro III* palpasse, ac thesauros misisse, ut Imperator
fieri posset Romanus, plerisque est incognitum. Episcopos, 70.
qui juribus ac potestati Regum improbe ac pervicaciter obstiterunt, laus, a miraculis defuncta, ab obitu mansit. Exemplo est mors *Thomæ*, Archiepiscopi Cantuariensis. Quantum regiæ majestati noceant regulæ politicæ, quas Romana tenet cu-
ria, exemplo Regis Angliæ, *Henrici*, perdocemur. Exemtio- 73.
nes monasteriorum a diœcesanis Episcoporum limitibus debentur Abbatum Præsidumque numis, quibus ipsi Romanam sibi cu-
riam devinxerant. Quod ex *Heissio* Autor refert de *Henrico Leo-* 75.
ne, Cæsarem, in Alexandriæ hærentem obsidione, derelinquente,
atque ad nutum Pontificis domi diadema imperatorium expe- 78.
tituro, id oppido est falsum, prouti demonstrarunt *Joannes Fridericus Pfeffingerus ad Vitriarium Part. II Lib. I Tit. XVI pag. 174 seq.* & *Joannes Christophorus Harenbergius* in *Historia Ecclesiæ Gandershemensis Diplomatica pag. 341 seq.* Nec inficiari audemus, in hisce *Tomis* posterioribus minorem sub-

inde fontium curam fuisse habitam, quam in prioribus. *Fri-*
Pag. 80. *dericum Barbarossam* Venetiis ab *Alexandro III* Papa pedibus fuisse conculcatum vel contactum, id quidem merito ab Autore pernegatur, enarrante potius rem ibi gestam ex *Romualdo.* Qui negantibus argumentis pondus omne detrahunt, hic exemplum inveniunt criticum, quod suadet, ne credamus, nullam argumento ejusmodi vim inesse. De cetero *Nauclerus* fabulam illam recenset *Vol. II Chronici memorabilium omnis ætatis & omnium gentium, generatione 40 fol. 195*, & quidem instar veræ. Autor locum hunc ita allegat: *Nauclerus Vol. II Chronograph. Gen. 60 pag. 846.* Unde patescit facile, librum ipsum, ni saltem perfunctorie, Autori haud fuisse lectum. Instar vero omnium ad fabulam illam refellendam faciunt *Alexander III* in *Epistola ad Capitulum generale Cisterciense* apud *Martenium & Durandum Tom. I pag. 1848*, ac *Romualdus*, Salernitanus Archiepiscopus, in *Chronico MSto* apud *Baronium Tom. XII Annalium ecclesiast. ad A. 1177 n. 68 pag. 714 seq.* Nec tamen fit improbabile, locum hunc Chronico *Romualdi* ab aliena manu esse additum, eo quod de *Romualdo* tanquam de persona tertia in eo disseritur, isque vir
84. dicitur prudens & literatissimus. *Alexander III* conscripsit literas ad Sacerdotem *Joannem*, in ultimo Oriente Regem, quæ sunt ipsa ejus Epistola 48. Commemorabilis porro est
94. admodum *Petri Waldi*, civis Lugdunensis, constantia. Singulare videtur factum *Casimiri*, Ducis Poloniæ, qui petiit a Papa Constitutionum suarum regalium confirmationem. Electionem *Lucii III* A. 1181 soli purpurati patres, qui vocantur *Cardinales*, effectui dederunt, exclusis more novo reliquis Sacerdotibus ac populo. Idem *Lucius* A. 1184 fulmen anathematis in quosvis hæreticos, præcipue Waldenses, audientibus Imperatore ac summatibus, evibravit, adjecta clausula de ejus festa
96 seq. redintegratione seu repetitione. *Innocentius III* diem Viridium ei cerimoniæ addixit, atque eo tempore orbis secus sentiens, ac Pontifex Romanus, in die cœnæ Domini dedicato in-
97. feris adjudicatur, lamiis, ac larvis. Autor, serione, an per jocum? credit, Jesum quodcunque jusjurandum interdixisse. Episcopi

piſcopi Scotiæ A. 1188 exemti fuerunt a jurisdictione antiſtitum ſacrorum Angliæ, ac eorum cenſuris, ſolique ſedi Romanæ ſine ullo interventu ſubjecti. Miramur, Autorem *Rogerio* Pag. 110.
Hovedeno Part. II Annalium ad *A. 1191 pag. 689*, ac *Baronio*, 112.
ad hunc provocanti, fidem habuiſſe, qui crediderunt, Papam diadema *Henrico VI*, Regi Germanorum, inſolenter impoſuiſſe. *Hovedenus* ita diſſeruit: *Sedebat Papa in cathedra pontificiali, tenens coronam auream imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, & Imperatrix ſimiliter, de pedibus Papæ. Dominus autem Papa ſtatim percuſſit cum pede ſuo coronam Imperatoris in terram, ſignificans, quod ipſe poteſtatem ejiciendi eum ab imperio babeat, ſi ille demeruerit.* Quis temere extraneo ſcriptori hæc eſſe vera largietur, dum Autores domeſtici ac ætate rei geſtæ ſuppares hanc inſolentiam taceant, ac potius contraria referant. Provocamus ad *Ottonem de S. Blaſio*, ad Monachum Weingartenſem, ad *Guilielmum Britonem*, ad *Arnoldum Lubecenſem*, ac ad ipſum *Innocentium III* Papam, *Cæleſtini III* ſucceſſorem. Operæ pretium eſt, vitam legiſſe *Innocentii III*, in qua 121 ſeq.
adornanda Autor nulli labori pepercit. Pontificis hujus haud ignotus eſt ſermo, de eo, quod Papa non ſolum omnia, ſed 125.
etiam omnium hominum, pecata poſſit remittere, eorumque reis gratiam facere. Crudelitatem juſſu ejus in Albigenſes editam horret animus meminiſſe. Nemo ſane, qui facta Paparum attente legerit, eos pro Deis vel Dei vicariis habebit, ſi 139 ſeq.
Autorem noſtrum fide duxerit haud indignum, qui, S. *Franciſcum* fuiſſe furioſum ac fanaticum, oſtendit. *Joanni XX* 151 ſeq. 267.
vitio id tribuitur, quod inconſideratus ac præceps fuerit in loquendo. *Laborat*, inquit Autor, *nævo eruditis communi, qui in eo conſiſtit, ut in rebus gerendis careant prudentia ac attentione in minimis quoque momentis defigenda*, *Nicolaus III* Diplomatibus fictis ac donationi, quæ olim *Conſtantino Magno* in acceptis referebatur, autoritatem ſuam ſuperſtruxit, 269. 270.
præiens Epiſcopis & cœnobitis exemplum, quod imitari poſſent. Ipſe quoque in gratiam Minoritarum edidit Bullam, in qua demonſtrare ſuſtinuit, Jeſum nil proprii tenuiſſe, quo ipſo pro-

projecit in orbem Christiani cœtus Eridos pomum. Seculis XIII ac XIV Pontifices Romani tot fulmina dirasque in quoscunque, levissimis plerumque de causis, evibrarunt, ut dubites, cœlumne sæpius fulgure fuerit gravatum, quam animus Papæ. Quo ipso id fuit effectum, ut censuræ ecclesiasticæ cœperint despicatui haberi. *Nicolaum IV* nonnulli primæ autorita-
Pag. 298. tis vocarunt Antichristum. *Menardus*, Comes Tirolensis, cujus *Apologiam* exhibet *Aventinus*, Episcopos eodem oneravit
307. elogio. *Bonifacii* artes, quibus ad Pontificatum adspiravit, ac imperandi audacia, Reges commoverunt, ac sensim a sede Aposto-
312 seq. lica abalienarunt. *Philippus Pulcher*, Rex Galliarum, fuit e primis, qui usurpationibus Papæ, in immensum grassantibus, mascule ac intrepide sese opposuit, quod exemplum sensim
314 seq. alii Reges imitatione sua judicarunt dignum. *Robertus Gallus*, sanctulus, libri sui *Cap. I* Pontificem Romanum appellavit
321. *idolum*. *Dantes*, Florentinus, in libro de Monarchia refutavit ementitam *Constantini Magni* donationem. In eo ipse, qui hæc asterisco signavit, vacillavit Autor, quod *Dantem* haud potius ad Seculum subsequens retulerit, quo quippe po-
331. tissimum claruit *Dantes*, fato functus A. 1321. Pontifices duabus viis rebus Regum singulis sese immiscebant, modo dictitantes, actioni huic vel illi inesse peccatum, modo cum *Bonifacio VIII* perhibentes, Pontificem esse summum terræ Monarcham, a cujus arbitrio ac benignitate Reges potestatem suam debeant derivare. Miratur autem de eo, quod Protestantes *Bonifacium VIII* haud numerent in suis, quippe qui dogma de trans-
338. substantiatione pro falso reputaverit. Protestantes autem majori mirantur jure, cur Deistæ eum assectatoribus suis haud annumerent. Hi enim Deistæ non solum transsubstantiationem repudiant, sed complura *Bonifacii* secretiora dogmata, a quibus abhorrent Protestantes. Autor composite ac eleganter hasce Vitas scripsit. Si quid in illo desiderare ac requirere velis, id cumprimis in eo consistet, quod raro ex fontibus biberit, quod libros generatim, nec accurate satis eorum loca, designarit, quod Reformatorum scriptoribus justo crebrius sit usus, præcipue quod *Bælii* fere nimius fuerit admirator, quod

Jan-

Janſeniſtam agere conſtituerit ac Pontificium, cum tamen continuo ex *Heideggeri* Hiſtoria Papatus, *Lenfantii*, *Beauſobrii*, *Jurieti*, ac *Balii*, ſcriptis arva rigaverit. Mirabuntur nonnulli, quare crediderit, *Henricum VII* Luxemburgicum, Regem Romanorum, per *Bernhardum de Montepulciano* pane eucharistico venenato fuiſſe enectum. Ipſe provocat ad *Baluzium*, qui in *Vitis Paparum Avenionenſium Tom. II pag. 367* ad *Nauclerum Gen. XLIV* recurrit: ac *Joannem Vitoduranum*, ab *Hottingero* laudatum. Sed in *Vitodurani* Chronico, quale *G. G. Leibnitius* edidit, ſeries hiſtoriæ ad *Henricum* illum *VII* non pertingit. *Naucleri* autem quanta in hiſce ſit fides, inter omnes facile conſtat. Sed, qui ingentem percurrunt campum, eis vitio haud eſt vertendum, ſi haud ubique cernant ut ſerpens Epidaurius. Qui pragmaticam rei Pontificiæ ac Imperatoriæ, immo totius fere Chriſtiani orbis, hiſtoriam legere avent, ſitim ſuam hic reſtinguent. In *Tomo IV* diſſidia inteſtina Pontificum, Huſſitarum turbæ diſtentiſſimæ, Conciliorum autoritas, ac reliqua haud minoris momenti corollaria, cohærenter ediſſeruntur, tamque venuſte, ut legere facilius incipias, quam deſinas. Juvat noſſe characterem animi Pontificum, ubique ex uno alteroque ſcripto, immo ex nexu geſtorum, vitis ſingulis ſubjunctum. Supereſt in præſens nihil, quam ut Lectorem ad ſuavitatem Operis ipſius deguſtandam remittamus. Pag. 381.

STANISLAI SANTINELLI, CONGREGAtionis a Somaſcha Clerici regularis, Diſſertationes, Orationes, Epiſtolæ, & Carmina.

Venetiis, apud Chriſtoph. Zane, 1734, 4.
Alph. 1 plag. 19.

Non parum eruditiſſimo *Santinello* debet Reſpublica literaria, quod ex pluribus illis, quæ melioribus annis ſcripſit, Opuſculis potiora, ut ab interitu vindicarentur, uno faſciculo collecta juris publici fecit. Ex Diſſertationibus quidem duabus,

quæ primum locum occupant, prior de Romanorum veterum nobilitate, undeviginti conſtans Capitibus, quibus de nomine & natura nobilitatis, ejusque generibus, ut & iis, quorum fuerit, quibusque inſignibus oſtentetur, copioſe ac erudite doctiſſimus Vir diſputat, jam A. 1717, Venetiis, apud *Jo. Baptiſtam Recurti*, lucem adſpexit. Hic tamen recognita ab Autore cum typis repetatur, non minus Lectorum ſtudium accendet, quam altera, quæ nunc primum prodit, de diſciplina & moribus Romanarum fœminarum, duodeviginti Capitibus ea omnia complexa, quæ ad argumentum hoc penitius excutiendum undiquaque conquiri potuerunt. Diſſertationes has excipiunt Orationes, quarum ſex priores de ſanctiſſima Triade agunt, habitæ in ſacello Pontificio a convictoribus Collegii Clementini ab anno 1707 usque ad annum 1712, quo tempore & Romæ apud *Jo. Franciſcum Chracas* lucem adſpexerunt. Quæ ſubjunctæ cernuntur octo numero, dictæ ſunt in funeribus illuſtrium Virorum. Quatuor ex iis ſeparatim ediderat ante, primam nempe *Jo. Baptiſtæ Nicoloſii*, quartam *Angeli Zoni*, magnorum Venetæ reipublicæ Cancellariorum, exequiis cohoneſtandis, recitatam, quarum illa A. 1717, hæc A. 1724, Venetiis lucem adſpexit, quemadmodum & anno inſequenti prodiit ibidem, quæ quintum hic locum occupat, Oratio, in funere *Petri Barbadici*, Patriarchæ Venetorum, dicta, quam A. 1731 ſecuta eſt Oratio funebris *Joſephi Bolagno*, Cæſarei apud Venetos Oratoris, memoriæ dicata, ordine hic ſeptima. His quatuor alias ejusdem argumenti adjecit Eruditiſſ. *Santinellus*, inter Oratores noſtri temporis, qui ingenii laudem cum dictionis nitore conjungunt, jure ſuo numerandus. Orationes excipiunt Epiſtolæ, quibus varia antiquitatis capita, de numero nempe Senatorum Romanorum, de iis, quibus præter illos venire in Senatum licuit, de pedariis Senatoribus, de appellatione patrum conſcriptorum, qua occaſione *Livii* locus obſcurior *Lib. II Cap 1*, *traditumque inde fertur, ut in ſenatum vocarentur, qui Patres, quique conſcripti eſſent*, deletis iis, quæ gloſſemata olent, ita emendatur: *traditumque inde fertur, ut ſenatores patres conſcripti vocarentur*, de patriciis porro, ex quibus Senatores

lecti,

TAB. VII ad Nov. Acta Erud. Mens. Sept. A. 1736. p. 403
404. et 426.



Fig. I.

Fig. III




Fig. II.



lecti, & quorum in ordinem plebejos, ut inde inter Senatores referri poſſent, transferendi jus penes univerſum populum fuit, pertractantur. Sed notatu inprimis dignæ ſeptem Epiſtolæ, quæ de antiquis Venetorum numis agunt. Ii ſunt, quos vulgo *mattapanes* appellant, quorum originem ad *Henricum Dandulum*, Ducem Venetorum, *Andreas Dandulus Lib. X Chron. Cap. 3* refert his verbis: *Subſequenter Dux argenteam monetam, vulgariter dictam Groſſi Veneziani vel Matapani, cum imagine Jeſu Chriſti in throno ab uno latere, & ab alio cum figura S. Marci & Ducis valore viginti ſex parvulorum, primo fieri decrevit.* Ipſius tamen *Henrici Danduli mattapanis* adhuc nullus viſus: antiquiſſimus, de quo conſtet, eſt *Petri Ziani*, qui *Henrico Dandulo* ſucceſſit. De vero quidem pretio & nomine non ſatis rem expedit Doctiſſ. *Santinellus*, qui de poſteriori, *quid ſignificet*, inquit, ac *unde deductum ſit nomen mattapanis, nemo quærat, niſi ineptire qui velit.* De variis tamen horum numorum generibus & ætatibus tribus, prima ab *Henrico Dandulo* ad *Andream* cognominem, cui *mattapanem* veterem aſſignat, altera a *Jo. Gradenico* ad *Chriſtophorum Maurum*, cui novum, & tertia a *Nicolao Marcello* ad *Andream Gritum*, cui reſtitutum tribuit, de typo item & inſcriptione cum adverſæ, tum averſæ partis, in quibus omnia, ad Græcorum morem, curate agit, cumque *Ducangius* inſcriptionem adverſæ paginæ ita legat: PETRUS ZIANI VENETI S. M. legendum potius docet: S. M. VENET. (quod eſt *Sanctus Marcus* VENETIcus, pro quo poſtea VENETUS dixere,) PETRUS ZIANI. Literæ vero IC XC, imagini Servatoris averſa in parte adſcriptæ, prout in numis Græcorum Imperatorum ſæpe occurrunt, ita, quid in numis Venetis, ad imitationem eorum cuſis, ſibi velint, nominis quippe ſanctiſſimi IHCOYC XPICTOC, quarum vocum primam & ultimam literam ſiſtunt, tametſi & tribus aliquando literis IHS XPS idem illud nomen Servatoris optimi exprimitur, indices, per ſe pronum eſt intelligere, tametſi non indigna lectu ſunt, quæ ea de re Doctiſſ. *Santinellus* congeſſit. Nec vero ſilentio prætermit- TAB. VII Fig. 1. Pag. 271.

 tenda

tenda Epiſtola ultima ad *Bernardum Mariam de Rubeis*, Ord. Prædicatorum, qua de vaſculis, in vinea Sancti Cæſarii, quæ juris eſt collegii Clementini, ad viam Appiam, inter Cœlium montem & circum *Caracallæ*, ex quodam ſepulcro effoſſis, agit. Fuere eorum CL, quot ex uno ſepulchro haud ita crebro eruta conſtat. Singulis inſcriptum eſt nomen aliquod & nota temporis, ut ex duobus patet, a Cl. *Santinello* repræſentatis. Unguentaria illa haud dubie, toto nempe myrothecio in funere hominis prædivitis, cujus in ſepulchro inventa ſunt, conſumto. Inſcriptum vero illis unguentarii nomen & dies repoſiti unguenti ad pretium unguenti & ætatem (optima enim, quæ recentioris,) dignoſcendam. Sequuntur poſtremo, una cum Dedicatoriis aliquot Epiſtolis Orationum ante editarum, Carmina & ſacri & profani argumenti, quibus Index rerum, lectoribus, ut ſparſa hic illic ſine labore inveniant, uſu futurus, ſubjicitur.

TAB. VII Fig. 2.

Pag. 281.

MODESTINI ET POMPONII IN COLLOquiis familiaribus de ſtatu Cameralis Judicii in Imperio ſupremi ad Ordin. Cam. Partis primæ Titulos potiores Meditationes Acroamaticæ.

In officina Nic. Lud. Winckleri, (absque mentione loci,) 1735, 4. Alph. 2 plag. 6.

Wezlariæ edita ſunt octo hæc *Colloquia de Judicio Imperii Camerali*, quod nunc ea in urbe eſt, ſcripta ab uno ex illis Germaniæ noſtræ Areopagitis, cujus nomen jam dudum illuſtrarunt libri notæ optimæ. Et *primo* quidem in Colloquio queritur Perilluſtris Autor de ſalariorum, Cameralibus judicibus deſtinatorum, incerta ſolutione, itemque, quod exſtructa nondum ſit, cujus tamen exſtructio dudum decreta ab Imperatore & Principibus Imperii, nova, eademque ſatis ampla, Curia Judicii: reſpondetque ſimul ad querelas eorum, qui, multas lites in Camera ſpirare, non exſpirare, clamitant: ejusque rei in culpa eſſe judices Camerales negat, & accurate vindicat

vindicat eorum innocentiam. Hac occaſione deſcribit proceſſum fori Cameralis, modumque diſtributionis Actorum & Relationum. In *ſecundo*, præmiſſa *Ordinationis Cameralis* hiſtoria, de Judice Camerali agitur, ejusque dignitate, ſolenni introductione, requiſitis dotibus ac virtutibus: de Præſidibus item Judicii, de numero Aſſeſſorum, deque eorum conditione ac dignitate, de præſentatione denique eorum, multis agitata controverſiis. In *tertio* non ſolum de veſtitu accinctoque gladio Aſſeſſorum diſſeritur, verum etiam de privilegiis eorum & immunitatibus. In *quarto* exponitur de virtutibus eorum, qui creari volunt Aſſeſſores, deque modo receptionis in hoc Collegium: de Vicario Judicis Cameralis: de examine præſentatorum ad ſuſcipiendum Aſſeſſoratum: de officiis Aſſeſſorum, deque legibus Collegio eorum præſcriptis. In *quinto* & *ſexto* de officio & munere Judicis Cameralis agitur, de tempore item frequentandi Senatus, de modo & ordine referendi in Senatu Camerali, de ratione diſtribuendorum inter Aſſeſſores Actorum, deque aliis, quæ huc pertinent. Nam nec Procuratorum & Advocatorum Cameralium mentio omittitur. In *ſeptimo* lex illa illuſtratur, qua referens, quem vocant, innoteſcere vetatur litigantibus. Hic & ſubſequenti in Colloquio, quod eſt ultimum, reliqua *Ordinationis Cameralis* Capita, ſive Tituli, perluſtrantur & illuſtrantur. *Pag. 323 – 406* exhibentur aliquot *Documenta*, quæ vocant, quorum facta fuerat mentio in *Colloquiis*. Multa eorum exhibent ritus ſolennes introductionis Judicis ſive directoris hujus Cameræ. Alia aliquot jus & morem præſentationis Aſſeſſorum deſcribunt. Plura ex hoc Opere afferremus, niſi perſuaſiſſemus nobis, id cupide perlectum iri a Juris Germanici Notitiæque Imperii ſtudioſis, & niſi jam Illuſtris Editor *Actorum Pacis Weſtphalicæ* in Præfatione ad *quintum Tomum* recenſione hujus Operis, cujus & Autorem nominatim indicat, defunctus eſſet pereleganter. Illud, ſupereſt, ut moneamus, multa ab Autore Perilluſtri hujus Operis indicata videri obſcurius, non niſi iis plenius intelligenda, qui in iſto Camerali Collegio ſunt aliquamdiu verſati, & operam dederunt obſervationibus. Conjunctim cum hiſce

Colloquiis ab eodem Autore edita eſt, plagulis 17 conſtans, *Idea Philoſophiæ ſimulata, non vera, in ſcientia Juris & forenſi:* qui liber primum A. 1720 prodiit ita inſcriptus: *Schlendrianus, celebris Practicorum magiſter, brevi Schediasmate neo-Practicis forenſibus commendatus per* Guil. Franckenbergium. Nova vero hac in editione non ſolum titulus libro præfixus eſt alius, ſed adjecta etiam Præfatio pereruditа. Eſt quoque hæc editio uno Capite auctior: ac cetera etiam Capita (quibus *Aphoriſmorum* nomen dedit Autor,) facta ſunt & ampliora & politiora. Idem dici oportet de ſubjectis *Colloquiis*, quibus duo nunc nova ſunt annexa. Totum ſcriptum eſt ſapiens pariter ac elegans ſatyra in *Practicos*, quos vocant, *Juris forenſes*, eoque fine compoſitum, ut moneantur Jurisprudentiæ civilis ſtudioſi Academici, ad praxin forenſem adſpirantes, *ne* (his verbis ipſe Autor Præfationem claudit,) *illotis manibus ad eam accedant, veramque, non ſimulatam, Philoſophiam acquirere ſumma ope & alacriter annitantur. Schlendrianus pag. 22* eſt, qui imperitiam ſuam velat pallio recepti moris in praxi forenſi, & *pag. 26* ita definitur: *Eſt ſollicita rerum externarum in officio quocunque publico obſervandarum in verbis, formulis, & geſtibus, imitatio, ad locum qualitercunque ſuſtinendum utilis, doctrinæ tamen ſolidioris adjumento non inſtructa.* Quæ definitio Autori præbuit occaſionem diſſerendi etiam *pag. 29 ſeq.* de Eccleſiaſtico *Schlendriano*, & *pag. 32 ſeq.* de *Schlendriano* politico atque aulico. Ad forenſem *Schlendrianum* quod attinet, lepide hic & argute deſcribuntur artes lucroſæ Advocatorum, majori aſtutia pollentium, quam virtute & eruditione. Subnexis in Colloquiis exhibetur ſtatus Judicii Imperialis, inprimis ritus quidam forenſes. Prope obliti eramus, priori in Opere ſubinde occurrere amœnas & terſo ſtilo concinnatas digreſſiones, e. g. *pag. 2 ſeq.* de vita aulica, *pag. 70 ſeq.* de urbe Wezlaria, deque vivendi genere, quo & incolæ utuntur & Aſſeſſores Cameræ.

AN ESSAY ON THE IMPROVEMENT OF Midwifery, &c.

TEN-

h. e.

TENTAMEN DE ARTE OBSTETRICIA emendanda, maxime quod manualem ejus operam attinet; cui accedunt quinquaginta Casus, quinque & viginti annorum experientia collecti, per EDMUNDUM CHAPMAN, Chirurgum.

Londini, typis A. Blackwall, impensis T. Cowper, 1733, 8. Plag. 9.

Obstetricibus potissimum se scripsisse fatetur Autor in Præfatione, ultra quarum captum sint ea, quæ hactenus a magnæ autoritatis viris scripta fuerunt; primarium, quem intendat, scopum esse, quo edoceantur mulieres, quæ parturientium curam susceperunt, mature intelligere pericula, eorundemque auxilium a sagacioribus petere, quandoquidem per Angliam, maxime Londini, in usu parum sit, viros parturientibus admovere, quorum fama haud raro periclitetur, si, serius advocati, in dubio rerum statu versentur, an matre salva fœtum morti tradere, an, expectata embryonis morte, puerperæ salutem in ancipiti versari, velint. Quem in finem, omissis, quæ ad theoriam facere poterant, ad manualem potissimum operam animum intendit. Ante omnia sermonem instituit de fœtu, cujus caput partui vicinum pravum situm obtinet, condemnans morem eorum, qui illud ossi pubis impingens removent, & in situm naturalem reducere student, quandoquidem sine temporis jactura id nunquam fiat, viriumque puerperæ jactura notabilis metuenda sit; unde, consilii esse, declarat, manum promte immittere, pedibusque arreptis infantem educere. Verum enim vero capitis in angustia viarum detenti, nullamque manum admittentis, aliam ait omnino rationem esse. Ab instrumentis, quantum potest, abstinet, laudat tamen capitis extractoria duo, alterum, quod Forceps eidem appellatur, cujus se inventorem prædicat, alterum, quod retiforme (*Fillet*) audit. Illo potissimum asserit se plurium matrum æque ac infantum vitam

vitam ſalvam reddidiſſe, quandoquidem & viventium adhuc embryonum capita, ſic male flexa, poſſint in rectum tramitem reduci. Duobus hemiſphæriis conſtat inſtrumentum hocce, molliori, nec fragili, metallo factis, quorum unum poſt alterum manu obſtetricantis tectum, utrinque capiti fœtus admovetur, & manubrio preſſius prehenſo firmatur. Parum intereſt, excavatumne ſit, an planum; neque etiam, ſi caute adminiſtretur negotium, vel excoriationis, vel læſionis, vel alius cujusque violentiæ, periculum ſubeſſe dicitur. Allegantur ſcilicet ab Autore caſus, qui innoxium iſtius inſtrumenti uſum, vivosque embryones hoc ipſo extractos, perhibent. Quodſi tamen in ſimili aliove capitis ſtatu de morte embryonis conſtet, prout id ex ſignis *fœtoris*, *abſcedentis cuticulæ*, *ſonantium attactu oſſium bregmatis*, *pulſus cordis ſub coſta*, *aut linguæ motum exercentis*, *dummodo hæc loca attingi poſſint*, facile cognoſcatur, inſtrumenta pro evacuando cerebro promtiſſimi uſus eſſe monet. De artificio invertendi embryonem multa affert, recenſens impedimenta, quæ manui obſtetricanti immittendæ in uterum, adeoque pedibus arripiendis, ſeſe opponant, prout ſunt vaginæ, ipſiusque orificii uteri interni, quod *os Tincæ*, ſine dubio a ſimilitudine cum ore piſcis Tincæ, appellat, anguſtia, oſſisque ſacri & totius pelvis prava conformatio, quibus omnis ſcientia aut peritia artificis fere ſemper eludatur. Partium embryonis in utero latentis manu peragenda exploratio fax in hiſce tenebris eſſe debet, quæ adeo facilis non eſt, ut non peritioribus in arte, etiam quandoque imponere poſſit. Id tamen agendum eſt ſemper, ut ad pedes embryonis pertingat manus, quos ubi attraxeris, id agendum eſt ſedulo, ut tenelli facies os ſacrum matris reſpiciat, atque pro ſtrangulatione evitanda, qui a contractione uteri circa collum fœtus ſupervenire poterat, digitus ori ejus immittatur, quandoquidem, niſi hæc omnia ſic fiant, adhæſio menti in acuto oſſis pubis proceſſu, aut oſſis coccygis curva ura, difficilem & lethalem haud raro adhæſionem cauſari poſſet. Peſſimi ſæpius ſeſe offerunt infantis ſitus, quibus manus immittendæ, adeoque verſionis peragendæ, fiducia omnis præcluditur, qualis ſunt umbilici ſeſe offerentis,

ſpinæ-

ſpinæ dorſi, pectoris apparentis, aliarumve partium, ſitus, quibus orificium uteri omnino præcluditur. Maximæ difficultatis eſt brachium tenelli propendens, cujus in uterum reductio ſine ſucceſſu tentatur; ſitus enim exinde haud raro ex pravo in pejorem mutatur. Id unicum tunc ſupereſt conſilii, ut, pedibus arreptus, ſi fieri poſſit, extrahatur embryo; caput enim orificio inducere velle, conſultum minus eſt; mortuo fœtui amputatur brachium, dummodo de morte certo conſtet. Curioſum allegat exemplum Cl. Autor adulti hominis, cui, ſic naſcenti, propendens brachium, cum mortuus putaretur, abſciſſum fuit, corrigente hunc errorem ſuum chirurgo promtiſſima extractione, & hæmorrhagiæ ſuppreſſione; ſatius ſcilicet erat mutilum, quam mortuum, naſci. De ſecundinis ſequentia habet: Adhærentes fortius, & partum immediate non ſubſequentes, atrociſſimorum malorum cauſa ſunt; neque, prout *Dioni* videtur, minutulæ abortuum unius alteriusve menſis placentulæ impune remanent, quin hæmorrhagias febresque putridas poſt ſe trahant. Inde permittendum non eſt, ut, latentibus adhuc ſecundinis, uterus claudatur, quin ſtatim, edito in lucem partu, immiſſa manu tentandum eſt, quo molliter deglubatur uterinum hepar, integrumque extrahatur. Hæmorrhagiarum uterinarum cauſa ſunt ſecundinæ vel omni, vel aliqua ex parte ante terminum abſcedentes, & abortum poſt ſeſe trahentes, quæ, ut partus promoveatur, imperant. Hæmorrhagiæ partui ſuccedentes, vel relictam ſecundinæ particulam, vel remanentem molam, vel injuriam utero factam, vel fibrarum ipſarum uterinarum atoniam, & contractionis impotentiam, ſupponunt. Priori in caſu tentandum eſt, an immitti manus orificio uterino, &, ſi quid peregrini ſupereſt, tactu explorari & extrahi poſſit. Ceteroquin conclamata fere res eſt, violentiori tamen uti remedio præſtat, quam nullo, adeoque nudam puerperam aqua, vel aceto frigidiuſculo, irrorari imperat, ſtragulis leviter tectam, quo ab horripilatione ſiſti ſanguinis per vaſa decurſus poſſit. Doctiſſimus Autor, cum ſibi videretur brevius juſto maximi ambitus negotium expediviſſe, ad magnorum in arte virorum, *Chamberleni*, *Deventris*, *Dionis*, ſyſtemata provocat, inde caſuum viginti

quinque annorum praxi obſervatorum ſeriem inſtituit, ex quibus ſunt, qui Forcipis, quo caput embryonis incarceratum feliciter inſtauratum, vivoque fœtu ad exitum diſpoſitum fuit, uſum illuſtrant, quem, utrum ille ipſe ſit, quem *Palfyn* deſcribit, ob Iconis defectum pro certo affirmare non audemus. Inter rariores obſervationes eſt prava uteri conformatio in fœmina, cujus orificium interius ſua verſus inteſtinum rectum directione ordinariam partus viam eluſerit, feceritque, ut, facta in inteſtino recto inciſione, & perforata ſine dubio inſimul vagina, per anum educendus fuerit immaturus ſeptem menſium fœtus, matre paulo poſt exſpirante, quo in loco nihil legimus de ſymtomatibus, quæ partum accelerandum ſuaderent, præter impatientiam gravidæ, & adſtantium nova ſciendi cupiditatem. Reliqui caſus Autoris ingenium & dexteritatem abunde docent.

PARIS INTERCOSTALIS ET VAGI CORPORIS humani Nervorum ab utroque ejus latere obviorum Anatomes, cujus Pars prima in Nov. Act. Erudit. A. MDCCXXXIV Menſ. Febr. pag. 65 legitur, Partem alteram exhibet AUGUST. FRID. WALTHERUS, Archiat. Reg. & Prof. Publ.

Quandoquidem præcipuos, & ab utraque humani corporis parte obvios, nervos, qui ab vago, perinde ac intercoſtali trunco deducuntur, taleſque, ante id tempus tradere cœpimus, quales in ſingulo cadavere luculenter cognovimus, jam porro referre, quod in obſervatione reliquum eſt, haud refragamur, quod paginarum anguſtia nos prohibuerit, quo minus cuncta, quæ huc ſpectant, prima expoſitione complecteremur. Quare duo hujus doctrinæ argumenta in mentem revocare expedit, quorum unum eſt, quod intercoſtalem nervum, ab capite ad infimum usque ventrem, proſecuti ſumus; alterum vero repetendum erit, quod, occaſione cardiacorum nervorum, etiam paris vagi, & intercoſtalis, nervos tractatione miſcere conſultum fuit viſum; nihilo minus quandam

ſupre-

ſupremi vagi nervi, & intercoſtalis, deinde vero aliam noni capitis nervi, atque ejusdem vagi, communicationem tum quoque adjecimus, ut tantum inſigniores rami in collo, & pauciores in pectore, quos vagus utrinque nervus reddit, ſupereſſe exponendi videantur, donec progreſſus ipſe vagus, velut abſoluto itinere ſuo, tandem omnis in plexus, & quidem intra abdomen, deſinat; quantos etiam intercoſtalis, ſed filorum incredibili nervoſorum numero auctus, inter alia, quæ præſtat, ramis, qui conveniunt, perficere ſolet. Igitur vagus nervus, quoad cum nono capitis nervo, & intercoſtalis ganglio cohæret, quodammodo, & præ ceteris in collo locis tumet, & primum ramum, tanquam alteram, minoremque ſui partem, aut ſocium quaſi nervum, ex cranio defert; ſicut eleganter declaravit *Cl. Winslow des Nerfs ſympathiques moyens.* Ejus vero rami progreſſum colli cadaveris anatome clarius proſpicere licet, ſin vena jugularis interna, ſub altitudine tertiæ circiter vertebræ præcidatur, cauteque reclinetur. Tum vero is vagi ramus, juxta pterygoidæos muſculos, & lateralem digaſtricum, deſcendere ad linguam viſitur, omniaque porro inde fiunt, quæ laudatus *Winslow l. c. n. 112, 114*, perhibuit. Nam ipſo ſub vena jugulari loco, quem modo indicavimus, minor ejus rami propago aliquo intervallo jugiter deducitur, atque in arcum retro deflectit, & abit; quippe qui obviam fertur ſecundi vagi nervi ramo, ut ita tenuiori filo uno, alteroque, perinde cum iſto ramo, atque cum tumido vago, ipſo communicet. Nam ante, quam nonus capitis nervus ab vago diſcedit, ab hocce redditur, & ante internam carotidem ad pharyngem ſe refert alter noſtri trunci ramus; qui in partes diviſus, unum etiam, alterumque filum, quod ex arcu, quem modo diximus, promittitur, ſecum ad pharyngem ducit: & hæc omnia, ita viſa, irretiuntur tela celluloſa, qualis & ſubjectas, & ad carotidem conſitas, juguli glandulas inter alia inveſtire ſolet. Quo vero loco nonus capitis nervus vagum circiter relinquit, ibidem hic tertium ex ſe edit memorabilem ramum; ceteroquin parem craſſitudine primi, majorem vero ſecundo, & longiorem. Qui humiliore loco breviorem itineris ſocium ab

 ganglio

ganglio intercoſtalis nervi accepit, & uterque ramus, præterquam quod ſurculo medio jungitur, ſub arteria porro carotide, & partim juxta eam, pergit, ac nervoſa fila vicinis membranis partibusque præbet; donec tranſeat vagi noſter ramus ad oſſis hyoidæi cornu, quod inter atque proceſſum ſcutiformis cartilaginis hic tranſit, & occultatur, cum ſcilicet ligamentum perforavit, ut communicationem cum recurrentis nervi propaginibus præſtaret. Tandem, in præſenti noſtro exemplo, vagus ipſe nervus, quo fere loco is colorem, in reliquo collo conſuetum, & craſſitudinem æquabilem, accepit, jam quoque ramum quartum, & ſatis quidem notabilem, juguli muſculis vicinis, atque membranis, obtulit; qui, neque ita multo poſt, quam ipſe originem traxerat, & inter deſcendendum, cum nono capitis nervo, media inter utrumque propagine communicavit; etiamſi crebrius non niſi tres memorabiles vagi rami his locis in collo ſufficere ſoleant. Sed alia, valdeque minuta, nos modo intacta relinquimus nervoſa fila, quæ vagus nervus fortaſſis reddit, cum ipſe porro deſcendit, ac celluloſa tunica nonnihil involvitur, & ubi ad intercoſtalem nervum, deinde vero ad carotidem quoque arteriam, venamque jugularem, & in reliquo quidem collo iſte preſſius detinetur; quod hæc fila, præ parvitate, communiter vix cenſeri, nedum luculenter demonſtrari, poſſint. Inter ſubclaviam venam, arteriamque, truncus nervi vagi ingreditur pectus; & circum ſubclaviam arteriam, is validum nervum ad laryngem faucesque recurrentem mittit. Hinc, ſub altitudine tertiæ deſinentis thoracis vertebræ, ramum ipſe truncus cardiacum magnum, ab latere aortæ, cor verſus delegat; de quo ſuo loco dictum fuit. Inde vero, & ſub dextro pulmone, vagus noſter occultatur nervus; ſcilicet, qua parte viſcus ab aſperæ arteriæ pendere ramis videtur; & hoc ille loco duos notabiles reddit pnevmonicos ramos, denuo ante viſcus bipartitos, neque vere implexos. Etiam ultra hujus pnevmonici plexus, ita vulgo dicti, confinia, & quidem in thorace, ubi jam progreſſus ipſe vagus nervus eſt, tum porro is ſurculum retro ad pulmonem, & aliquo ab prioribus iſtis intervallo, miſit: dum

ab

ab eodem nervi pergente trunco, neque minor ramus secedere ad pericardium videtur; sed postea gulæ, cui jam adhæret vagus truncus, ramos ipse, & majorem quidem unum, & paulo minorem alterum, concedit; qui, cum oppositi lateris vagi nervis, gulæ veluti innascuntur, & magnis anastomosibus, quasi insularibus tractibus, duobus, vel tribus, invicem communicant, & posteriorem gulæ faciem ambiunt; sicut etiam ad hanc usque corporis partem jam deferendi exponendique sinistri vagi occasione magis elucescet. De vago sinisteriore nervo, &, quoad ex capite per collum is descendit, plurima, ut in nervo dexteriore, se habent. Etiam inter tertium, quem ab dextris descripsimus, vagi ramum, & inter socium, qui ex intercostalis ganglio educitur, sed exiguo ab utroque trunco intervallo, per brevem intermedium nervum stabilitur communio. Atque, in thorace, quo loco nervus recurrens circum arcum aortæ fecit flexum, atque porro, ubi surgit nervus, ibi notabilem cardiacum ex se ramum edit; de quo nos perinde, ac de altero minore cardiaco, surculisque aliis recurrentis sinistri nervi, occasione plexus cardiaci, prima anatomes expositione locuti sumus. At sub nervi recurrentis ab vago discessu, tres surculi inter alia ad asperam arteriam educuntur, ac proxime sequens major paulo ramus ad pulmonem sinistrum defertur; & parte quadam pericardio destinatur. Nihilo minus progressus idem sub pulmone vagi truncus, tumorem illico gangliformem induit, ac tres alios ramos ad pulmonem sinistrum inde ablegat; sed inter hos maximus est, qui medio promittitur loco. Neque tamen sine plexus omni nota hi nervi prodeunt: & ex maximo illo ramo, quem ganglion edidit, jam ad angulum rectum alius, intervallo sesqui lineæ, & insignis nascitur nervus; qui tantus est, ut etiam quasi pristini formam trunci mentiatur, cum idem tramite magis recto, longoque itinere, scilicet, ad gulam firmatus, in thorace pergit, & quantum in se est, trunci explere illius vices videtur. Nam fere truncus, qui ab collo deducebatur, & ganglion sinistrum effecerat, jam potius ad latus gulæ oppositum, nervumque dexteriorem, sub altitudine circiter nonæ pectoris vertebræ.

bræ augendum, ſtatim quidem ſub ganglii loco, oblique, & poſt gulam, divertit; ſed noſter ramus, qui modo in locum ejus trunci ſubſtituitur, alium pariter notabilem, & ab deflectente trunco priſtino acceptum, ſed gulæ magis innexum, ſociumque, tamen inferiori loco viſum, ſibi conſciſcit; uterque enimvero nervus cum gula ad abdomen tranſit, & invicem communicat, minoremque plexum ſtomachicum, ab priori, & incipientis ſtomachi facie fingit; denique ampliori præcipue viſceris parti, ramis hic plexus proſpicit, & cum majore dexterioreque plexu communionem ſtabilivit, qua de re non ita multo poſt dicemus. Verum dexterior, & ita acceſſione ſiniſtri magnopere auctus, noſter vagus nervus, tum gulæ porro adhæret, tum abdomen ſubit, ſtomachique ſuperiorem, & paulo poſteriorem, locum attingit. Inde vero truncus vaſa gaſtrica ſuperiora jungit, magnumque ſtomachicum, & pluribus de cauſis obſervandum, valdeque notabilem, efficit plexum. Quem nos etiam cum lateralibus, atque cum ſubjectis, ſive plexibus, ſive gangliis intercoſtalium nervorum, aut immediate, aut mediate, hoc nobiliore inſtituto, quo minori quidem intervallo, communicare monemus: & hanc omnem rem nos ita porro declaramus. Nam, ab ſiniſtris, inde ramus, cum minoribus filis ſociis, ad ſtomachicum ſiniſteriorem plexum, tanquam ad multo minorem, ſed paullo priorem, circiter pollicis majore intervallo delegatur; atque omnis ita conſpicua utriusque plexus communio abſolvitur. Verum ad aortam, & cœliacæ arteriæ truncum, proprie demittitur ille dexterior plexus, & ſtatim ipſe dirimitur in tres fere partes. Quare ſiniſteriores ipſius propagines cum ramis ſemilunaris, nervi intercoſtalis ſiniſtri quidem ganglii, in abdomine primi, coeunt; & ab hac nervorum conjunctione, præter notabilem ramum unum, vel alterum, plures quoque minores ad ſplenicam arteriam, ipſumque ſplenem, cum meſeraici ſuperioris plexus procedunt ſurculis; cum interim, & ſub eadem corporis altitudine, ab ſtomachio plexu, altera fere mediaque pars laudati plexus ſtomachici nervorum progreditur. Verum, magis ab dextris, & ſupremo fere loco, majorem nervum

vum hepaticum ſtomachicus dexterior plexus, cum aliis ſurculis, verſus hepar demittit; quales poſtea ſemilunaris dexterioris ganglii procedentibus propaginibus, pariter hepati dicatis, augentur. At eodem illo ſtomachici plexus ſupremo fere loco, paulo aliter ab hepaticis deveniunt rami; qui via ſuper ſtomacho decliviori ad pylorum, pancreas ſubjectum, & ad duodenum pergunt: imo vero, ſub duodeno, ex hiſce ramis nonnulli ſocios ſibi conſciſcunt nervos, meſeraici quidem magni plexus propagines. Verum, hinc etiam numero filorum aucti admodum nervi hepatici omnes, arctius, aut hepaticæ, & in noſtro exemplo bipartitæ arteriæ, aut etiam venæ portæ, tenaciter adhæreſcunt. Quod ſi ex pinguis capſulæ habitu, quæ ab inventore *Gliſſonio* nomen habet, & ab ambitu venæ portæ, fila nervoſa, ſatiſque inter hæc exercitia diſcernenda, eruamus, & demamus, tum neque in ea obductione robur ſupereſt, neque muſculoſæ adſunt fibræ, quæ tonicum quidem motum in vivis præſtent; qualem perorare, & vehementer prædicare verbis alii ſolent. Quare ex duplici fere fonte ab dextris filorum nervoſorum ille fit congreſſus, quem alii hepaticum plexum dixerunt; ſicut alterum ab ſiniſtris ſplenicum vocaverunt. Tandem, ubi dexterioris plexus ſtomachici, majoriſque, medii nervi, qui juxta arteriam cœliacam ſunt, ad plexum meſeraicum tendunt componendum, tum neque renalia ganglia, plexuſque, ab nexu cum nervis meſeraici plexus, vagique propaginibus prorſus eſſe immunes ſolent; ſicut de nervo intercoſtali fuſe magis docebitur: tantum in hoc genere omnia anatome diligenter perveſtigare, & denudare, ſed crebrius, cauteque, ſingula trahendo experiri; imo, ſive plexibus, ſive gangliis dicatos minores nervos tendere, & cuncta, quam fieri poteſt, perſequi cultro; denique minima, nimiumque implexa, non niſi aptiore conjectura aſſequi decet. Quare media pars omnis dextri ſtomachici plexus miſcetur copioſis ſuperioris meſeraici plexus filis; & hic plexus cum initio arteriam meſeraicam cingit, tum ad aortam porro anterius adhæret; ut, hoc ſaltem exiguo nobis viſo jure, vagi ramos, ad meſeraicam inferiorem quoque arteriam, plexumque, hoc lo-

co

co visum, deferri putetur; & hoc ipsum ita magis conjicere, quam extricare fila, & cultro anatomico persequi, licet. Quicunque vero æstimaverit incredibilem illam nervorum copiam, qui ad meseraicam arteriam conveniunt, & qui deinde multiplicantur, ac fiunt; & aliam porro qui addiderit, quanta quidem copia nervorum ab origine inferioris meseraicæ arteriæ, & ejus juxta ramos, visitur: ille robur, quo universum mesenterium gaudet, præcipuumque, post arterias, nervis adscribet. Quemadmodum omnium nervorum descriptionem adhuc dedimus, sicut anatome ipsos exquirere opportunum visum fuit; ita de utroque intercostali nervo, quod superest, modo dicturi, neque sinistri lateris nervos, antequam de dexterioribus loquamur, proponere dubitamus. Duorum nervorum, qui cum aorta arteria abdomen subeunt, quales in pectore, ex propaginibus intercostalis fiunt, quæ ultimis quatuor costarum intervallis oriuntur, ac confluunt, nos jam mentionem fecimus: nam his locis etiam anatome intercostalis nervi, & expositionis prima parte, nos nuperrime substitimus. Ex his nervis superior, ac major, illico ganglion, quod semilunare vocant, struit; sed ab eodem ganglio etiam quidam nervus vicino diaphragmati, sicut in sinistro quoque latere accidit, conceditur; dum interim alii inde rami ad ganglium minus tendunt, quod juxta arteriam cœliacam, locoque plexus splenici est; cui, parte corporis altera, hepaticus opponitur: nihilo minus alii surculi simul ad stomachicum majorem plexum perveniunt, ac denique nonnulli ad subjectum renalem & propinquum deflectunt. Auget admodum id semilunare ganglion alter illorum quidem nervorum, qui abdomen subierunt; cum is ex parte illi impenditur; licet reliquum ejus, quod habetur, cum nervo socio singulari, qui pressius juxtà aortam ab decimæ vertebræ transverso progressus loco, & quidem ex vertebrali nervo, pariter ad abdomen deducitur, jam tria ganglia exigua, juxta succenturiatum renem, & emulgentia vasa fingat. Nihilo minus cum utroque hoc nervo convenit, & hæc ganglia, plexusque ramorum alius nervus auget, qui demum ab intercostali, & quidem sub undecima costa, promittitur:

tur:

tur; etiamsi hujus quoque pars nervi ad ganglium meseraicum majus, quod juxta meseraicam arteriam superiorem, plexumque ejus nominis, est, proferatur. Hoc enimvero arteriæ loco plexus nervorum insignis partim eandem arteriam irretit, partim aortæ faciem anteriorem obducit, & propaginibus suis ad inferiorem meseraicam pergit. Sed revertimur ad intercostalis truncum, unde quodammodo digressi sumus; &, hunc valde tenuem cum duobus filis lumbaribus, & sub media diaphragmatis extremitate lumbari, ad abdomen transire, observamus. Quare sequitur in ordine tradendum lumbare trunci ganglion. Quod pollicis majorem longitudinem habet, & præter insignem ramum unum, porro duo alii minores, scilicet ad latus aortæ, & adiacens meseraicum inferius ganglion, plexumque, qui arteriam inferiorem meseraicam partim investit, partim aortæ præfigitur, inde ab hocce ganglio proferuntur. Post ramos, quos modo diximus, denuo ex ganglio pronascuntur alii duo, qui deinde confluunt, nervumque componunt, qui porro ad medium vertebræ lumbaris quartæ locum concedit, & cum socio oppositi lateris varie communicat; siquidem porro, ante os sacrum, alter cum altero ferme coalescit, & juxta intestinum rectum, cum vasis hæmorrhoidalibus internis, propemodum ad usque extremitatem ejus intestini pergit. Ipse autem truncus nervi intercostalis, ab lumbari ganglio reliquus, jam veluti redditur vertebralibus nervis, ac sigillatim, in exemplo, is majorem sui partem nervo, inter quartam quintamque vertebram egresso, impendere videtur, quod tenuior ipse truncus hanc post communicationem fiat; nam, quicquid superest, id lateri vertebræ quintæ lumborum, & ossi sacro intra pelvim attenditur; nihilo minus nunc accessionibus ab mediis sacri ossis nervis denuo augetur, nunc vero surculos mittit, quales ægre magis discernuntur; denique utriusque lateris nervus invicem communicat, & ita quidem sub finem ossis esse definit. Sed nervus dexter intercostalis, sicut ille ab finistris progreditur, donec ad sextam usque costam perventum sit. Nam hac sub costa, ut a finistris, quatuor nervi, & quidem successive e costarum intervallis producti, atque notabi-

notabiles confluunt; facti autem inde duo nervi, ad ganglion semilunare, hinc ad plexum majorem stomachicum, porro ad ganglion, plexumque cœliacum, denique ad meseraicum ganglion superius, & ejus nominis plexum, tandem vero, & quodammodo ad renalia ganglia superiora dextra, plexumque nervorum renalem, ut a sinistris diximus, accedunt. Præter ea, duo nervi ab intercostali quoque trunco, sub decima & undecima delati costa, ad ganglia quidem renalia, & plexum, demittuntur; sed medius inde natus, notabiliorque, ramus, ad inferius meseraicum ganglion, plexumque meseraicum inferiorem, pertendit. Sequitur deinde spectandum ganglium lumbare dextrum. Atque ex eo nascitur nervus, qui duorum minorum comes est, meseraicumque inferiorem plexum auget; postea vero ille ramus e trunco ipso pronascitur, qui oblique ad pelvim, & extremum intestinum rectum, descendit, ut in latere opposito de simili diximus; siquidem & reliqua omnia de ramis truncoque se habent, quemadmodum a sinistris cuncta progredi significavimus. Postquam de intercostalis in imo ventre ramis, gangliisque, diximus, quædam repetere; sed de utroque latere, sicut commodum erit, ita modo agere liceat. Atque supra emulgentia vasa utrinque numeravimus tria renalia superiora & minora ganglia, hinc vero loco priori & acclivi semilunare ganglion est, modoque itur ad aliud cœliacum minus, quale a dextris quidem hepaticum, ab sinistris vero splenicum, vocari potest; saltem utrumque continuatur ramis, & quodam retiformi ramorum plexu vere definit in magnum meseraicum plexum. Quare, ab principio, & ab utroque meseraicæ arteriæ superioris latere, habetur singulum, sed majus ganglion; & id sex circiter lineas esse longum visitur. Nam, præter renalia illa ganglia, inferioribus quoque locis, ac sub vena emulgente, vidimus ganglion mediocre aliud, & quidem nervo uni alterique inhærens, quales nervi inde ad ganglion meseraicum inferius, plexumque ejus nominis inferiorem, deferuntur. Quod ita ganglion meseraicum inferius quodammodo superiore minus est, & ad arteriæ inferioris meseraicæ collocatur principium; sed ex his omnibus ganglia majora,

quin-

quinque vel ſex lineas: minora autem duas circiter lineas longitudine conficiunt; & parte quidem poſteriori illa extenuantur, de reliquo oblonga, quaſi lumbricalia, ſunt: at minora magis ad rotundam, depreſſamque formam accedunt. De vaſis ſanguiferis, in exemplo viſis, coronidis loco addimus: ſub arcu aortæ, & quidem ex priore hujus facie, in thorace, quatuor proveniſſe arterias minores, ac propemodum magnitudine pares. Ex his prima & ſecunda, tanquam bronchiales arteriæ, ad pulmonem dextrum ſiniſtrumque proceſſerunt. Deinde tertia, tam pulmonum, quam gulæ, communis fuit; & tandem quarta tantum in hanc convertebatur. Tres illæ priores modicis & propemodum paribus originum intervallis diſtinguebantur, quarta vero arteria ſeptimæ circiter thoracis vertebræ ſub altitudine fuit nata. Atque porro eadem anatome notavimus: in latere dextro arteriam intercoſtalem ſupremam, & quidem ex ſubclavia, demitti; qualem ſiniſtra ſubclavia minus reddidit. Etiam duæ phrenicæ, & magnitudine pares, arteriæ erant, dexteriorque propemodum ex angulo ſeceſſionis cœliacæ, ſed ſiniſtra ex hujus principio naſcebatur: at gaſtrica ſuperior, proxime ante majorem cœliacæ partitionem, ex eo trunco educebatur, comitemque venam illico accepit, quæ propinquum venæ portæ truncum junxit. Duæ in exemplo erant hepaticæ arteriæ, ex ſingulo trunco ortæ, atque una extra *Gliſſonii* capſulam, altera intra eandem, ad viſcus deferebatur. Inter utramque minor alia, ex hepatico-gaſtrico trunco, ſcilicet ex parte dextra cœliacæ, & antequam gaſtrica, quæ dicitur arteria dextra, ſive inferior, oriretur, ſcilicet ſtomacho dicata gaſtrica ſuperior, & dexteriori loco prodiit; qualem nos alio quoque tempore inter plura ejus generis vaſa deſcripſimus.

LUDOVICI A RIPA, ASTRONOMIÆ ET Aſtrologiæ in Gymnaſio Patavino Profeſſoris, Diſſertatio Meteorologica; cui accedit Solutio & conſtructio duorum Problematum Geometricorum.

 Vene-

Venetiis, 1733, 4 maj.
Plag. 9, Tab. æn. 1.

Hoc altero ſpecimine Doctiſſ. Autor ſolertiam, qua in exornando munere ſibi demandato verſatur, eruditis probat. Jam enim ante nonnullos annos nos Miſcellanea ejus in *Actis* hiſce (*A. 1726 Menſ Jan. pag. 27 ſeq.*) laudaſſe meminimus, quibus inter alias de rebus naturalibus Commentationes, ſcientiam quoque rerum, quæ in aere oculis noſtris objiciuntur, illuſtrare ſategit. Hoc Opuſculo laboribus Academicis, quibus tyronum in Philoſophia inſtitutioni inſervit, præfaturus, ad Meteorologiæ ſtudium ipſos invitat, præmonſtrans, qua via eundum ſit, quibus præſidiis inſtructum eſſe deceat, feliciter in hac doctrina verſaturum. Cum eruditis omnibus hodie ſatis exploratum ſit, rem phyſicam, Geometria facem haud præferente, apte non poſſe tractari, Autor publice declarat, ſe Auditoribus ſuis nihil appoſiturum, quod calculis explicari ac confirmari nequeat Suo igitur exemplo ardorem juvenum accenſurus, qua diligentia Matheſin cum Phyſica combinaverit, exponit, atque ad Opus a ſe multo ſtudio elaboratum provocat, quo Algebræ ad res phyſicas applicationem tentavit, quod, multorum votis expetitum, brevi tempore typis expreſſum iri, pollicetur. *Interea hoc* Opere de ſatis ſcientiæ, quam profitetur, atque omni hiſtoria, uberius commentatur. Origines Meteorologiæ altius repetit, veſtigia ejus inter Chaldæos, Phœnices, atque Ægyptios, inquirens, &, cum in illa antiquiſſimorum temporum caligine hiſtoriarum monumentis deſtituatur, nonnulla conjecturis ſupplet, quas vel ex affinitate, vel mutuo commercio, quæ Meteorologiæ cum aliis ſcientiis ac artibus intercedunt, repetit. Cum ex Oriente ad Græcos ſcientiarum cultura tranſiiſſet, *Thales* Mileſius primus eſt, de quo certo affirmari queat, quod de meteoris ſedulo philoſophari aggreſſus ſit. Cum enim aquam pro primo rerum omnium principio ſuppoſuiſſet, miram vaporum vim, pluviarum, roris, pruinæ, aliorumque ejus generis corporum, aeri innatantium, non potuit non animadvertere. Ventos quoque, eorumque miros effectus, obſervavit, cum, *Plutarcho* referente,

rente, ventis etesiis, aquas detinentibus, ne in mare effluant, Nili exundationem deberi, putaverit. Multa forsan *Thaletis* placita ad meteora spectant, cum materiam mutabilem ac fluxam, aliaque de natura rerum, prodiderit, quæ historiarum Autores non accurate satis, ex mente ipsius, interpretati sunt. Alio autem argumento de præclaro ipsius rerum meteorologicarum studio constare posse, Doctiss. Autor arbitratur. Pervulgatum enim est, ipsum astrorum scientiam a Phœnicibus ad Græcos attulisse, omnem Græciam usum eorum edocuisse, atque, ut in itineribus per mare cynosuræ signum sequerentur, monuisse. Præterea solis & lunæ motus exposuit, & cur fiat, ut Dies crescant ac imminuantur. Dierum quoque numerum in anno solari definivit, ac non modo eclipsis rationes explicavit, sed, ut veteres memoriæ prodiderunt, prædicendi quoque modum instituit, imo ipse eclipsin prædixit, eventu asserta ejus comprobante, quod adeo arduum visum est Græcis, ut tanquam Deum ipsum suspicerent, primumque inter septem Græciæ sapientes locum ipsi tribuerent. Testimonium de eclipsi, quam *Thaletem* prædixisse ferunt, perhibent *Diogenes Laertius*, *Plinius*, & *Plutarchus*, fulti autoritate *Herodoti*, qui *Lib. I* refert, cum dubio marte quinquennale bellum inter Lydos atque Medos gestum fuisset, atque sexto anno adversis concurrerent aciebus, in media evenisse pugna, ut in noctem subito verteretur dies. De hac vero diei immutatione *Thaletem* Milesium Iones præmonuisse, anno quoque, quo eventura esset, indicato. Improviso spectaculo exterriti utriusque exercitus milites, pugna desistebant, atque pacis consilia inibant, quæ, intercedentibus vicinis Regibus, conclusa, atque fœdus sanguine utrinque hausto firmatum fuit. Sunt vero hujus eclipseos tempus, qualitas, & duratio, omnino incerta, quod non solum ex variis & valde inter se pugnantibus veterum sententiis, sed ex recentiorum quoque Astronomorum in hac re dissensu, apparet. Argumenta dissidentium partium recenset *Stanlejus* in Histor. Philosoph. seque illis adduci fatetur, ut dubitet, dissensusne tantus ab Astronomorum calculis & diversis Chronologorum rationibus oriatur. Sed, non esse *Tha-*

leti tribuendam tantam rerum Aſtronomicarum ſcientiam, Autor arbitratur, quantam ad prævidendam eclipſin concedi neceſſe eſt. Argumentum potius ex illa veterum narratione colligit, ad demonſtrandam inſignem *Thaletis* in Meteorologicis peritiam, cum vero admodum ſimile ſit, prædictas a *Thalete* tenebras non ab interpoſitione Lunæ, ſed ab imperfecta quadam elementari conſtitutione, obductas fuiſſe, cujus ille tempus, habita regionis ratione, tempeſtatumque converſionis, prævidit. Hoc cum non niſi ab homine Meteorologiæ admodum gnaro præſtari potuerit; illo tempore hanc ſcientiam aliquo modo florere cœpiſſe, exiſtimat. *Dodwellus* ante jam ſuſpicatus eſt, *Thaletem* tenebras ſubito exortas a regionis potius tempeſtatisque exhalationibus obſervatis, quam veram eclipſin, prædixiſſe. Non inanibus argumentis ſententia hæc confirmatur: *Cleoſtratus* enim nondum in ſigna Zodiacum diviſerat, neque ſupputationis exordium ab ariete conſtitutum erat. Lunaris Syzygiæ menſtruum intervallum accurate nondum conſtabilitum erat, non determinati ejus cycli, epicycli, nodi, &c. Id cum negari nequeat, quæ cœleſtium luminarium tabulæ eſſe poterant? Quæ certæ ſupputationes? Equidem, *Thaletis* ætate plures eclipſes a Babyloniis jam obſervatas fuiſſe, hiſtoriarum monumenta teſtantur, ſed, nullam, ſi ab hac diſcedamus, prædictam fuiſſe, veteres commemorant. Imo, referente *Plinio Lib. XLVII Cap. 14*, ſapientia prope divina habebatur *Sulpicii Galli*, qui anno tandem *Varroniano*, quingenteſimo octogeſimo ſexto, mox futurum ſolis deliquium, prædixerat. Conſtat præterea ex allatis *Herodoti* verbis, *Thaletem* non menſem, non menſis diem, ſed annum, quo tenebræ fuerint oborituræ, indicaſſe. Quibus accedit teſtimonium *Joſephi Antiocheni*, aſſerentis, obſcurationem hanc pluribus horis perduraſſe, cum omnibus jam notum ſit, in eclipſi ſolari tenebras exiguæ durationis eſſe; ut profecto factum a *Thalete* indicium cum Aſtronomi prædictione non ſatis conveniat. Diſcipulus *Thaletis*, *Anaximander*, licet male de mundi ſyſtemate, & primorum hominum origine, opinatus ſit, de meteoris tamen egregie diſputavit, atque primus docuit, ventum eſſe aeris

ris, fluxionem ἀέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα, motis in eo & colliquatis partibus materiæ tenuissimis & fluidissimis. Testatur *Seneca* in Natur. Quæstion. ipsum docuisse, tonitrua, fulgura, presteres, atque typhones, nasci ex aere, in nubibus spissis crassisque concluso, e quibus ob partium tenuitatem levitatemque vi maxima erumpat; ruptura vero nubis sonitum edi, atque, divulsione juxta nigricantes nubis partes facta, fulgorem existere. Qui *Anaximandro* successit *Anaximenes*, cum, primum rerum omnium principium aerem esse, statuerit, varias, quæ in aere accidunt, mutationes procul dubio diligenter rimatus est. Nubes compingi aere quam maxime densato docebat, pluviam nubibus magis compressis, nivem particulis congelatis, laxe inter se cohærentibus. Tonitrua & fulgura mari a remis dissecto comparabat, terræ vero motus terræ casus esse, statuebat, ex siccitate aut pluvia exortos. Mittimus *Anaxagoram*, quem sedulam quoque huic scientiæ operam dedisse, Cl. Autor demonstrat, licet egregias suas doctrinas scepsi contaminaverit. Insequenti tempore Naturalis Philosophiæ, Astronomiæ, ac Meteorologiæ, studium deferbuisse videtur, cum Philosophi, *Socratem* secuti, neglecta rerum naturalium contemplatione, animum ad contemplandum summum Numen adjicerent, atque in Philosophia morum tantum versarentur. *Socratem* tamen rerum naturalium contemplationem minime contempsisse, Autor existimat, licet nonnulli ex sectatoribus ipsius nominis ejus autoritate suam vel ignaviam vel ignorantiam Physicæ excusare susceperint. *Socrates* enim non magni facere illos Philosophos solebat, qui, rerum physicarum studio addicti, via nulla ac ratione inventa, nullaque methodo ac regula proposita, inepto conatu impossibilia tanquam possibilia quærebant, summaque audacia cerebri sui figmenta pro explorata veritate aliis obtrudebant. Summus vir id unum contendebat, a Philosophis Physicæ cultoribus fieri debere, ut regulas invenirent, quibus possibilia ab impossibilibus distingui queant, eæque res, quarum certam notitiam sperare nobis licet, ab illis caute distinguantur, quibus, supra intellectus humani vires positis, frustra homines inhiant. Propterea solenne illud carmen

men ſuum in ore frequentius habebat: Quæ ſupra nos, nihil ad nos: ſtultum eſſe, relictis rebus humanis, illis ſeſe immergere, quæ nihil ad hominem pertineant; ſcientiarum pretium poſitum eſſe in uſu, &c. Arithmeticam igitur vehementer laudabat, Geometriam, cum certas menſurandæ terræ regulas exponat, commendabat, & ſiderum ſcientiam, cujus præſidio cives in diſſitas regiones navigent, atque tempora commode dividant, valde extollebat, ſiquidem abſque illa nec ager rite coli, nec commercia inſtitui, nec jus ipſaque religio apte tractari queant. Quam ſedulam operam Aſtronomiæ, Meteorologiæ, ac Hiſtoriæ naturali, dederit, Comicus *Ariſtophanes*, hanc ſolertiam in opprobrium ipſius verſurus, vel invitus prodit. Objicit ipſi, quod meris occupetur nugamentis, nubes pro Diis colens, atque curioſum inſectorum ſtudium naſo ſuſpendit adunco, exprobraturus cum maximorum, tum minimorum, mundi corporum continuam contemplationem. Tandem quaſi ad inſtaurandam Philoſophiam naturalem prodiere *Democritus* & *Ariſtoteles*. Cum crimina & errores ſectatorum *Ariſtotelis* magiſtro huic æque, ac *Socrati* diſcipulorum deliramenta, fraudi fuerint; quantum utrique Philoſopho debeatur, & quod ſanam Philoſophandi methodum ipſi coluerint, fuſius Cl. Autor demonſtrat. Certe nemo acutius *Ariſtotele* meteora inſpexit, nemo cauſas illorum ſolertius indagavit, quanquam argumentum hoc non prorſus exhauſerit, ſiquidem ipſe candide fateatur, ſe multa tanquam dubia proponere, alia ſimpliciter indicare, neque in recondita naturæ penetralia ſe perveniſſe. Nobis jam non vacat, quid hac in parte vel ab *Ariſtotele*, vel ab aliis Philoſophis poſt ipſum, præſtitum ſit, copioſe referre, cum harum rerum ſtudioſis ignotum eſſe nequeat, qua via ac methodo recentiores Geometria duce in hæc naturæ adyta penetraverint. Suum cuique decus ac laudem Doctiſſ. Autor tribuit, atque invidendis, ſed profecto debitis, laudibus ſummum *Newtonum* extolit, qui ſagaciſſimo ingenio plura ac magis abſtruſa naturæ myſteria patefecit, quam ſperare mortalibus fas erat. Ejus inprimis, aliorumque celeberrimorum Virorum, laboribus debetur, quod, vix tranſacto Seculi unius curri-

curriculo, Arithmetica nova, nova Geometria, nova Mechanica, nova Optica, Aſtronomia nova, inventa, atque ita præclara Meteorologiæ adjumenta comparata ſint. His viam præmonſtrantibus, Academiæ Europæ fere omnes jam de objecto, regulis, fine, ac methodo philoſophandi conveniunt, quod ex Actis Academiarum, Florentinæ, Londinenſis, Pariſienſis, Berolinenſis, Petropolitanæ, abunde apparet. Methodum hanc uberius exponens Autor, dum varias, quas Philoſophi in ſcrutanda veritate vias iniere, ad examen revocat, oblatam amplectitur occaſionem, ſuam de vi attractionis ſententiam dicendi, cui inter naturæ leges locum concedendum eſſe, nonnulli noſtrorum temporum Philoſophi contendunt. Exiſtimat, *Newtonianos*, dum attractiones, non ut qualitates occultas, aut ſympathias, ſed ut leges naturæ univerſales, introducunt, ad Phyſicam *Ariſtotelis* multum accedere, ut, revocata noſtris temporibus hac ſententia, forte aliquid non contemnendum addi poſſet libro *Launoji* de varia *Ariſtotelis* fortuna. Non inficiatur Cl. Autor, eſſe in natura phænomena multa, quæ longe captum ſuum ſuperent, gravitatem, vim elaſticam, & alia, ſed a ſe impetrare non poteſt, ut illis accedat, qui, corporibus omnibus vim ineſſe, contendant, qua ſeſe attrahant & pellant. Gravitatem enim habere leges ſuas, animadvertit, per quas motus, &, qui ab illis pendent, effectus, explicantur. Elaſtra quoque leges ſuas habent, quarum licet cauſam ignoremus, ipſæ tamen ad ſtabiliendas demonſtrationes prorſus ſufficiunt. Si quis contra ad attractiones ſe convertat, illas in magnete, corporibus electricis, atque in vitro, obſervabit, compellentes fluida magno impetu ad notabilem altitudinem, aut guttas oleoſas per laminas contiguas & inclinatas ſponte ſua illarum virtute adſcendere, videbit. Si igitur attractionum & repulſionum vi reflexiones, refractiones, & diſperſiones lucis fieri largiamur, præcipiti ſaltu iisdem cauſis attribui virtutem aeris elaſticam, aliosque corporum ſolidorum innumeros fere effectus, arbitratur Cl. Autor. Candide igitur fatetur, ſe in tanta rerum varietate non invenire, ubi conſiſtat, neque data ſibi ſuppetere, quibus ratiocinando innitatur, quando horum omnium effectuum generale princi-

pium quærat. Advertit præterea, quot phænomena sint, quæ modo commemoravimus, totidem leges esse, quibus ea regantur. Quid enim, verbi gratia, gravitas ad magnetis attractiones attinet, cum hæ massis proportionales non sint, non decrescant reciproce ut distantiarum quadrata, cum diversis accidentibus non sint obnoxiæ, unoque mallei ictu virtus magnetica dissipetur ac destruatur? Si ergo diversæ leges sunt, necessarium est, diversas etiam esse causas. Philosophi vero illi, qui nihilo minus effectus omnes juxta suum systema ab attractione ortos coacervant, & illos ad unam referunt naturæ legem universalem, & immutabilem, tenui quidem labore causam cujuscunque abstrusi phænomeni reddunt, sed vocabulum tantum pro causa adducunt. Si leges in dissimilibus attractionum generibus dissimiles omnino sunt, manifestum est, illas a causis diversis pendere, ac proinde male pro generali naturæ canone sumi. Observavit diligentissimus *Musschembrœkius*, magnetis vim attractivam, in diversa a polo distantia, non habere legem stabilem ac firmam, nonnunquam eandem esse in ratione inversa distantiarum, sed modo in majori, modo in minori, pro majore, vel minore, magnetum perfectione. *Tailorus* expertus est, aliquando virtutem ejus in ratione plus quam triplicata & ad inversam quadruplicatam accedente esse, quod verum esse, repetito experimento vidit *Musschembrœkius*. Recte igitur ex ambiguis his experimentis colligitur, magneticas attractiones ab attractionibus gravitatis prorsus diversas esse. Hisce præmissis, Cl. Autor brevem meteorologicorum *Aristotelis* analysin subjicit, &, quomodo in exponendo hoc Philosophiæ naturalis capite cum antiquiorum scriptis, tum recentiorum inventis, usurus sit, commemorat. Appendicis loco solutionem & constructionem duorum Problematum Geometricorum, ad quæstiones de maximis & minimis pertinentium, addit, quæ peritus architectus sagacissime, mechanica praxi cum Geometricis demonstrationibus Autoris egregie conspirante, solverat. Alterum est, invenire minimam
TAB VII lineam, quæ duci potest per punctum datum A, intra angu-
Fig. 3. lum datum F D G. Ducebat laudatus artifex ex dato puncto A lineam

lineam A D, & deſcripto diametro A D circulo, circa punctum A revolvere cœpit regulam C B, & motum hunc tunc ceſſare fecit, cum invenit circino A C = E B. Hanc enim C B maximam longitudinem eſſe, quæ in angulo dato circa datum punctum volvi poteſt, non ſine ratione aſſeruit, cum geometrica Cel. Autoris conſtructio ope hyperbolæ praxi huic egregie conſentiat. Alterum Problema hunc in modum conceptum propoſitum fuerat: Dato angulo, & dato puncto intra eundem angulum, & data latitudine lecticæ, quæritur maxima longitudo illius rectanguli, conſtituentis baſin ejusdem lecticæ, quæ volvi poteſt, circa datum punctum, tanquam obicem, in dato angulo; quod ex Geometria Cl. Autor his verbis enuntiat: dato puncto A in dato angulo F D G, invenire minimam tangentem circuli, deſcripti a radio A D, centro A intra datum angulum. Ingenioſa methodus eſt, qua artifex Problema hoc ſolvit, atque penitus cum Cel. Autoris conſtructione per duas tertii ordinis lineas conſpirat. Sed, cum jam ſatis in enarrando hujus Opuſculi argumento copioſi fuerimus, ulterius illi immorari nobis non licet. Unum hoc addimus, monere Cl. Autorem, delineationem curvarum ſecundi generis, quibus in conſtruendo Problemate uſus eſt, commode abſolvi poſſe ſubſidio machinæ cujusdam, unico & continuo motu illas deſcribentis, quæ nihil, præter vulgares & notas deſcriptiones hyperbolarum, ſupponat. Imo artificium hujus inſtrumenti, adhibita mediocri ſolertia & induſtria, traduci poſſe ad conſtruendam quamlibet aliam curvam, & hoc pacto Geometriam longius poſſe provehi, methodum conſtructionum reddendo facilem, uſui promtam ac paratam.

DITHMARI HACKMANNI PRÆCIDAnea ſacra.

Lugduni Batavorum, apud Conradum & Georgium Wishofios, 1735, 8.

Plag. 22.

Primus eſt hic *Tomus* Animadverſionum Philologico - Criticarum ad Textum originalem Vet. Teſt. exhibens *Geneſin*,

ſin, *Exodum*, & *Leviticum*, quem Reverendus Autor cum orbe erudito communicat, cui ſimilem mox adjiciet *alterum Tomum*, ac poſtea quoque in eo ſtudio decurrere perget, donec integrum corpus Biblicum haud abſimili methodo emenſus fuerit. In hoc igitur ſpecimine doctrinas venerandorum ſuorum Præceptorum, *Ikenii*, & *Schultenſii*, ſecutus, linguæ Hebraicæ ex affinibus novam lucem affundere, radices ejus deperditas reſtituere, ac primam earum ſignificationem eruere, conatur, & non vulgares ſolum interpretum ac Grammaticorum ſententias, ſed & Maſoretharum variantes lectiones, ſub examen vocat, ac, *Ketibh* pro *Keri* retinendum eſſe, monſtrat, quod ex ſequentibus locis patebit. *Geneſ. I*, 2, ita vertit: *Spiritus Dei, ſive tertia Sacroſanctæ Trinitatis perſona, molli fotu incubans erat ſuper faciem aquarum, gallinæ inſtar, ova dura inſedentis, & ad maturitatem quandam perducentis.* Scilicet, verbum רחף Hebraice & Arabice *emollivit* ſignificare, putat, quo ſignificatu duo alia loca *Deuter. XXX*, 11, & *Jerem. XXIII*, 9, explicanda eſſe cenſet *pag.* 2—10. Porro *Geneſ. VIII*, 17, lectionem Maſoretharum marginalem vocis הוצא, in textu occurrentis, per היצא inutilem eſſe, arbitratur, quia omnia verba Hebraica, inchoata a י, ex dialecto præcipue Arabica, etiam a ו inchoari potuerunt. Unde in conjugatione Hiphil antiquus Imperativus utroque modo in uſu fuerit. Ac eo ſimilem formam הושר *Pſ. V*, 9, trahit, ſuamque opinionem magno exemplorum numero confirmat, *pag.* 12—14. *Geneſ. Cap. XXV*, 29, ſic explicat: Et *decoxit*, ſeu cum *fervore intumeſcere fecit*, *Jacobus* juſculum, ex ſenſu proprio verbi זוד, quod *de aquis ferveſcentibus cum tumore*, vel *tumeſcentibus cum fervore*, primario uſurpatur, ac dein *methaphorice ad animum ferveſcentem*, *inflatum, ac tumidum*, transfertur, ex quo loca quædam *Deut. I*, 43, *Exod. XVIII*, 11, *Jerem. L*, 29, illuſtrat. Dein *Geneſ. Cap. XXVII*, 3, τὸ ה vocabuli צידה non redundare, juxta Maſorethas, ſed majorem emphaſin afferre, & ſignificationem intendere, aliis exemplis probat, ac verba ita transfert: *Venare*

nare mibi venationem optimam & egregiam, multisque aliis præferendam. *Cap. XXXVII*, 36, vocem סרס primario *Eunuchum*, ſive *ſpadonem*, ſecundario *aulicum*, ſeu *miniſtrum regium*, a סרס forte σπᾶν, vellere, contorquere, denotare cenſet, טבח autem, proprie mactatorem, tum ad *coquum*, cujus officium eſt mactare, tum ad *ſatellitem regium*, qui *carnificis* munere fungitur, ſeſe applicare, *pag.* 34 *ſeq.* *Cap. XLIX*, 22, occurrens locus difficilis, hunc ei ſenſum habere videtur: Filius *findentis vitis* eſt *Joſeph*, filius *findentis vitis* ad aquam poſitus, cujus *filiæ*, ſive tenuiores palmites, geniculato curſu *ſcandunt ſupremas partes pedamenti*, hoc eſt, ſtatuminis lignei, quo vitis in vinea pedatur, ne terram botris onuſta perſerpat, eumque ex indole linguæ Orientalis eleganter demonſtrat. Nam radicem פרה primario notare ait *findere*, *ſcindere*, tum ad *fiſſum* arboris corticem, tum ad ventrem mulieris *ſciſſum*, protruſo in lucem fructu ac fœtu, referendam, צעד *ſpatiari cum pompa*, pulchre de ramis tenuioribus vitis libere luxuriantibus, ſeque in altum diffindentibus, uſurpari, שור *murum domus*, ſeu *urbis*, ſpeciatim *vineæ*, qui Latinis pedamentum dicitur, ſignificare, *pag.* 44 – 60. *Exod. IV*, 2, vocem מזה non in זה & מה, ſed in מן & זה, reſolvit, ac ea occaſione in *etymon* τȣ̃ מן, mannæ, inquirit, & vertit voces מן הוא. *Exod. XVI*, 15, per *donum munusve divinum cœlitus datum*, a radice obſoleta in Bibliis מנן, quæ a *præcidendo*, in *donis*, ſpeciatim ſecando, divinis, *ſecundario diſtribuendi* ſenſu, frequentata, apud Arabes hodiedum *donandi*, *largiendi*, retinuit uſum. Simul autem *Pſ. LXI*, 8, illuſtrat, ac vulgarem Grammaticorum ſententiam, qui מה de *re* ſolum, & מי *perſona* tantum, uſurpari volunt, refutat *pag.* 65 – 73. *Cap. VI*, 3, ita transfert: *Apparui quidem ego, qui ſum Jehova, Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, Deus omni ſufficientiſſimus*, ac particula ב voci אל præfixa emphatica ipſi videtur, interiorem rei naturam veramque conditionem depingens, æque ac *Jeſ. XL*, 10, & *Eccleſ. VII*, 11, *Pſ.*

 XXXIX,

XXXIX, 7, *Job. IV*, 19. Vox autem שדי ei non ſubſtantivum, ſed adjectivum, eſt, a radice שׁדח Hebraice & Arabice, *irriguus fuit*, notante, ſimulque obſervat, vocem יהוה, hoc eſt, is, qui *exiſtit* ab æterno, & in omnem æternitatem *exiſtet*, puncta aliquando τῦ אלהים, aliquando τῦ אדני, ſibi appropriata circumferre, *pag.* 74 – 90. *Cap. XIII*, 16, alluſionem fieri credit ad brachialia & ornamenta frontem cingentia, quibus Iſraelitarum virginum ditiores ornatæ incedebant, ut continuæ præceptorum memoriæ imago ipſis inſinuaretur. Vocem enim טוטפות a radice טפף, id eſt, *creberrime pulſavit*, per ὀνοματοποιΐαν forte efficta, & ab Arabibus & Syris ſervata, derivat, ac ſic *ornamentum frontale, inter oculos ad naſum uſque dependens, ſeque frequenter agitans*, adeoque frontem continuo *pulſans*, טוטפת in ſingulari ſignificare exiſtimat, *pag.* 90 – 112. *Cap. XIV*, 27, de ſenſu vocis לאיתנו fuſe commentatur, ac ex radice יתן, in Arabica lingua per literam ו ſcripta, cum י alternantem, *perennis fuit, jugi & inexhauſta fluxit vena*, explicat per *æſtum continuum*, ac fervorem maris non interruptum, quo ſua aquarum volumina reciprocare ſolebat, ac vocem איתן, quam in ſuperlativo poſitam credit, per א præfixum ad illuſtrationem menſis האיתנים dicti, 1 *Reg. VIII*, 2, ob crebros imbres in hoc menſe cadentes, & alia loca Scripturæ rectius intelligenda applicat, *pag.* 113 – 126. *Cap. XXV*, 20, פנים *facies*, dualiter enuntiatum, & per איש אל אחיו conſtructum, numerum facierum *quaternarium* repræſentare in Cherubinis, monet, & phraſin obſcuram מעשה צעצעים 2 *Chron. III*, 10, per opus *diverſarum formarum* ex radice צעע, *formavit*, *figuravit*, ingenioſe transfert, *pag.* 134 – 152. *Cap. XXXVIII*, 8, duas voces הכיור & כנו pleniſſima luce perfundit, ac, illam *vas rotundum*, labrum nempe æneum, hanc *operculum*, ſeu *tegmen*, ejus æneum, ſignificare, oſtendit. Nam *thema* in ſacris deperditum, apud Arabes autem in gyrandi, inque formam rotundam colligendi, notione occurrit, ac inde quadriliterum כרכר, ſubſalta-

ſaltationis orbicularis idea, relictum eſt *2 Sam. VI, 14.* Hinc & כר *ſella*, ſive *rotundior domuncula*, *dorſo* camelino impoſita, ad ſequiorem ſexum in itineribus faciundis portandum, *Geneſ. XXXI, 34*, & ככר primario *maſſa panis in orbem convoluta*, ſecundario omnis rei, ut *talenti*, *regionis*, *ac* certi *alicujus terræ tractus*, oritur. Alterum autem vocabulum כן ex radice כנן Hebræis vindicanda, ac ſub certiſſimo *tegendi* ſignificatu apud Arabes ſervato, tam *proprie*, quam *improprie*, in variis ſacræ & profanæ ſcripturæ locis agnoſcenda, deducit *pag. 152 – 196. Levit. Cap. VI, 2*, diſquirit, quid *κρίσις* Maſoretharum de מ minuſculo מוקדה ſibi velit, & vocem ipſam locum, ubi ignis continuo accenditur & ardet, explicari debere putat, quia מ *Heemanticum* in *nominibus verbalibus*, in omnibus linguæ Orientalis dialectis, ab initio præfixum, *locum* ſignificat, in quo ipſa *verborum* ſuorum *actio* peragitur, quod multis exemplis probat *pag. 197 ſeq. Cap. VIII, 31*, verbum צוה ex origine ſua, *jungere* ac *injungere*, ideoque *mandare*, *præcipere*, ſignificat, ſcilicet a corporea idea jungendi ad incorpoream facile translatum, ex quo nonnullorum locorum Scripturæ emphaſin illuſtrat *pag. 217 ſeq. Cap. XVI, 8*, vox עזאזל ipſi denotare videtur *locum aliquem limitibus ſuis deſcriptum, ad quem bircus piacularis diei expiationis amandari & vivus aſportari debebat*, ut ibi ſub ſanctiſſimo religionis nexu cuſtodiretur, ac libero paſtu gauderet, a radice עזל, *ſeparavit*, in conjugatione, cujus character, *geminatio* nempe mediæ radicalis, cum inferta aliqua *τῶν* אוי antiquitus uſurpatus fuit, quod ex linguæ Orientalis analogia probabile reddere annititur, ac ex eadem *Pſ. XLV, 3*, *τὸ* יפיפית illuminat. Et eundem locum *v. 22*, ארץ גזרה, id eſt, terram reſectionis, dictum fuiſſe obſervat, hoc eſt, eximiam quandam agri ejusdem campeſtris *partem* ab uſu promiſcuo *reſectam*, & huic ipſi ſanctiſſimo deſtinatam, *pag. 232 – 273. Cap. XIX, 15*, verbum נכר non ſolum ſignificationem, *oculo attento inſpiciendi*, nec in *corde* tantum acerbitatem ac æruginem fovente,

vente, sed etiam oculi *vindictæ* aut *ultionis* occasionem captantis, *μεταφορικῶς* complectitur, ex usu antiquo linguæ affinis Arabicæ & Syriacæ, unde duo Scripturæ loca *Nahum I, 2, Ps. CIII, 9*, & alia, lucem accipiunt.

EXPLICATIO GENTILIUM FABULARUM ET superstitionum, quarum in Sacris Scripturis fit mentio, vario hinc inde sensu præter literalem, ut allegorico, morali, anagogico, &c. exornata per CASP. HARTZHEIM, S. J. Sacerdotem.

Patavii, apud Jo. Manfrè, 1731, 8.
Alph. 1 plag. 9.

Cl. Autor, veritates sacri Codicis ex ipsis Poetarum fabulis illustrari quodammodo posse, opera sua in aprico posuit denuo. Pluribus enim, quam centenis, quantum quidem supputando assecuti fuimus, locis Biblicis ex Mythologia, ex proverbiis & idololatria gentilium, lucem affundere studuit, quorum indicem ad calcem exhibet. Poterat Cl. Autor plura illustrare, cum vel ex Proverbiis *Salomonis*, & compluribus Prophetis, non nisi unicum tetigerit, licet in Apocryphis copiosior sit. Sed forsan alia occasione plura & majora dabit. Quilibet hariolari, vel nobismet tacentibus, poterit, Cl. Autorem sequi & textum, & computationem Capitum, & librorum Biblicorum seriem, prout in versione vulgata occurrit. Nonnunquam tamen ab eadem deflectit; v. c. ad *Jobi XLII, 14*, ubi Vulgata nomen tertiæ filiæ *Jobi Keren hapuch* reddit, cornu stibii, legit cum LXX Interpretibus Κέρας Ἀμαλθείας, ut occasionem nanciscatur de cornu Amaltheæ differendi. Breviores interdum & minus operosæ sunt ejus annotationes, cumprimis quod ad sensum literalem, v. c. ad *Amos. VIII, 14*, quibus adeo vel solius Summe Ven. *Deylingii* Observationes sacras, in quantum ad campum mythologicum spectant, merito prætuleris. Sed hoc solicitius Cl. Autor ex Patribus venatus est sensus Allegoricos, Morales, Anagogicos, quos nunc morari prohibemur.

In *Anni* præsentis *Actorum* nostrorum *Mense Aug. pag.* 368 *lin.* 26 pro *perveniant* lege *proveniant*.

NOVA ACTA ERUDITORUM, publicata Lipsiæ Calendis Octobris Anno MDCCXXXVI.

SICILIA SACRA, DISQUISITIONIBUS & Notitiis illustrata, Autore Abbate Netino & Regio Historiographo, DON ROCCHO PIRRO, S. T. ac U. J. D. Regio Capellano Canonico, &c. Editio tertia, cura & studio ANTONINI MONGITORE, S. T. D. Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ Canonico, &c.

Tomus I & II.

Panormi, apud Hæredes Petri Coppulæ, 1733, fol. maj. Alph. 14 plag. 22½.

Qui singularis cujusdam Regni aut Provinciæ statum Ecclesiarum inde a Christianæ Religionis initio usque ad sua tempora libris seorsim describere aggrediuntur, insigne profecto ii rerum sacrarum Historiæ beneficium afferunt. Et hoc potissimum nomine eruditorum orbem jam olim sibi obstrictum reddidit *Rocchus Pirrus*, Abbas Netinus, & Regis Hispaniarum, *Philippi IV*, dum vixit, Historiographus, qui, quicquid ad illustrandas Siculorum Ecclesias, evolutis quampluri-mis libris, adhibitis etiam monumentis, antiquis æque ac recentioribus, diuturno labore congesserat, tandem, communi omnium beneficio, in præsens Siciliæ sacræ Opus intulit, præ-

ſtantiſſimum certe, adeoque digniſſimum, cujus argumentum
jam exponamus Lectoribus. Integrum vero quatuor abſolvi-
tur Libris. *Primus* Notitias exhibet trium Eccleſiarum Me-
Tom. I tropolitanarum, & quidem 1) Panormitanæ, 2) Meſſanenſis,
pag. 1. cui præmiſſa eſt ab Autore Cl. ad primam Præſulatus origi-
313. nem in Meſſanenſi Eccleſia inveſtigandam, de Epiſtola Deipa-
323. ræ, quæ ad Meſſanenſes ſcripta fuiſſe dicitur, Diſſertatio,
451. 488. 3) Monteregalenſis. *Liber ſecundus*, quo Siciliæ Epiſcopatus,
qui temporum calamitate perierunt, commemorantur, comple-
ctitur Notitias XIII Eccleſiarum, 1) Tauromenitanæ, 2) Trio-
calitanæ, 3) Leontinæ, 4) Lilybitanæ, 5) Tyndaratinæ, 6) Ther-
mitanæ, 7) Drepanenſis & Aleſinæ, 8) Troinenſis poſt Sa-
racenos, 9) Cronienſis, 10) Camerinenſis, 11) & 12) earum,
quæ dubie & falſo in Sicilia conſtituuntur, quibus in Notitia
13 accedunt Epiſcopi Siculi, qui certæ addici Eccleſiæ non
513. potuerunt. *Liber tertius* Epiſcopatus Siciliæ ſiſtit nunc flo-
rentes, eorumque Notitias 8, Eccleſiarum nempe Epiſco-
palium, 1) Catanenſis, 2) Syracuſanæ, 3) Agrigentinæ, 4) Pa-
ctenſis, 5) Cephalæditanæ, 6) Mazarenſis, 7) Melitenſis cum
Tom. II Prioratu Meſſanæ, 8) Liparenſis. Sequitur *Liber quartus* &
pag. 969. ultimus, quo Abbatiarum & Prioratuum Notitiæ habentur.
Hæ vero Abbatiæ, quæ in Sicilia florent, cum non unius e-
juſdemque ſint ordinis, liber ille ſeorſim in quatuor Partes
dividitur. *Prima* Abbatiarum *Ordinis S. Baſilii M.* triginta
Notitias continet, quarum 1) eſt Archimandritatus S. Salvato-
ris, Meſſanæ, 2) S. *Mariæ* de Crypta, ſeu Gructa, Panormi,
3) S. *Nicandri* de Meſſana, 4) S. *Pantaleonis*, 5) S. *Mariæ*
de Maſſa, 6) S. *Georgii* de Triocala, 7) S. *Mariæ* de Bordo-
naro, 8) S. *Eliæ* Ebuli, ſeu de Ambula, 9) S *Michaelis* Ar-
changeli de Troina, 10) S. *Angeli* de Brolo, olim de Liſico,
11) S. *Mariæ* de Mili, 12) S. *Philippi* de Fragala, olim de
Myrtiro, 13) S. *Philippi* Majoris, ſeu Grandis, 14) S. S. *Pe-
tri* & *Pauli* de Italia, 15) S S *Petri* & *Pauli* de Agro, olim
de Agrilla, 16) S. *Mariæ* de Gala, 17) S. *Mariæ* annuntiatæ
Mandanighii, 18) S *Gregorii* de Gypſo, 19) S *Nicolai* de Fi-
co, 20) S. *Salvatoris* de Placa, 21) S. *Philippi* de S. *Luciæ*,
22) S.

22) S. *Pancratii*, 23) olim S. *Nicolai* de Regali Mazaræ, 24) S. *Mariæ* de Alto, 25) S. *Mariæ* de Castania, 26) S. *Mariæ* de Laccu, 27) S. *Mariæ* de Flumine Nisi, 28) S. *Petri* de Deca, 29) S. *Dominicæ* de Monte Dei, 30) S. *Michaelis* de Fulgerino, seu Filarino. *Parte secunda* Siciliensium Abba- Pag. 1064.
tiarum & Prioratuum *Ordinis S. Benedicti* Notitiæ exhibentur numero, uti quidem Titulus Libri IV habet, XXXV, quarum tamen in ipso Opere non nisi unam supra triginta invenimus. *Parte tertia* Abbatiarum *Ordinis* S. *Bernardi* Noti- 1280.
tiæ X; *ultima* tandem Abbatiarum & Prioratuum *Ordinis S.* 1326.
Augustini Canonicorum Regularium atque Religiosorum Militarium Notitiæ habentur. Quorum Sanctorum Sanctarumve memoriæ sacræ sint singulæ ordinis cujusque Abbatiæ, ordine suo commemorare supersedemus, ne limites instituti egrediamur; indicasse vero juvabit argumentum, quod quatuor illis Libris eorumque, uti vocantur, Notitiis, describendum sibi sumsit Autor doctissimus. Scilicet inde ab illa ætate, qua in Siciliam illata fuit Christiana Religio, Præsulatus cujusque majorumque Beneficiorum exponitur institutio, commemorantur Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & Priores, singulorum deinde jura & Privilegia explicantur, antiquitatis monumenta adduntur; Civitates porro Diœcesium, cum præcipuis illarum templis, religiosisque familiis, tandem viri Siculi, qui vel sanctitate, vel doctrina, illustres fuere, describuntur. Præterea, uti Auctarium sacrum, quo pleraque enarrantur, quæ ad sacras tum religiosorum, tum monialium, atque ad Parochiales & Collegiatas, quæ dicuntur, ædes spectant, singularum Ecclesiarum Notitiis accessit, ita illarum Episcopalium, quæ etiamnum in Sicilia florent, & *Libro III* describuntur, sua cujusque insignia in æs incisa in fronte sese conspicienda præbent. Latissimus est Historiæ campus, quem emensus est Autor Cl.; nondum vero labor ejus hic substitit. Etenim, ut temporis & annorum constaret ratio, atque adeo ad unam Notitiæ omnes legem & veluti normam constituerentur, visum est Nostro, Operi præmittere *Chronologiam Regum Siciliæ*, quam duæ se- Tom. I
quuntur Disquisitiones de *Patriarcha* & *Metropolita Siciliæ*, pag. 1.

 una

Pag. 75. 94. 105. una cum *Præsulum Siciliensium electione*, quæ argumentum constituit tertiæ. Opus claudunt quinque Indices, 1) Titulorum totius Operis; 2) Chronologicus Episcoporum Siciliensium; 3) Alphabeticus eorundem per eorum nomina; 4) Alphabeticus Siculorum Episcoporum cognominum; 5) Rerum notabilium. Ceterum prima non est, quæ præsens nobis sistitur, Operis editio; qua singulas fere Partes Seculo superiori inde ab anno trigesimo usque ad quadragesimum quartum, Autore adhuc superstite, primum illud Panormi prodierat. Integrum deinde accessit Antiquitatum & Historiarum Siciliæ Thesauro, qui ante decennium Lugduni Batavorum editus est, cura *Petri Van der Aa*, cum Cl. *Petri Burmanni* Præfationibus, in qua vero editione, quod observatum est nostro Siciliæ Editori Cl. Panormitanæ Editionis menda non omnino sublata, ac nova invecta, inter quæ fœdum illud, quo in Messanensi Prioratu, integra Autoris pagina prætermissa, narrationis ordo valde turbatur. Tertium igitur illud prodiit, editione quidem præsenti, cui emendandæ poliendæque quam laudabilem impenderit operam Vir Cl. *Antoninus Mongitore*, S. T. D. & Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ Canonicus, &c. facile apparebit ex sequentibus: Quemadmodum non ultimam ille curarum suarum partem existimavit, tollere menda, quibus editio Panormitana Typographi incuria scatebat, ita primum quidem additamenta ipsius Autoris, quæ Appendici *Tomi primi* accesserant, suo quæque loco inseruit. Monumenta deinde addidit, quæ ejusdem Autoris oculos effugisse, deprehendit, ea porro, quæ aut temporis lapsu immutata, aut a veritate aliena esse, animadvertit, solicite emendavit, & in postremum paginarum locum rejecit, interdum ope adjutus exemplaris illius, cui *Pirrus* ipse, postquam Opus curis secundis subjecerat, manu sua quædam subinde addiderat, quædam subtraxerat, cujusque postea facta fuerat Editori Cl. copia: Tandem nonnullos a *Pirro* prætermissos Episcopos sedibus suis assignavit, Præsulumque seriem ab anno, quo ille scribere desiit, ad hæc usque tempora deduxit. Sicuti vero hæc omnia debentur Editori doctissimo; ita solus ille non fuit, qui editio-

ne

ne præsenti eruditorum gratiam iniit. Abbatiarum Siciliensium *Ordinis S. Benedicti*, quæ *Parte II Libri IV* describuntur, non nisi tres priores Notitiæ lucem olim aspexerant, cum *Pirrus* morte præventus, quod animo conceperat Opus, ad finem illud deducere non potuisset. Ne quid igitur esset, quod jure in eo desideraretur, manum eidem admovit *Vitus Maria Amicus*, Nobilis Catanensis, Ordinis *S. Benedicti*, qui non solum reliquas ordinis sui Cœnobiorum Notitias, quarum octo supra viginti fuere, verum etiam illas Monasteriorum Ordinis Cisterciensis, Editoris rogatu adornavit, & Siciliæ sacræ addendas concessit; quo factum, ut *Pirri* Opus integrum suisque numeris absolutum tandem editione præsenti prodierit. Ceterum, quantum laudis jam olim ab eruditis hoc nomine reportaverit Autor doctissimus, optime intelligitur ex Elogio, quod ex Cl. Editoris Bibliotheca Sicula Præfationi accessit. Nihil igitur addimus, nisi quod *Pirrus* de Siculorum Ecclesiis hoc Opere præclare meruerit, monumentumque exegerit omni ære perennius.

HISTOIRE CRITIQUE DE L'ETABLISSEMENT de la Monarchie Françoise dans les Gaules, &c.

h. e.

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS de Origine Monarchiæ Francicæ in Galliis; Autore Ven. Abbate DU BOS, uno ex quadraginta, & Secretario perpetuo Academiæ Francicæ.

Tomi III.

Parisiis, apud Osmontum, Huartum seniorem, &c. 1734, 4 maj.
Tom. I Alph. 2 plag. 22, Tom. II Alph. 3 plag. 8,
Tom. III Alph. 3 plag. 4.

Est hoc moris nostri, ut tum ad historiam libri, tum ad ejus summam, & singularia ac paradoxa momenta, attendamus, antequam judicium subjungamus. Ratio, quæ Autorem ad tantum Opus conscribendum adduxit, est partim communis, partim propria. Posterior in eo consistit, ut intelligatur, Francos Monarchiam in Galliis, haud effrenatæ ac ferocissimæ tyrannidis ministerio, sed mitiori pacto, parasse. *Tomus primus* Procemium, partem *notitiæ dignitatum Imperii*, ac alterius *notitiæ*, quæ dicitur *provinciarum & civitatum Galliæ*, duosque Libros, complectitur. In Procemio scopus scriptionis, initia Francorum eorumque regni in Gallia, ac scriptores, quondam de eis commentati, edisseruntur. An legerit Ven. Autor *Joannis Georgii ab Eckhart* Commentarios de Rebus Franciæ Orientalis, subdubitare liceat. Ad primam certe Francorum patriam eruendam animum haud appulit: Francorum tribus nonnullas & in Italiam & in Galliam hostiles fecisse impressiones & excursiones, largitur. Sed, quo minus corpus eorum ipsum, quod in Galliis sedes obtinuit, pro invasoribus ac usurpatoribus venditet habeatve, a se impetrare haud potuit. Persequitur deinde famosam nationum Germanicarum migrationem, A. 407 invalescentem. Cum *Valentinianus III* A. 439 ad Italiam tegendam milites e Galliis revocaret, *Clodion*, tribus Francorum Saliorum Dux, ex tractu Tongrorum ad Cameracum accessit, idque expugnavit A. 443; Franci autem Ripuarii terram, Rheno inferiori ac Mosæ inferiori interjectam, occuparunt. *Aetius* in eo erat, ut *Clodionem* ejicere aggrederetur. At interstrepuit curas ejus *Attila*, Francisque Salicis veniam peperit, quibus terræ occupatæ fuerunt relictæ, ita tamen, ut ulterius sese haud moverent, eosdem cum Romanis amicos hostesque haberent, ac suo viverent jure. *Merovæus* ac *Childericus* imperio egregiam navarunt operam, & posterior fortassis Dux bellicus Imperatoris extitit. *Chlodovæus* anarchiam, Italiæ ab *Odoacro* & Ostrogothis infusam, strenue in suam convertit utilitatem. Hoc erat fundamentum Monarchiæ Francicæ in Galliis. *Fredegarius*, qui *Gregorium Turonensem* in compendium misit, locum quendam *Gregorii* sini-

stre

ſtre intellexit, ac errore gravi *Childericum*, ejusque filium, *Chlodovæum*, delineavit tanquam inimiciſſimos Imperio Romano. *Aimoinus*, Seculi undecimi ſcriptor, *Gregorium*, *Fredegarium*, & Autorem, qui *Geſta Francorum* conſcripſit, ſecutus, ac primum ſiniſtre interpretatus, de primis quinque Regibus, eorumque in Romanum Imperium animo, ſcripſit ea, quæ Autori haud probantur. De *Gregorio*, Epiſcopo Turonenſi, critice diſſerit idem *pag. 22 ſeq.* dignumque memoratu judicat, *Gregorium* de Concilio Aurelianenſi, quod *Chlodovæus* A. 511 convocaſſe perhibetur, & cujus canones vulgo circumferuntur, prorſus tacere. Dolendum eſt, *Gregorium* annos haud addidiſſe, ac *Fredegario* defuiſſe judicium. Acta Sanctorum igitur ſunt in medium proferenda ac conſulenda. Conqueritur deinde Autor ſcriptorum quorundam interitum, Chronica recenſet, & apparatum reliquum hiſtoriæ Francicæ late exſequitur, monens, cantica duo, quibus horæ canonicæ huc usque reſonant, nempe: *Vexilla Regis prodeunt*, & *Pange lingua glorioſi prælium certaminis*, Autore gaudere *Venantio Fortunato*. *Zoſimus* confœderationem Armoricarum gentium meminit ſub *Honorio*. *Adrianus Valeſius*, qui primum Volumen Hiſtoriæ Galliarum Francicarum edidit A. 1646, opinionem receptam ſecutus, Francos pro uſurpatoribus Galliæ habuit, ac ſeſe in eo feſellit. *Fredegarius* aberrandi ita feneſtram primus patefecit, anſamque præbuit. Ut hanc opinionem refelleret, *Librum* ſuum Autor conſcripſit *primum*. *Libro ſecundo* complectitur res geſtas Francorum ab A 407 usque ad annum 456. *Libro tertio* ediſſerit regnum *Childerici* & *Chlodovæi*, a ſacris Chriſtianorum adhuc alieni. *Libro quarto Chlodovæi* ad ſacra Chriſtiana transgreſſi acta exſequitur. *Libro quinto* enarrat facta ab obitu *Chlodovæi* ad annum 536. *Liber ſextus*, ſeu poſtremus, inſervit exponendo Gallorum ſtatui, qualis is exſtitit ſub regno *Chlodovæi*, ac primorum ejus ſucceſſorum. Exordium *Libri primi* ex magna parte eſt inſigne antiquitatum expoſitionibus, quibus fit planum, quomodo jus Romanum Gallis fuerit impertitum, qua ratione incolæ fuerint diviſi, quænam fuerint inter eos linguæ, quinam mores, a Romanis adſciti, quænam religio,

Tom. I pag. 25.

27 ſeq.

30 ſeq.

46.

49.

religio, & quanta Episcoporum autoritas, nec non Judæorum,
Pag. 23 seq. quænam distinctio *curiales* inter & *possessores*, quænam militantium militiæque fuerit indoles. Inseruntur passim res eruditissimæ, quas inscriptio libri haud spondet. Differit enim Ven. Autor de comitiis generalibus *pag. 35 seq.* de ducibus Imperatorum per Galliam bellicis *pag. 43 seq.* de immutatione ordinis militaris, a *Constantino M.* inducti, *pag. 54 seq.* de muniis civilibus & gubernatoribus Galliæ sub *Constantino* eodem, ejusque successoribus, *pag. 61 seq.* de *ripa Saxonica* tum in Britannia magna, tum in Galliis, *pag. 77 seq.* de militibus peregrinis, eisque Romanorum mercenariis, seu foederatis, *pag. 94 seq.* de Lætis, seu Lætianis speciatim, *pag. 102 seq.* per quos barbaros Romanis beneficio militari devinctos intelligit. Ob hunc nexum ipsi fuerunt homines militares proprii, liti, litones, quos Germani *leute* & *lide* vocabant. Autor eos a *lati-*
104. *tia* putat dictos, quod est frivolum. Nec *Lati* constituerunt certam gentem, licet *Carolus du Fresne* ita statuerit. Extiterunt enim Læti Teutoniciani, Suevorum, Batavorum, Francorum, civitatis Lingonum ac Nerviorum. *Terra Lætica* in lege *Honorii*, *Cod. Theod. Lib. XIII tit. 4 leg. 9* asservata, sunt agri, fœderatis illis barbaris in beneficium datæ, ut illi ob eum nexum ex arbitrio Imperatoris Romani signa sequerentur. Differit porro Autor de tributis publicis ac subsidiis pecuniariis, in Gallia per Romanos exactis, *pag. 124 seq.* de Burgundionibus ac Alemannis, Galliæ confinibus, *pag. 161 seq.* de Saxonibus, insulisque Saxonum, id est Nordstrand, Heiligeland, & Buren, *pag. 167 seq.* de Francis porro *pag. 177 seq.* quorum originatio, primæ sedes, ac amplitudo diffusa, Saliorum peculiaris natio, haud evolvuntur. Operæ pretium fuisset, ibi contulisse *Jacobi Caroli Speneri Notitiam Germaniæ antiquæ*, ac *Jo. Georgii ab Eckhart Commentarios de rebus Franciæ orientalis*, nec non de patria legum Saliarum Ven. *Gothofredi Besselii* Chronicon Gottwicense, ejusque *Tom. I Lib. IV.* Differit Ven. Abbas *du Bos* præterea *pag. 208 seq.* de Gothis: tum de Alanis, Hunnis, aliisque populis nationis Scythicæ, *pag. 213 seq.* Hisce exponendis *Liber* inservit primus; reliqui vero *Libri* rebus

rebus Francorum Gallicis magis sunt proprii. *Tomus primus primum* ac *secundum* complectitur: *secundus tertium* ac *quartum*: *tertius* vero *quintum* & *sextum*. Utroque posteriori multa Romanæ historiæ connexæ momenta perpulchre edisseruntur. Ubique nitet ordo: arridet venustas ac perspicuitas stili: ubique regnat pragmatica scribendi indoles, quæ sola Lectorem reddit prudentem & simul eruditum. *Libro secundo* facit planum Autor, *Theodosii* filium natu Tom. II
majorem, *Arcadium*, tutorem fuisse quasi Imperii occidentalis, pag. 9 seq.
ejusque successores confirmasse *Avitum*, *Majorianum*, & ceteros; nec tamen jus illud reciprocum Imperatoribus Occidentalibus fuisse in Orientales. Adversus *Grotium* ostendit, jus 15 seq.
civitatis Romanæ non inhæsisse domicilio, sed sanguini ac paternæ hereditati, quantum ad traductionem attinet in posteros. *Gregorio Turonensi* fert opem, qui, Francos, *Childerico* ad Thuringos fuga elapso, tradidit, *Ægidio*, præfecto militiæ Romanæ, sese dedidisse, ut is ipsis jura diceret. *Petrus Daniel Huetius*, hoc ipsum verisimilitudini omni repugnasse, credidit. Ut igitur probabilem *Gregorii* Noster reddat sen- 55 seq.
tentiam, omnes contendit nervos. Multus est in illustranda 111 seq.
expeditione *Audoacrii*, Saxonum Regis, qui Gallias irrupit, & usque Andegavum fuit progressus. Rem ipsam satis perplexe enarravit *Gregorius Turonensis Lib. II Cap. 18*, in qua obscu- 155 seq.
ritate lumine perfundenda Abbas Ven. multum operæ consumsit. Solennem *Chlodevai* ad suscipiendam lustrationem sa- 301 seq.
cram accessum copiose delineat idem: differit de *Theoderico*, 413 seq.
Ostrogothorum Rege, *Odoacri* victore, *pag. 353 seq.* de *Chlotilde*, *Chlodevai* uxore, *pag. 365 seq. Tolbiacum*, ad quod *Chlodevaus* Alemannos devicit, reputat pro loco, qui nunc vocatur *Zülpich*, & haud procul a Rheno ac Colonia Agrippina abest. 401.
Lex Mundana appellabatur collectio legum, non ecclesiastica- Tom. III
rum, seu canonicarum, si Autori habemus fidem. Operæ pre- pag. 253 seq.
tium quoque fuerit annotasse, scriptum: *L'origine des differens, qui étoient entre les Rois de France & les Rois d'Angleterre*, quod obvium est penes *G. G. Leibnitium Tom. II Codicis Diplomatici pag. 66*, delectationis causa, regnante *Ludo-* 275 seq.

vico XI, literis fuisse consignatum, fideque satis dignum. Complura ejusmodi singularia Venerabilis Vir *Libro sexto* inseruit. Hoc enim repræsentat faciem status Galliarum, qualis is intra Seculum sextum ac tria secuta Secula exstiterit, regalem potestatem *Chlodevæi* ac successorum, ad quam fœminæ haud adspirare potuerint, divisionem populi in plures nationes, Burgundiones, Francos, Allemannos, Visigothos, Bavaros, Teifalos, Saxones, ac Britannos insulares, formam regni sub *Chlodevæo* successoribusque, potestatem Episcoporum *pag. 378 seq.* formam senatus urbium, ejusque regimen, *pag. 437 seq.* bella urbium mutua sub Merovingis, terrarum Salicarum indolem, *pag. 468 seq.* cujus nulla portio hereditatis in mulierem transibat, de reditibus regalibus descriptionem. Haud injuria gratulamur tanto tamque Venerabili Scriptori de monumento æternitate digno, propitiamque eidem porro valetudinem, vimque ingenii limatissimi inoffensam, debite ac reverenter comprecamur.

DISSERTATIO HISTORICA AD VINDIcandam veritatem contra allegata ad concordiam in causa Præcedentiæ, in qua antiqua Ambrosianæ Ecclesiæ disciplina, & Metropolitani Mediolanensis dignitas, illustrantur.

Mediolani, 1733, 4.
Alph. 1 plag. 18.

Autor est hujus Dissertationis Vir doctrinæ varietate inclytissimus, *Josephus Antonius Saxius*, Bibliothecæ Ambrosianæ, quæ Mediolani est, præfectus. Occasionem scripto suppeditavit liber *Nicolai Sormani*, qui est Collegii Ambrosiani Doctor. Eo enim hic D. Præpositum S. *Ambrosii* contra primarium Metropolitanæ Ecclesiæ hujus ordinem, in causa præcedentiæ, tutabatur Notat in *Sormani* libro Noster varia, tum quod ille, Metropolitanum Clerum extra urbem egisse vagum peregrinumque, statuis-

ſtatuiſſet, tum quod, eum commoratum eſſe in Ambroſiana Baſili-
ca usque ad decennalem Mediolani obſidionem, A. 561 a *Lam-
berto*, Teutonico Rege, inſtitutam, retulerit. Utrumque enim
a Noſtro ad fabulas refertur. Scilicet *Sormani* ſcopus in eo
vertebatur, ut, præſediſſe Ambroſianæ Baſilicæ ſemper Diaco-
num Cardinalem, oſtenderet. *Saxius* largitur, *Fortem* oc-
currere, eumque unicum, qui ea fuerit gaviſus dignitate;
Landulſum, S. *Ambroſii* Præpoſitum, & ſimul Clericum ex Or- Pag. 117
dine Majori ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, in hunc numerum ſeq.
ſuſcipere recuſat. *Sormanus* in ea eſt opinione, Præpoſitos
S. *Ambroſii* ſemper de gremio Metropolitani Ordinis proflu-
xiſſe, adeoque pares Canonicis ordinariis etiam in præſens ha-
bendos, quippe quibus, puta Præpoſitis, ſemper adhæſerit di-
gnitas Primicerii majoris Cleri. Ipſe ingentem paginarum 35.
molem intra dierum quindecim anguſtias impleverat, & pom-
pam chartarum veterum contra Monachos produxerat, qui ſi-
mul cum Canonicis conſtituunt Clerum Baſilicæ Ambroſianæ.
Prodiit igitur hæc Diſſertatio Cel. *Saxii*, ut partim integritas
ſacræ Mediolanenſi hiſtoriæ reſtituatur, partim decus Metro-
politani Ordinis immerito læſum vindicetur. Hoc fine inte-
grum *Sormani* Opus Noſter recudendum curavit, omiſſa ta-
men Italica verſione, ***cum innocentes controverſiæ, quæ inter
ſacros Miniſtros agitantur, usque ad inconditum muliercula-
rum judicium deferri non debeant.*** Scriptum Cel. ***Sormani***
conſtat *Capitibus XVIII.* ***Primo*** diſſerit de primæva Cleri Am-
broſiani inſtitutione; ***ſecundo*** de ſede prima Cleri Mediola-
nenſis; ***tertio*** oſtendere cupit, Clerum Cardinalem, vivo ***Am-
broſio***, a Portiana Baſilica ſedem transtuliſſe ad Ambroſianam;
quarto docet, hanc eandem poſt mortem ***Ambroſii*** diu exti-
tiſſe cathedralem; ***quinto*** tradit, qua ratione Clerus Cardinalis
ſedem intra urbem ad *S. Mariæ* transtulerit; ***ſexto*** declarat, 25.
Clerum primarium ſecedentem intra urbem ſuffeciſſe ad cul-
tum Ambroſianæ Diaconum ex ſuo ordine cum XII Decuma- 31.
nis; ***ſeptimo*** tradit, Diaconum Cuſtodem Titularem de Or-
dine Majore ante Seculum VIII ſediſſe in Ambroſiana; ***octa-
vo*** removentur obices ***Puricellii***, ut probetur, Cardinalem il-

lam Diaconiam sublatam haud esse, sed adhuc durare; *nono* & *decimo* confutantur fundamenta Monasterii, Diplomata *Tadonis* & *Agelberti*; *undecimo* Bullæ Pontificum laudantur, e quibus pateat, illum Diaconum Cardinalem quiete tenuisse Basilicam usque ad Seculum undecimum, artesque declarantur, quibus Monachi gradatim adsenderint ad ea, quæ in eadem Basilica obtinent, ante quos jam Diaconus ille Cardinalis, Presbyteri, imo Canonici, ibi exstiterint. *Duodecimo* Capite probatur dominium & antiquior origo Canonicorum ex duplici Concordia sub *Clemente III* A. 1191 & *Urbano VIII*
Pag. 103 seq. A. 1630; *decimo tertio* docet Autor, cur ad hæc scribenda appulerit animum, monetque, adventu Monachorum Diaconum Cardinalem haud fuisse sublatum; *decimo quarto* differit de
113 seq. origine omnium Præpositorum & Canonicorum in Urbe ac Diœcesi; *decimo quinto* ostenditur, *Landulphum primum* Præ-
117. positum S *Ambrosii* adhuc A. 1094 appellari *Ordinarium S. Mediolanensis Ecclesiæ*; *decimo sexto* proferuntur certi quidam essentiæ characteres, ut probetur, subesse titulo Præpositi
121. S. *Ambrosii* idem Sacerdotium Majoris Ordinis, & Canonicos omnes ejusdem Basilicæ esse in Majorem Ordinem adoptatos;
127. *decimo septimo* agitur de dignitate Præpositi S. *Ambrosii*; *de-*
134. *cimo octavo* differitur de Primicerio Majore. Subjunguntur
140. Protestationes Autoris, Catalogus Imperialis Capituli S. *Ambrosii*, porro Diplomata *Sigismundi* & *Leopoldi* Imperatorum
144. pro Imperiali Canonica S. *Ambrosii*. Primam templorum o-
12. riginem e sepulchris fluxisse, Autor tradit, & ædes S. *Ambrosii*
14 seq. extra muros collocat, Basilicamque veterem; at novam intra mœnia concludit S. *Simplicianus* Notarios in Ecclesia Medio-
9. lanensi condidit, Lectores confirmavit. *Honorio* & *Arcadio* Imperatoribus, Italia tota ex XVII Regionibus composita, at
21. in duas duntaxat provincias divisa fuit, quarum unam *Urbicanam*, alteram *Italicam*, appellari placuit. Harum primam, Regiones decem complexam, moderabatur Papa, jure metropolitico; altera, quæ proprio nomine erat Provincia Italiæ, septemque alias Regiones complectebatur, nempe Venetias, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam, Picænum Annonarium, Al-

pes

pes Cottias, & utramque Rhetiam, tota obtemperabat Archiepiscopo Mediolanensi. *Athanasius* hoc sensu in *Ep. ad solit. vir.* Archiepiscopum Mediolanensem vocat *Italiæ Metropolitam*, ut videtur Nostro. *Puricellius* hic habetur pro fautore Monacensium, haud pro genuino Historico. Promittit Cel. Pag. 26.
Sormanus Topographiam Mediolanensem, in qua Diplomatum copia sit exstitura. Opus id ipsum ut mox prodeat, enixe omnino optamus. Annis 740, 776, 781, sederunt in Ambrosiana *titulares custodes Diaconi*, uti ex *Puricellio* ostenditur, eosque fuisse de *Ordine majori & Cardinali*, ex Tabula donationis ad A. 790 indicatur. Quo anno *Puricellius* Diaconiam illam Cardinalem desiisse putat, Nostro admodum indignante. Hinc enarrantur jurgia Canonicorum cum Monachis, & Diplomatibus productis illustrantur. Fatetur quoque *Sormanus*, vitam canonicam initio regulæ fuisse adstrictam, & Canonicos in communi contubernio certis regulis vixisse una simul, more Fratrum, sub Prælati regimine. Seculo decimo Clerus per Italiam & Galliam uxores duxit, & undecimo pugnavit vi ferroque contra interdicentes. Cel. *Saxium* & *Sormanum* esse Canonicos Basilicæ Ambrosianæ honorarios, ibique Bibliothecæ præesse, ni aliunde nossemus, docemur *pag.* 142. Si nobis haud licet esse arbitris inter Viros, muniis & loco tam vicinos conjunctosque, id tamen indulgebunt Lectores, ut ex Dissertatione historica inclytissimi *Saxii* nonnulla quoque proferamus. Inprimis ille autoritatem *Landulfi* una cum Cel. *Muratorio* fere pro nulla habet; *Sormanum* fallere, tradit, qui ex *Procopii Lib. I Cap. 1 de bello Gothico* comprobaturus fuerit, *Datium*, Mediolani Præsulem, Seculo sexto multa literis edidisse, cum *Procopius* toto suo opere de *Datii* scriptis nullam mentionem fecerit: munus *Notarii* Mediolani viguisse, antequam S. *Simplicianus* Episcopalem ibi sedem inierit; *Notarium & Acoluthum* satis differre, contra *Sormanum* monet; mitram Pontificalem, qualis est hodie, vix viguisse ante annum 1000 in Ecclesia, tradit; Chorepiscopos jam ante natales *Ambrosii* exstitisse, uti ex canonibus Conciliorum pateat; ad IV usque Seculum omnes ecclesias fuisse æ-

[Marginal page references: 30. 31. 33. 36. 113 seq. 114. 9. 10. 14. 17. 20.]

 quales,

Pag. 22. quales, nullas exstitisse antea majores vel cathedrales; Basilicam Mediolanensem & veterem & novam intra urbem fuisse:
29. S. *Augustinum* intra urbem sacro latice imbutum; Canonico-
31 seq. Monachismum a *Sormano* fingi; *Ambrosii* domum in urbe
35. fuisse; Præpositum S. *Ambrosii* nondum esse in Metropolitanum
117. Capitulum, licet id merito fieri possit, adoptatum; corona-
118. tiones in templo Ambrosiano Seculis demum seris ab Imperatoribus fuisse susceptas. Omittimus reliqua, memoratu dignissima, id facile odorati, diligentiam & perspicaciam ex scripto Cel. *Saxii* undique elucere, nec Lectorem moræ, scripto impensæ, poeniturum. Nolumus vero nobis arrogare disceptationem inter viros dissentientes longe celeberrimos. Nam *non opis est nostra, tantas componere lites.*

JACOBI VOORDA, JCTI, ET ANTECESsoris Trajectini, Interpretationes & Emendationes Juris Romani; quibus accedit ejusdem Oratio pro Decretalibus Pontificum Romanorum Epistolis.

Trajecti ad Rhenum, apud Jo. Brœdelet, 1735, 8.
Plag. 17.

Non heri demum aut nudius tertius innotuit in literaria civitate clarissimum *Jacobi Voorda* nomen, sed jam olim præclaro *ad Falcidiam legem Commentario* locum inter summa, quibus Belgium superbit, ingenia sibi vindicavit. Dedit hic nuper JCtus assiduæ lectionis fructum, varias novasque Juris Romani interpretationes pariter & emendationes. Dignum est omnino volumen, quod a nobis paulo consideretur accuratius. *Cap. I* examinat, *quando lex cesset propterea, quod cessat ipsius ratio. Cap. II expunctio* τῶ his *rectam probamque esse* tradit *lectionem Florentinam in l. 17 §. 1 π.* de adoption. *Cap. III nihil novandum esse in l. 15 §. 3 π.* ex quibus caussis majores, probat. *Cap. IV, unde* sui hæredes *dicti*, inquirit. *Cap. V ad l. 3 §. ult. π.* si mensor. fals. mod. dix. com-

commentatur. *Cap. VI l. 42 π.* de condict. indeb. & *an cesset hæc conditio in* pœnis solutis? explicat. *Cap. VII Casus, quibus idem individuum duobus* suus *existit* hæres, proponit. *Cap. VIII l. 1. §. 14 π. de cloacis* levi scripturæ vitio liberat. *Cap. IX* nonnulla de *optionis legato*, cum ex antiquo, tum ex novo Jure affert. *Cap. X quæstioni, quamobrem* in factum actio adversus mensores agrorum *a Prætore constituta sit* perpetua? respondet. *Cap. XI* nova ratione *τὸ suus* pro *suo hærede* explicat *l. ult. C.* de curat. furios. & prodig. *Cap. XII emendationes in l. 17 §. 18 π.* de ædilit. edicto repudiat. *Cap. XIII* concordiam inter *l. 37 π.* de judiciis *l. 5 §. 1 π.* ad leg. Juliam de vi publ. & *l. 1 C.* de appellat. tentat. *Cap. XIV* quasi agnationis *species quatuor* constituit. *Cap. XV, ei, cui argentum factum relictum est*, supellectilem *non deberi, quamvis nemini legatam*, ostendit. *Cap. XVI l. 16 seq. π.* de const. pecun. illustrat. *Cap. XVII* lectionem *l. 1. π.* ad leg. Jul. repetund. defendit, & *l.* 7. *§. 1* eod. leviter emendat. *Cap. XVIII §. 4 J. & l. 16 π.* de injuriis, rejectis aliorum opinionibus, in concordiam reducit. *Cap. XIX verba finalia l. 67 π.* de solut. explicat, non reformat. *Cap. XX* priores duas emendationes, quibus *l. 95 §. 3 π.* de solut. subvenit, curatius defendit, rejecta tertia, cui novam substituit. *Cap. XXI ex Novella Justiniani ad fidejussores omnes ipso jure* extendit responsum Modestini in *l. 41 pr. π.* de fidejuss. *Cap. XXII, an nepos, exhæredato filio hæres scriptus*, suus hæres *existat avo, si uterque in potestate morientis fuit*, interrogat. *Cap. XXIII* capita Edicti quædam emendat. *Cap. XXIV l. 53 π. de R. J.* illustrat. *Cap. XXV* evincit, *legata hæredi uni etiam aliter quam per præceptionem relicta peti posse* actione familiæ herciscundæ: *&* præceptiones *aliis quoque actionibus recte peti jure tam veteri, quam novo. Cap. XXVI, in hæreditate fideicommissaria num quid intersit*, legatum *hæredi ex parte scripto & hæreditatem restituere rogato sit datum*, an prælegatum? indagat. *Cap. XXVII, idem jus in* prælegatis *&* legatis, *si hæres ex parte scriptus, cui ea data sunt, repudiet hæreditatem, obtinere*, demonstrat. *Cap. XXVIII etiam in prælegatis*

gatis regulæ: nemo a se potest capere, locum vindicat. *Cap. XXIX* duorum locorum sententiam, immutatis verborum interpunctionibus, restituit. *Cap. XXX l. 86 π.* ad legem Falcid. exponit. *Cap. XXXI* ex *l. 110 §. 1 π. de R. J. actionem rei judicatæ nonnunquam quoque dari in procuratorem*, concludit. *Cap. XXXII rariores* participiorum *quorundam notiones, indeque emendationem* e. g. *pr. π.* de pœnis & *pr. I.* de emt. vendit. eruit. *Cap. XXXIII, cur propositum primum nec omissum a Juliano sit Edictum* de alienatione judicii mutandi causa facta, disputat, ejusque usum in Jure novissimo tradit. *Cap. XXXVI pugnantes invicem l. 6 pr. & l. 8 π.* condun. prædior. sistit. *Cap. XXXV* de variantibus quibusdam lectionibus fert judicium, ita, ut autoritatem πανδέκτης Florentinæ limitet, & vulgatam in *l. f. §. pen. π.* quod legat. *l. 14 pr. π.* de interrog. in jure fac. *l. 8 π.* de condit. inst. *l. 71 pr. π.* de legatis I anteponat lectionem. *Cap. XXXVI, non temere multiplicanda loca, quibus JCti exponunt tantum, non probant, sententias aliorum*, suadet, nec in hunc censum referri vult *l. 5 §. 3 π.* de rei vind. *Cap. XXXVII usum, quem Jure novissimo fert l. 8 pr. π.* de in offic. test. considerat. *Cap. XXXVIII emendationem* in *l. 2 π.* qui potior. in pign. reprehendit. *Cap. XXXIX l. ult. C.* de novation. illuminat. *Cap. XL* de *lectione l. 11 π.* de div. tempor. præscript. disceptat. *Cap. XLI, quid juris sit, cum quis filium exhæredaverit adjectis formulis;* si quis mihi hæres erit; si hæres hæreditatem adierit; quisquisquis erit hæres &c. ex antiquitate repetit. *Cap. XLII frequentem Interpretum senatum* ad *l. 33 π.* de O & A in scenam producit. *Cap. XLII l. 86 π.* de acqu. vel. omitt. hæred. explicat & emendat. *Cap. XLIV* ad *l. 1 C.* de restitution milit. commentatur. *Cap. XLV lectionem l. 3 & 4 π.* de regula Caton. propugnat, &, *quid Catoniana ab illa distet, quam l. 29 π.* de R. I. *exhibet, regula*, ostendit. Satis dictum videtur, ut appareat, tales inesse huic libello tantique ponderis observationes, quæ a cultore humanioris Jurisprudentiæ nequeunt sine dedecore ignorari. Sed age, eligamus aliquot capita, ex quibus speciminis ostendamus loco, quam solide ubivis suas Cl.

Autor

Autor corroboret sententias. Neque illa diu nobis erunt in
quaestione. *Caput* statim *primum*, quid de reliquis judicari
debeat, ostendit, in quo quidem de eo sollicitus est Cl. *Voorda*, *an & quando cesset lex cessante ipsius ratione?* Omnem
octo regulis, vel, si mavis, annotationibus, absolvit tractationem : 1) Si plures sunt legis causae, lex non cessat, quamdiu Pag. 1.
vel unica superest illarum; 2) Sin unica causa, ea cum tempore 2.
vel statu reipublicae mutata, lex vigorem amittit suum;
3) Si unica illa ratio certis tantum casibus cesset, saepe res incidit in scripti voluntatisque quaestionem; 4) In interpretandis legibus mens sola ferentis examinatur, non captantur verba; 5) Si cesset ratio, videndum, an simul sententia legis & 6. 7.
constituentium voluntas cesset, quo quidem casu lex omnem
vim, effectum, & potestatem, amittit; 6) Judicium praesertim
ex ipsis legum verbis est faciendum, quibus si casus dubius nominatim & aperte comprehendatur, ulteriori voluntatis quaestioni nihil loci relictum est, & standum legis duriori licet sententia; 7) Si lex generatim scripta neque nominatim complectatur 8.
neque excipiat casum dubium, ex eo res pendet, num habeat locum in proposito, quod ferentes hac lege scribenda tentaverunt; 8) Quodsi illud deprehendatur, nec voluntas, nec
sententia legis cessat, quamvis ratio locum non inveniat. *Cap.*
IV, qui *sui haeredes* sint, examinat, & cum ipso Imperatore sacratissimo 13.
interpretatur *domesticos*, hac voce indigitari existimans, 14. 15.
quicquid in patria potestate dominiove Quiritario est
constitutum, *v. §. 9 I. de testam. ordin.* & *l. 6. pr. π. quod*
cujusq. univ. nomen. *Cap. XXII*, ad conceptum sui haeredis 83 – 86.
gradum pertinere proximum, affirmat, indeque nepotem, patre
exhaeredato superstite, *suum haeredem* esse non posse, contra
Goveanum, *Cujacium*, *Fabrum*, & *Averranium*, contrariae addictos sententiae, evincit. Juris peritiam civilis potissimum
Cap. XXV – XXX luculenter prodit, variasque ad intricatum 91 seq.
de *legatis* caput spectantes quaestiones tanta enodat ἀκριβείᾳ, ut
ipsum *Labeonem Trebatium*ve de jure respondentes audire credas. Observationibus non inelegantem junxit *pro Decretalibus*
Pontificum Epistolis Orationem, qua leges illas summo laudat

opere, quippe 1) ad præsentem tunc rerum statum accommodatissimas, 2) saluti civium, id est, clericorum, inservientes, & 3) fini, quem intendebat legislator, respondentes ex asse. Quo animo cuncta scripserit Cl. Autor, statim apparet legentibus, ignorantibus vero adjectum Doctiss. *Hermkhuysenii* ostendit Carmen.

ORIBASII ANATOMICA, EX LIBRIS Galeni, cum Versione Latina JOANNIS BAPTISTÆ RASARII, curante GUILIELMO DUNDASS, cujus Notæ accedunt.

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arn. Langerack, 1735, 4. Alph. 1 plag. 16.

Quamvis, *Oribasium* omnia ad verbum fere ex *Galeno* descripsisse, constet; tamen, quoniam non pauca nunc in eodem extant, quæ in libris *Galeni* desiderantur, multa etiam congesta, & sub propria capita redacta & disposita repeκiuntur, quæ non sine lectione plurima apud *Galenum*, ejusque Commentatores, quispiam collegerit, denique is & pure Anatomica tradidit, prætermissis omnibus cum Sophistarum & sectatorum turba rixis & altercationibus, quibus *Galenus* sæpe nimium quantum insistit, nova editione is non indignus videtur. Quam cum curaturus esset Cl. *Dundass*, textum diligentissime cum *Galeno* contulit, unde plures annotationes textui & versioni subjectæ prodierunt. Idem etiam Autorem suum *Galenum*que cum libro MSto de ossibus ad tirones, X vel XI Seculi, Romæ abs se comparato, contendit, cui labori variæ non minus annotationes debentur. De musculis nihil dicere decreverat, quoniam Tractatum de musculis in editione *Charterii* ex *Oribasio* desumtum esse norat. Sed tot mendis erroribusque plenum eum deprehendit, ut operæ pretium putarit, denuo adire *Galenum*, emendationes ejus autoritate confirmaturus, lacunasque, si fieri posset, suppleturus. Quo factum est, ut Græcum textum quamplurimis in locis repurgarit,

garit, vel saltem posse emendari declararit, quoniam non omnia ipse correxit. In versione *Rasarii* nihil mutavit, quanquam in ea non pauca sunt, quæ rectius verti possent. Quia enim non certum est, vitione ingenii, an exemplaris Græci, quo usus est *Rasarius* beneficio *Nicolai Sammichelii*, Novocomensis, in adornanda versione erraverit, ab emendatione abstinere satius putavit, præsertim quoniam in ipso codice *Sammichelii* rectius potuerunt esse scripta, quam in illo, cujus fidem secutus est *Morelius*. Quamvis & hoc incertum esse possit, librumne *Sammichelii* inspexerit *Morelius*, nec ne? Sane in versione *Rasarii* plura sunt, quæ lectionem ex *Galeno* ab Editore allatam confirmant, &, si a *Rasario* non fuerunt ex ingenii penu depromta, fidem libri *Sammichelani* saltem in iis commendant. Quare, ubi versio *Rasarii* a Græcis *Morelianis* discedit, eam diversitatem pro lectionis Græcæ diversitate aliquando habere licet, & inde conclusiunculas, quæ textum sanent, expromere. Annotationes criticam textus *Oribasii* non minus, quam *Galeni*, aliorumque Scriptorum, præcipue Medicorum, emendationem respiciunt; quem in finem quoque ad calcem Operis observationes quædam extemporales Cel. *Duckeri* extant, ad emendationem aliquot locorum comparatæ. Ut Lectoribus nostris de ratione Annotationum Cl. *Dundasi* eo rectius constet, par earum sine ulla mutatione speciminis loco afferemus. Ita vero ille *pag. 50* ad verba *καὶ τοῖς ἀνατετραμμένοις*: Rasarius *videtur legisse ἀνατεθραμμένοις. Vertit enim:* & in iis, qui educantur. *Quod fateor me omnino non intelligere. Si nostram retinemus, verti debet*: & in iis, qui evertuntur, *aut* prosternuntur. *Sed æque ignoro, quomodo hoc facere potest ad motum cerebri cernendum. An ἀνατιτραμένοις? Vox artis Chirurgicæ notissima Utitur ea* Galenus *p. ult. laudat. & VII 457, &* Paulus Ægineta *edit. Basil. pag. 2u meminit ἀνατρήσεως & ἀνατρηθησόμενον, ubi agitur de perforatione in capitis vulneribus. Superest, dum occasio fert, ut locum* Galeni *in eodem Tractatu de Instrumento odoratus p. ult citat. apponam, quem parum intellexit* Charterius, *ut apparet ex versione ejus. Verba* Galeni *hæc sunt: ὅπου οὖσα-*

θαι χρή, καὶ μάλιςθ' ὅταν ὕπτιοι τύχωμεν, ὅλης νυκτὸς κατακείμενοι· φθάσει γὰρ ἀποπληξία τις, ἢ κάρος, ἢ ἐπιληψία, συνιςᾶσα των κοιλιῶν αὐτῦ πληρωθεισῶν. Id igitur credendum non eſt, præſertim cum ſupini tota nocte cubamus. Impediret enim, ne apoplexia, aut carus, aut morbus comitialis oppletis cerebri ventriculis, fierent. *Ita Charterius vertit, cum verti debeat ſine dubio hunc in modum*: Id igitur credendum non eſt, maxime etiam, cum cubuerimus ſupini tota nocte. Nam eo citius excitaretur, *vel* induceretur, apoplexia quædam, aut carus, aut epilepſia, oppletis cerebri ventriculis. Ad verba *pag. 114* πύλας ἥπατος: Riolanus *Anthropograph. II, 21, ſic loquitur:* Scribit *Ruffus* Epheſius, ex aruſpicina obſervari in hepate, πύλας, καὶ τράπεζαν, καὶ μάχαιραν, καὶ ὄνυχα, quæ in homine obſcura ſunt & incerta, ac nullius in Medicina uſus, *I, 28.* Quid ſit ὄνυξ, vix intelligitur. Sed, mendum ſubeſſe, deprehendi ex *Theophilo Protoſpatario II, 2.* Scribit, virum quendam ex eruditis Medicis iſtis lobis nomina hæc impoſuiſſe, τράπεζαν, ἑςίαν, μάχαιραν, καὶ ὀνίοχον, menſam, focum, cultrum, & aurigam. Ergo pro voce ὄνυξ apud *Ruffum* reponendum ὀνίοχος. *Notandum primo, legendum non ὀνίοχον, ſed ἡνίοχον, ut in edit. Morel. & Fabric. in Bibl. Græc. Deinde non temere mutandam eſſe vocem ὄνυχα apud* Ruffum *in ἡνίοχον propter autoritatem Scholiaſt. in Nicandr. Theriac. pag. 27, cujus hæc ſunt verba*: Τράπεζα καὶ πύλη, μέρη τινὰ εἰσιν ἐξημμένα τῦ ὕπατος, ὥσπερ καὶ ὄνυξ, καὶ μάχαιρα, καὶ κάνεον. *Locum hunc adducit* Stephanus *in Theſauro Ling. Græc. v.* ὄνυξ, *ubi recte exhibetur* ἥπατος, *non* ὕπατος, *ut in edit. Morel. Pariſ. 1557, quam hic ſecutus ſum. Huc pertinere videtur locus* Artemidori *Oneirocrit. I, 46:* ἧπαρ δὲ τέκνον, καὶ υἱὸν, καὶ φροντίδας. Hepar vero filium, & victum, & curas, *vertente* Cornario. *Crediderim*, Cornarium *legiſſe* βίον, *non* υἱὸν. *De hac tamen diverſitate ſilet* Rigaltius. *Vid.* Sam. Petiti *Miſc. VII, 1, ubi* Alcæi *locum tentat emendare apud* Athen. *Deipnoſophiſt. Locus ita habet*: ἐκ δὲ ποτηρίων πώνης διννομένην παρίσδον. *Aliam conjecturam facit* Caſaubonus, *quem vide. Judicent peritiores, utra ſit melior. Sufficit nobis,*

bis, quod ὄνυξ interdum poculum quoddam significet, & ad mensam satis commode referri possit.

FRIDERICI HOFFMANNI MEDICINÆ Rationalis Systematicæ Tomi quarti Pars tertia, doctrinam spasmodicorum & convulsivorum morborum perspicua & demonstrativa methodo tradens.

Halæ Magdeburgicæ, in officina Rengeriana, 1734, 4.
Alph. 3 plag. 16.

Magnas omnino immortalesque Illustri Autori debemus gratias, quod, cum ea, qua nunc est, ætate satis provecta & gravi, compluribus aliis negotiis haud parum distrahatur, nihilo tamen secius de posteris & universa Medicorum familia bene meriturus, tempus a reliquis curis vacuum in elaborando & magis magisque ad umbilicum deducendo præstantissimo Medicinæ Systematicæ Opere pro sua virili collocet, atque novo nunc rursus *Tomo* non minimam morborum, eorundemque & explicatu & curatu perquam difficilium, particulam explanet. Qua quidem re quemadmodum artem medicam a variis erroribus, atque vocibus etiam, quæ nihil prorsus significant, & nec intelligi, nec explicari aliis, queunt, repurgare, sanitatisque & morborum cognitioni majus lumen accendere, & planam ad tutas, faciles, & efficaces, medicationes viam aperire, &, ut paucis rem complectamur, Medicinam magis certam, claram, & fructuosam, reddere contendit; ita id jure suo consecutus est, ut, quod de *Virginio Rufo Plinius* prædicat, gloriæ suæ supervixisse, ac posteritati vivus interesse, videatur. Id certum nobis est exploratumque, hunc ipsum tertium *Partis quartæ Tomum* reliquis esse nec doctrinæ gravitate, nec remediorum præstantia, nec ulla laude, quæ istos tam commendabiles per universam fere Europam reddidit, secundum. Sistit ille *duabus Sectionibus* morbos atroces convulsivos, qui vel universum corpus occupant, vel certas

 tantum

tantum partes infeſtant. Principatum ex iis tenet Epilepſia. Quando enim contingit, ut ſanguis craſſus vel etiam copioſus intra duræ matris ſinus conſiſtat, motus illius ſyſtalticus, & ab eo pendens regreſſus ad cor, facile impediri ſolet, & hinc major, quam par eſt, ſanguinis per arterias advecti copia ibidem congeritur, ut tunc non amplius ſubtiliſſimæ æthereæ particulæ, ſed rudiores aqueæ & aereo-elaſticæ magis expanſivæ indolis, quæ ſenſus & motus omnino turbant, in cerebri ac nervorum tubulos deriventur. Ab hoc autem ſanguine in ſinubus duræ matris & venis jugularibus ſubſiſtente, vaſa nimium dilatantur; hinc nervoſæ fibræ comprimuntur, indeque ſtrictura ſpaſtica in nervoſa hac membrana generatur, quæ proxima & princeps mali epileptici cauſa a Noſtro habetur. Quoniam enim ita tenuiſſima piæ matris arterioſa vaſcula & corticalis cerebri ſubſtantia nimis comprimuntur, inde fit, ut præter voluntatis imperium fluidum illud ſubtiliſſimum nerveum copioſius & majori impetu in cerebrum & nervorum tubulos influat. At vero dura mater omnium Anatomicorum conſenſu reliquarum membranarum radix & principium eſt, & arctum propterea cum ipſis alit conſenſum. Ac proinde mutuo inordinatæ illæ commotiones communicantur. Quoniam vero auctiori duræ matris ſpaſmo nervi potiſſimum, qui ad ſenſoria feruntur, fortiter conſtringuntur, ut omnis fere liquidi tenuiſſimi influxus intercipiatur, in completa & perfecta epilepſia omnes, tam interni, quam externi, ſenſus ceſſant. Contra vero ad organa motoria major atque vehementior fluidi hujus mobiliſſimi fit impulſus & influxus; & hinc terribilis illa artuum & muſculorum diſtenſio, contractio, ſucculſio, & agitatio, eſt deducenda. Præterea vero conſtat, par nervorum octavum, quod & vagum dicunt, ex cerebro ad præcipua interna viſcera, partesque nerveas, ad motum & ſenſum præſtandum aptas, ramos ſuos diſpergere; in quos dum fluidum nerveum majori niſu & vehementiori impetu influit, partes quoque iſtæ ſub paroxyſmo in motuum præternaturalium & violentorum conſenſum rapiuntur. Hinc cor palpitat, arteriæ celeri & inæquali micant motu, reſpiratio fit ſuſpirioſa cum ſi-

bilo,

bilo, salivæ fluunt ex ore, vox perit, murmuraque & borborygmi in abdomine sentiuntur. Ad malum hoc itaque sanandum opus est, ut causæ remotiores emendentur atque corpore proscribantur, simulque vehementior duræ matris & partium nervosarum spasmus mitigetur, cum per sedativa, quæ motus effrenes & impetuosos componunt, tum roborantia, quæ ad imbecillitatem & atoniam ab atrocia spasmorum relictam, unde novo paroxysmo ansa subministratur, tollendam valent. Inter externa remedia ad compescendos motus effrenes comparata refert inprimis linimentum quoddam, longo usu comprobatum. Facilis nunc & explicita erit motuum convulsivorum ratio, Cap. III. quæ in simili valida & violenta strictura membranarum, quæ spinalem medullam ambiunt, & inde productarum partium, consistit. Quas percuraturus, causas materiales, quæ malum sustinent, corrigat, ad exitum præparet, & tandem e corpore eliminet, violentas & irregulares partium nervosarum motiones mulceat, & denique, ne more suo recrudescant, genus nervosum roboret. Motuum vero spasmodicorum vagorum causa refertur ad stricturam spasmodicam earum potissimum membranarum, quæ juncturas & articulos nostri corporis investiunt; ex quibus vero lege consensus ad universum nervorum genus, hinc etiam membranas cerebri atque medullæ spinalis nerveas, sæpissime propagatur. Hinc & eadem fere hic agit Medicus, ut scilicet materiam subtilem venenatam, quæ tantos in systemate partium nervosarum ac membranacearum excitat tumultus, emendet, & evacuet, impetuosas partium harum motiones sedet, causas & sordes crassiores, quæ malum sustentant, perennemque fomitem subministrant, tollat, partium denique infirmarum robur, ne morbus redeat, renovet. Qua occasione Autor itidem linimentum quoddam collaudat. Gravis & rari morbi cataleptici causa collocatur in liquidi te- IV. nuissimi influxu in nervos, motibus voluntariis sensibusque destinatos, ob fibrillarum nervearum in sensorio communi, medulla scilicet oblongata, spasmodicam constructionem intercepto; cum e contrario in nervos actibus vitalibus & automaticis dicatos is ipse naturalis, quin imo ex parte impetuosior, existat,

ſtat. Unde omnis medendi ratio & ad ſpaſmodicas fibrillarum nervearum ſtricturas laxandas, & cauſas materiales ſive
Cap. V. mediatas prudenter removendas, redit. Malum hyſtericum in hanc morborum familiam quoque adſcribitur, cujus primam originem utique ab utero, ejusque membranoſa & vaſculoſa ſubſtantia, & vaſis eo pertinentibus, inprimis ſpermaticis petendam eſſe putat. Quarum partium ſpaſmodicæ conſtrictiones poſtea nervos vicinos oſſis ſacri & lumborum petunt, & ob conſenſum totius medullæ ſpinalis a partibus inferioribus ad ſuperiores ſenſim ſe propagando nerveas membranas paulatim pervadunt. In ipſo proinde paroxyſmo mali ferocia internis externisque placetur, ubi inprimis pilulæ antiſpasmodicæ quædam ab Autore prædicantur. Extra paroxyſmum primæ viæ expurgentur, ſerum vitioſum liberrima perſpiratione educatur, ſpaſmique & convulſivi motus ſepiantur, menſtruus fluxus in ordinem redigatur. Ad extremum incomparabilem conjugii virtutem ad expugnandum hoc malum Autor
VI. extollit. Idemque recte contendit, malum hoc longe diverſum eſſe a malo hypochondriaco, cujus cauſa repetitur a motus periſtaltici ventriculi & inteſtinorum præternaturali conſtitutione, & tali quidem, ut is partim & in uno loco dejectus atque deſtructus, partim atque alio in loco intenſior, & paſſim inverſus, id eſt, ab inferioribus ad ſuperiora tendens, exiſtat, adeoque reſolutio, & diſtenſio ſpaſtica ſimul, ſed diverſis in locis, adſint. Id propterea agendum, eſt, ut amurca flatulenta non minus, quam ſordes cujuscunque generis, emendentur, & per alvum exturbentur, ſpaſmis conſopitis inverſus ventriculi & inteſtinorum motus periſtalticus in naturalem redigatur ordinem, isque languidus corroboretur, ut, cibis recte digeſtis, chylus reliquique humores generentur boni & ſpirituoſi, ſtagnantes ſucci diſcutiantur, circulus ſanguinis, uti per abdomen, ita etiam per univerſum corpus, æqualis reſtituatur, ſuccique, auctis per urinam & cutem excretionibus, ab omni acrimonia repurgentur, denique toti partium nervoſarum ſyſtemati no-
Sect. II vum robur concilietur. Inter ſpaſmos & convulſiones parti-
Cap. I. culares, de quibus in *altera Sectione* agitur, primum tenet locum

cum cordis palpitatio. Ad eam perficiendam ſemper requiritur ex mente Autoris, ut 1) cordis ventriculo dextro inſenſum quid, quodcunque fuerit, inhæreſcat, 2) major & impetuoſior fiat fluidi nervei ad nervos cardiacos influxus, & 3) propterea naturali major ac ſumme violenta muſculi cordis ſubſultatio atque contractio inſequatur, quæ ſæpius atque celerrime continuata non prius ceſſat, quam expulſum fuerit & remotum impedimentum, 4) ut tam violenta agitatione cor e ſede ſua, quoniam liberum eſt, pendulumque, dimoveatur, ac 5) non raro ad ſiniſtrum maxime latus protrudatur, quoniam a dextro latere ad ſiniſtrum fit impulſus, ut 6) denique humorum per arteriarum vaſa irregularis ſit progreſſus, quin interdum plane per aliquot minuta ceſſet. In curatione eo reſpiciendum eſt, ut nimia commotio partium fibroſarum & nervearum cordis & vaſorum apte ſopiatur, ad ſanguinis ſtaſin circa cor & pulmones avertendam, ejus affluxus revocetur, circulusque reddatur liberior, cauſæ demum, quæ malum ſuſtinent, extra paroxyſmum tollantur. Varia eſſe ſolent aſthmatis genera, ex quibus ſanguineum generatur, quando ſanguinis & humorum maſſa majori copia & impetu ad cordis dextrum ventriculum irruit, majori quoque copia ad ramos vaſorum pulmonalium congeritur, qua vis aeris inſpirati elaſtica ob ſanguinem nimium reſiſtentem minuitur, atque ideo ſanguis, qui non ſatis vegete propellitur per venam pulmonalem, in hujus ramulis conſiſtit, atque novus ille, quem cordis perpetuus pulſus affert, vaſorum ramos diſtendit, dilatatque. Unde ſpirandi difficultas, ſumma anxietas, cordis tremor ac palpitatio, cum pulſu inæquali, parvo, celeri & frequenti, ſuam habent originem. Aſthma ſpaſmodico-flatulentum oritur, quando, ventriculo flatibus expanſo, diaphragma proxime incumbens male ſe habet, ejusque liberior motus impeditur, atque hinc etiam pulmonum naturalis expanſio coercetur. Præterea fit ſæpius, ut ſpaſmo conſtringatur ſeptum illud nervoſum, atque hinc oeſophagus, qui illud perforat, coarctetur, ut nullus erupturis vaporibus pateat exitus. Aſthma convulſivum fit a ſpaſmodica tunicæ nervoſæ ſepti transverſi, mem-

Cap. II.

membranacearum in musculis intercostalibus partium, maximeque membranarum, quæ cellulas pulmonales investiunt, constrictione. Cujuscunque autem fuerit generis asthma, in eo curationis cardo verti videtur, ut spasmodicæ pectoris atque partium ad respirationem necessariarum stricturæ sopiantur, humores ad externum corporis habitum, partesque inferiores, deriventur, & eorum circuitus æquabilis restituatur, causæque remotiores depellantur.

Cap. III. Tussis rhevmatica & convulsiva debetur vellicationi, indeque excitatæ affectioni spasmodico-convulsivæ ductuum bronchialium, sub qua ii ab infima ad superiorem partem vehementius constricti contentum aerem cum impetu & celeritate sursum agunt, simul peregrini quidpiam expulsuri. Qua ex causa materia vitiosa corrigatur, ut ad excretionem idonea evadat, atque expectoratio, si opus fuerit, promoveatur; affluxus seri a præcordiis avertatur, & ad alia magis congrua excretoria organa derivetur, motus, si fuerint effrenes, componantur, imbecilliumque partium robur instauretur.

IV. In singultu septum transversum constringitur, & vi consensus motus quoque connexarum partium inde consequuntur. Omnia autem ea vehementer & velocissime contingunt. Concusso itaque velocissime septo, concutitur quoque gula & stomachus citissime; hinc aeris perpetim a nobis deglutiti portio intra gulam comprehensa, magno impetu sursum per integrum propellitur œsophagum, & tandem in palato fornicato singultuosum illum edit clangorem. Omnis rursus Medici in curando malo cura est, ut motus præternaturales spasmodico-convulsivi mitigentur, causæ materiales removeantur, & partes affectæ atque debilitatæ roborentur.

V. Spasmi pharyngis referuntur ad hujus musculos; inferioris autem gulæ spasmi ad tunicam, qua investitur, musculosam, ejusque fibras orbiculares æque ac longitudinales, violentius constrictas, & cum sui mitigationem, tum causarum remotionem, itidem postulant.

VI. Vomitus consistit in ventriculi motu convulsivo. Scilicet, quando pylorus cum annexo duodeno, pariter atque anterior & inferior ventriculi portio portio, contractis violenter fibris longitudinalibus & circularibus

r ad

ad ſuperius orificium, contrahuntur, contenta ipſius ad hoc applicantur, &, continuato a tergo ſpaſmi impetu, in œſophagum per vim propelluntur, &, motu illo perverſo per totam gulam propagato, ad os feruntur & eructantur. Hinc denuo opus eſt, ut motus ille ventriculi convulſivus placetur, & cauſæ materiales ſuperentur. In dyſenteria motus periſtalticus, ad ſummum convulſionis gradum, ob humorem quendam acerrimum cauſticum, qui tunicas inteſtinorum ſine intermiſſione vellicat, & irritat, augetur & exacerbatur. Quamobrem materia illa contemperetur, & per emunctoria idonea evacuetur; truculenta inteſtinorum tormina & feroces ſpaſmi leniantur; ipſi demum inteſtinorum ſubſtantiæ vel exulceratæ vel debilitatæ ſuccurratur. Cholera & diarrhœa clioſa motibus convulſivis ventriculi & inteſtinorum, ob cauſticam materiam, quæ nerveas tunicas irritat, excitatis abſolvuntur. Unde & eadem medendi via eſt, ut materia illa acris contemperetur, emendetur, &, ſi opus fuerit, arte proſcribatur, effrænes motus placentur, deſtructum nervoſarum partium robur reparetur. Abortus convulſione uteri peragitur, cujus cauſam perpetuam præternaturalis placentæ avulſio conſtituit. Avulſis enim ſecundinis non aliter fieri poteſt, quin vaſa uterina cruore turgida diſtentaque copioſo, hunc per hiantes ductus & patula orificia in matricis effundant cavitatem, qui, cadavere latera alvi muliebris premente, variisque moleſtiis vexante, carneas ad motus ſpaſmodico-convulſivos irritant fibras, aut eos jam præſentes adaugent, quibus conſtrictus & ab omni latere preſſus uterus, aperto interno orificio expellit primo contentum cruorem, & fluidum, & ſtagnando in grumos concretum, ipſamque tandem, ampliori facto foramine, cadaveris ſarcinam. Quicquid hic valet ars medica, in eo eſt poſitum, ut imminentem abortum avertat, eoque conſilio & cauſas, quæ pravam abortiendi diſpoſitionem utero inducunt, amoliatur, & robur utero debitum reſtituat. Atque hos quidem morbos Illuſtris Autor *tertio* hoc *Tomo* pertractavit. Quoniam vero complures adhuc ſuperſunt, ſimili ratione explanandi, quorum enarrationes maximo deſiderio omnes, quotquot artem medi-

Cap. VII.

VIII.

IX.

cam amant, expectant, id, quod semel iterumque precati sumus, denuo nunc publico nomine precamur, ut eidem & vita, & virium integritas, & otium, suppetant, quo, Operi præstantissimo ultimam manum impositam, primo quoque tempore gaudere queamus.

PSYCHOLOGIA RATIONALIS, METHOdo scientifica pertractata, qua ea, quæ de anima humana indubia experientiæ fide innotescunt, per essentiam & naturam animæ explicantur, & ad intimiorem naturæ ejusdem autoris cognitionem profutura proponuntur; Autore CHRISTIANO WOLFIO, Potent. Suec. Regis, Hass. Landgravii, Consiliario Regiminis, Math. ac Phil. in Acad. Marburg. Profess. Primar. Profess. Petropolit. honorario, Academiæ Regiæ Scient. Paris. Societatumque Regiar. Britann. & Boruss. Membro.

Francofurti & Lipsiæ, in officina Rengeriana, 1734, 4.
Alph. 3 plag. 21.

Propositum Cel. Autoris ex ipso titulo abunde innotescit, quem ideo integrum huc apponere nulli dubitavimus. Dividit autem totum hoc Opus in *quatuor Sectiones*, quarum *prima* de anima in genere, & facultate cognoscendi in specie, *secunda* de facultate appetendi, *tertia* de commercio inter mentem & corpus, *quarta* denique de variis animæ attributis, spiritu in genere, & animabus brutorum in specie, agit. Præmittit Prolegomena, in quibus definitionem Psychologiæ rationalis tradit, de methodo, qua tractari debet, & demonstrandi principiis, quibus utitur, differit, denique ejus possibilitatem & utilitatem evincit. Sed, missis hisce, ad ipsam tractationem statim digrediamur.

Sect. I Cap. I. Essentiam atque naturam animæ declaraturus, primo loco adstruit ejusdem simplicitatem, unde deinde infert ejus a corpore

pore diversitatem, Materialismo everso. Eo fine in actum apperceptionis inquirit, vi cujus anima & perceptionis suæ, & eorum, quæ percipit, sibi conscia est, resque perceptas extra se sibi repræsentat. Ostendit enim, hunc actum in machinam, qualis est corpus humanum, non cadere, nec per materiam & motum explicari posse, immo eundem producendi vim corpori nulli posse communicari. Hinc porro evincit, animæ competere vim quandam, eamque unicam, & a vi motrice prorsus diversam, qua actuantur in eadem omnia per facultatis ipsius possibilia juxta legem facultati unicuique peculiarem. Docet nimirum, facultates animæ non inesse, nisi quatenus vis eidem inexistat diverso modo modificabilis, nec concipi debere instar entium diversorum, quæ actu dantur in anima, & perdurant, & quæ per actiones & passiones, quas ab ipsis proficisci observamus, modificantur. Tandem demonstrat, vim, quæ animæ inest, esse universi hujus repræsentativam, sed limitatam materialiter situ corporis in universo, formaliter constitutione organorum sensoriorum ejusdem corporis. In hac vi consistere essentiam animæ, quatenus ad tales potius, quam alias, perceptiones, tali potius, quam alio, modo actuandas restringitur; naturam vero ejusdem, quatenus perceptiones seu repræsentationes istæ actuantur. Unde in anima naturale est, quod vi ista actuari potest, consequenter per eam intelligibili modo explicabile; ast supernaturale, aut, si mavis, miraculosum, quod, cum sit in anima possibile, ubi absolute spectatur, per eam tamen actuari nequit. Ceterum observat, ex vi ista in se spectata tantummodo rationem reddi in genere actualitatis perceptionum ac appetituum, ex legibus vero, quibus adstringitur, earundem reddendam esse rationem specialem. Notandum autem est, legem sensationum continere determinationes essentiales animæ, ut adeo sensationes inde deducantur, quatenus essentiam animæ non concipere licet absque lege sensationum. Evincit Cel. Autor similitudinem idearum sensualium cum objecto, quod repræsentant: unde porro deducit, quod non repræsentent nisi figuras, magnitudines, situs, atque motus: quæ quatenus percipiuntur, illæ distractæ sunt, quate- Cap. II

nus vero a se invicem non distinguuntur, illæ confusæ evadunt. Esse autem diversos admodum confusionis gradus, prouti plures ideæ confusæ in unam coalescunt, antequam perveniatur analysi perfecta, quæ in hominem minime cadit, ad elementorum seu substantiarum simplicium intrinsecas mutationes, quæ proprie sunt id, quod per ideas sensuales repræsentatur. Docet hic Ill. Autor, quomodo oriatur idea extensionis, continuitatis, spatii, vis motricis, vis inertiæ. Expendit deinde ideas materiales, sensualibus respondentes in corpore, quæ in motu quodam per fibrillas nervorum sensoriorum ad cerebrum propagato consistunt, ac ex iis rationem reddit tam specificationis, idearum sensualium, quam claritatis, distinctionis, confusionis, & obscuritatis earundem. Agit quoque de singulis sensibus in specie, ac inprimis explanat modum, quo tactus vicarium visus agere possit. Facultatem imaginandi hinc derivat, quod vis repræsentativa, quæ animæ inest, non modo tendat ad repræsentandum universum quoad statum præsentem, verum etiam quoad status præteritos. Ostendit nimirum, singulas ideas sensuales & phantasmata (quæ sunt ideæ vi imaginationis productæ) involvere omnes status mundi anteriores, & respectu ejus status, quem clare repræsentant, futuros, ut singulis insint infinita, diverso quidem involutionis modo. Animam continuo producere ideam totius universi, non modo quoad statum præsentem, verum etiam quoad omnes præteritos atque futuros, sed pro diversa dependentia status præsentis a præteritis, & futurorum a præsente, continuo diversam. Eam in somno esse totaliter confusam; dum vero vigilamus, animam eandem intueri, quatenus nonnulla, quæ eidem insunt, clare percipit, intuitu hoc per ipsam animæ essentiam limitato. Quoniam vero etiam phantasmatis suæ respondent ideæ materiales in cerebro, imaginationem quoque materialem in corpore explicat Noster, ac inde multa deducit, quæ inter locum habet dependentia legis imaginationis a lege sensationis, & idearum sensualium in phantasmata mutatio. Non commemoramus ea, quæ de diverso animæ statu in vigiliis, somno, atque somnio, tradit Ill. Autor. Similiter silentio præter-

(Margin, beside "tactus vicarium visus": Cap. III.)

præterimus, quæ de memoria tam ſenſitiva, ſeu animali, quam intellectuali, tum quatenus animæ, tum quatenus corpori inexiſtit, copioſe docet. Progrediamur ſtatim ad facultatem cognoſcendi ſuperiorem, cui intellectus eſt nomen. Poſtquam hic Cel. Autor explicavit, quæ ad attentionem & reflexionem ſpectant, ex vi repreſentativa univerſi, qualis in anima datur, ſingulas intellectus operationes deducit, quarum nullam eadem ſuperiorem eſſe demonſtrat, ſimulque oſtendit, quomodo operationes intellectus mechanice repreſententur in corpore, & quidem per ideas materiales vocabulorum in cognitione ſymbolica. Præterea multa tradit ad notionem intellectus intimius perſpiciendam neceſſaria. Ita probat, ſyllogiſmos primitivos non dari niſi categoricos, hypotheticos, & disjunctivos, & rationem reddit, cur ex eorum numero eximat modales, tantopere a Scholaſticis celebratos. Docet, cur anima etiam in ſomnio operationes intellectus edere poſſit, veluti judicare & ratiocinari, cur læſa memoria facultas ratiocinandi lædatur, & judicium imbecille reddatur. Explicat modum, quo animæ inſunt notiones univerſales, & hinc rationem reddit, quænam eidem ineſſe poſſint. Nec minus exponit modum, quomodo ſtatus præteritus & futurus ex præſente colligatur, & coexiſtens unum ex altero innoteſcat, & quomodo perceptiones in aliis involutæ per ratiocinium evolvantur. Reddit etiam rationem, cur intuitus ideæ univerſi, quæ continuo in anima exiſtit, & cum ideato ſuo easdem continuo ſubit mutationes, neceſſario ſit limitatus. Ad rationem hominis digreſſus, primum ejus conſiderat objectum, quod nonnulli pro ipſa ratione habent. Docet igitur, cognitionem univerſalem ideo poſſibilem eſſe, quia determinationes eſſentiales diverſis entibus communes inſunt, & veritates univerſales connecti vi ſimilitudinis eſſentialis dependentiæ rei a ſe ipſa & mutuæ dependentiæ rerum a ſe invicem quoad modificationes. Veritatem propoſitionis perſpici per nexum cum veritatibus aliis univerſalibus, & hunc palam fieri per demonſtrationem, quæ etiam manifeſtet veritates univerſales, cum quibus alia quædam connectitur. Falſitatem propoſitio- Cap. IV.

poſitio-

positionis perspici per repugnantiam cum veritate aliqua universali, & per nexum cum ea, quæ veritati cuidam universali repugnat. Hisce præmissis, probat, ens esse rationale, quod ad veritatum universalium nexum perspiciendum per essentiam & naturam suam aptum est, & rationem vim repræsentativam universi, qualis in anima nostra datur, non excedere, adeoque animam per ipsam essentiam atque naturam suam esse rationalem. Multa tradit de usu rationis. Demonstrat, eundem præsupponere omnes mentis operationes & notiones universales determinatas. Quo plures istiusmodi notiones in promtu sint, eo ampliorem eundem esse, &, quo eas magis familiares quis experitur, eo promtius eundem sese exerere. Reddit deinde rationem, cur usus rationis homini non connascatur, sed demum acquiratur; cur infantes usu rationis destituantur; cur is per usum sermonis facilitetur atque amplificetur, absque sermonis usu vero vix concedatur. Denique demonstrat, usum rationis in corpore sese exerere per ideas materiales vocabulorum, eundem a memoria dependere, ac ideo hac læsa imminui, immo prorsus amitti, per causas materiales ipsamque senectutem, nec ulli hominum in omnibus competere posse, accurate definitis casibus, in quibus conveniat. Ultimo tandem loco probat, nec ingenium, quatenus sumitur pro facilitate observandi rerum similitudines, vim repræsentativam universi, qualis in anima datur, excedere, & in corpore a constitutione cerebri dependere, hincque læso cerebro & ipsum lædi, iisdem causis materialibus ingenio noxiis, quæ memoriæ nocent. Omnibus istis evidenter evictis, monstrat, ipsam quoque artem inveniendi, quam summam intellectus perfectionem in homine esse constat, vim illam repræsentativam universi, qualis in anima datur, non excedere, in corpore vero eandem consistere in excitatione idearum materialium in cerebro operationibus animæ convenienter facta.

Sect. II Cap. I. Facultatem appetendi explicaturus Ill. Autor, probat, in omni perceptione præsente adesse conatum mutandi perceptionem, quem percepturitionem vocat. In hujus directione consistere facultatem appetendi, quatenus & appetitionis & aversionis actum

sub

ſub ſe comprehendit. Appetitione nimirum dirigi percepturitionem in perceptionem prævilam; averſione vero in partem contrariam perceptionis prævilæ. Explicat igitur, quæ ad prævilionem perceptionum intelligendam neceſſaria ſint, &, ut intelligatur ratio, cur percepturitio in perceptionem prævilam potius dirigatur, quam iu partem contrariam & contra, aut cur neutrum horum ſequatur, demonſtrat, percepturitionem in eandem dirigi, ſi eidem jungatur idea voluptatis, ab eadem averti, ſi idea tædii vel moleſtiæ eidem adhæreat. Explicat porro, quomodo conatus producendi perceptionem prævilam in anima ſeſe exerat, & quantum a corpore pendeat, atque demonſtrat, voluptati pariter atque tædio ſive moleſtiæ extraordinarium quendam motum ſanguinis & fluidi nervei in corpore reſpondere, appetitioni vero motum corporis & organorum ipſius, quibus is obtinetur ejus in univerſo ſitus, in quo perceptioni prævilæ locus eſſe poteſt, & averſioni conatum impediendi motus corporis & organorum ipſius, quibus obtinetur illius ſitus ad prævilam perceptionem neceſſarius, ubi vi ad eosdem impellitur, atque motus contrarios, quibus impeditur, ne perceptioni prævilæ ſit locus, niſi eam ceſſare conſtet, omiſſis motibus ad ſitum corporis, ad eandem requiſitum, immutandum neceſſariis. Oſtendit vero ſimul, quomodo appetitus ſenſitivus cum averſatione ſenſitiva ex vi repræſentativa univerſi, qualis in anima datur, oriatur, & quod utrique in corpore reſpondeant motus ſanguinis ac fluidi nervei, utrumque actum prodant vultus, geſtus, atque vox. Affectus eſſe conatus vehementiores, producendi perceptiones prævilas, vel impediendi, quo minus producantur, & ex vi adeo repræſentativa univerſi, qualis in anima datur, enaſci. In affectibus jucundis conatum enaſci ex multiplicitate tendentiarum ad diverſas perceptiones prævilas, adeoque appetitum eſſe confuſum; in moleſtis oriri vehementiam ex multiplicitate conatuum impediendi diverſas perceptiones prævilas, adeoque averſionem eſſe confuſam. Hinc intelligitur, unde ſit vehementia conatus in affectibus mixtis, & cur per eos in appetitu ſenſitivo actus quidam confuſus oriatur, qualis in ſimplicibus

 locum

locum non habet. Dum anima affectibus commovetur, conatibus producendi vel impediendi perceptiones prævisas convenientes motus in corpore observari, ac confusam sanguinis & fluidorum in corpore commotionem iisdem necessario respondere. Ex principiis istis demonstratur definitio realis tam appetitus sensitivi, quam aversionis sensitivæ. Ille nimirum est conatus producendi perceptionem prævisam, quatenus determinatur per ideam boni confusam, isti adhærentem; hæc vero est conatus impediendi, ne perceptioni prævisæ in nobis sit locus, quatenus determinatur per ideam mali confusam, isti adhærentem.

Cap. II. Quoniam voluntas seu appetitus rationalis determinatur per notionem boni, noluntas seu aversatio rationalis per notionem mali distinctam; hinc simul patet, quid voluntas sit, quid noluntas, nec difficulter porro intelligitur utriusque dependentia a vi universi repræsentativa, quam clarissime Ill. Autor demonstrat. Ut vero legis appetitus ratio pateat, simulque constet, eam in vi repræsentativa universi rationem sui sufficientem agnoscere, probat evidentissime, animam per essentiam & naturam suam bonum appetere, malum aversari, seu generaliter ad illud appetendum, hoc aversandum, esse determinatam. Inprimis autem clarissime ostendit, appetitiones & aversiones eodem modo dependere a sensationibus, quocunque tandem modo sensationes a corpore dependeant; libertatem vero animæ a dependentia sensationum a corpore esse prorsus independentem. Non tamen negat, libertatem influere in seriem perceptionum, seu ad eas determinandas concurrere, quin potius ostendit, quomodo hoc fiat. Demonstrat quoque, quomodo libertas a ratione pendeat, & quomodo in unaquaque anima insit perceptionum quædam series appetitionibus & aversionibus interpolata, quæ diversa est a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius, sive perceptiones ipsas, sive interpolandi modum, spectes. Atque ita tandem concludit, vim repræsentativam universi, qualem animæ competere, negare nemo potest, esse sufficiens Psychologiæ rationalis principium.

Sect. III Cap. I. Noto notius est, tria hodie celebrari systemata explicandi commercium inter mentem & corpus, nimirum systema influxus

fluxus physici, systema causarum occasionalium, & systema harmoniæ præstabilitæ. Singula Ill. Autor distincte explicat, & cum theoria de anima, *duabus Sectionibus* anterioribus tradita, in coocordiam revocat: quod ut rectius fieri possit, de systematibus istis, hoc est, hypothesibus Philosophorum, quas excogitarunt ad reddendam rationem commercii inter animam & corpus intercedentis, in genere nonnulla præmittit. Docet igitur, quænam in istiusmodi systemate sumi possint, unde concludatur ejusdem falsitas; quod libertatis notio ab omni ejusmodi systemate sit prorsus independens; quod in omni supponatur, animam & corpus in modificationibus suis ita a se invicem dependere, ac si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, & corpus vi sua produceret perceptiones rerum sensibilium in anima; quod in gratiam istiusmodi systematis nihil immutandum sit in Philosophia practica; quod detur harmonia mentis & corporis, hoc est, perceptiones animæ sint explicabiles per mutationes in corpore contingentes, & motus voluntarii in corpore per volitiones ac nolitiones, vel etiam appetitiones & aversiones sensitivas animæ; quod hæc harmonia supponatur in omni systemate; quod nullum systema Scripturæ sacræ adversari possit, nisi eidem admisceantur errores, qui abesse & possunt, & debent; quod Theologus hac in parte Philosophis libertatem suam illæsam relinque possit; quod theoria anterior de anima nullum horum systematum supponat; quod Materialistæ & Idealistæ nullo istiusmodi systemate indigeant; quod nullum sit systema ei, qui negat, se nosse modum dependentiæ mutuæ animæ ac corporis in modificationibus suis, vel qui, cum sumat, animam in corpus, corpus in animam, agere, modum tamen agendi ignotum esse affirmat. Systema influxus physici explicaturus, Cap. II. primo omnium loco ostendit, qnid sit influxus physicus, quem dicit translationem esse cujusdam realitatis ex una substantia in alteram, quæ huic ante non inerat. Unde ex numero Influxionistarum eximit, qui animam & corpus modo nobis ignoto in se invicem agere affirmant. Postquam influxum physicum sufficienter quoad singulas partes exposuit, nobis influxus physici

 nullam

nullam esse notionem, demonstrat. Ostendit praeterea, influxum hunc pugnare cum conservatione virium vivarum, repugnare ordini naturae, notioni virium esse contrarium, quatenus eadem utimur ad explicandum commercium inter animam & corpus, esse qualitatem occultam, terminum inanem, & in Psychologia rationali inutilem, nec ullum ejus esse usum in Philosophia practica & Theologia, quemadmodum nec systematis alterius, qualecunque tandem illud fuerit, imo influxum hunc, omni probabilitate destitutum, experimento nulli subjici posse.

Cap. II. In systemate causarum occasionalium Deus modificat animam in gratiam corporis, & corpus in gratiam animae. Ostendit igitur Ill. Autor, corpus & animam tantummodo esse modificationum harmonicarum causas occasionales, adeoque Atheum, & qui de existentia Dei dubitat, non posse admittere hoc systema. Exponit deinde effectum concursus divini in hoc systemate, ac inde leges commercii, quibus idem nititur, accuratius determinat, quam vulgo enuntiari solet. Monstrat aequipollentiam ejusdem systematis cum influxu physico, & quaestionem sub examen revocat, utrum in eodem perpetua fiant miracula, nec ne.* Deinde demonstrat, systema hoc principio rationis sufficientis contrariari, naturae ordini adversari, omni probabilitate destitui, non tamen per idem tolli possibilitatem agendi in corpus a spiritu in genere, multo minus libertatem.

III. Denique non minus clare ac distincte explicat systema harmoniae praestabilitae, quod imperitis tantas turbas hodie excitandi ansas dedit. Demonstrat inter alia, per hoc systema commercium inter mentem atque corpus intelligibili modo explicari, harmoniam praestabilitam quoad effectum aequipollere influxui physico, in hoc systemate omnia fieri naturaliter, nihil miraculose, Deum praestabilivisse harmoniam, dum animae junxit corpus, in quo existere potest series motuum perceptionibus & appetitionibus animae consentientium, & eum fecit rerum materialium nexum, ut motus isti ad actum perducantur per continuas in organa sensoria impressiones extrinsecus factas; spuriam adeo esse praestabilitionem, qua Deus seriem perceptionum atque appetitionum

fingitur

fingitur accommodaſſe ſeriei motuum neceſſariorum in corpore, quam oppugnant ſciamachi. Demonſtrat præterea, ſyſtema hoc defendi non poſſe ab atheo, nec ab eo, qui vel exiſtentiam, vel præſcientiam divinam negat, qualem contra Socinianos defendunt Theologi orthodoxi. Præſtabilitionem harmoniæ eſſe effectum miraculoſum, perinde ac creationem univerſi, ſed vi hujus miraculi primitivi cetera omnia naturaliter conſequi, quemadmodum vi miraculi primitivi in natura rerum nunc omnes conſequuntur effectus corporum. Appetitiones in anima non eſſe præſtabilitas, ſed animam eodem modo ad easdem pervenire in hoc ſyſtemate, quo ad eas pervenit in ſyſtemate influxus phyſici. Libertatem in eodem manere ſalvam, & cum ea conſiſtere poſſe neceſſitatem motuum in corpore. Actiones animæ in hoc ſyſtemate eodem modo imputari, quo imputantur in ſyſtemate influxus phyſici, nec majorem eſſe difficultatem circa concurſum Dei ad malum, quam in ſyſtemate influxus. Mechaniſmum corporis in hoc ſyſtemate equidem nobis incomprehenſibilem eſſe, ſua tamen non deſtitui probabilitate. Imo ipſum ſyſtema eſſe admodum probabile, ceterisque præferendum; cavendum tamen, ne ad operationes gratiæ extendatur, ad quas nec ſyſtema influxus phyſici transferri poſſit. Concludit vero Ill. Autor totam tractationem hoc monito: *Si quis hebetior fuerit, quam ut philoſophicam ſcientiam capere poſſit, vel infirmior, quam ut inoffenſa pietate ſyſtemati harmoniæ præſtabilitæ aſſentiatur, is ſyſtema influxus phyſici amplectatur, & ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ, ſi velit, damnet, modo ſibi temperet a malitia.*

Ultimo tandem loco, cum de ſpiritu in genere & ſpiritualitate animæ in ſpecie agit Cel. Autor, ſpiritum definit per ſubſtantiam intellectu & voluntate libera præditam. Hinc negat, elementa rerum materialium & animas brutorum eſſe ſpiritus; animæ tamen humanæ inter ſpiritus locum concedit. Explicat deinde, quinam ſpiritus ſit perfectiſſimus, & de ſpirituum ortu varia demonſtrat. Explicat notionem ſapientiæ, eamque ſpiritibus vindicat. Abſoluta theoria generali, ad Sect. IV Cap. I.

 ortum

ortum animæ, unionem cum corpore, & immortalitatem ejusdem, explicandam digreditur; sed de his jam diximus olim, cum Methaphysicam Ill. Autoris Germanicam recenseremus. Tandem adstruit, bruta habere animas a corpore distinctas, immateriales quidem, sed non spirituales. Eas observare legem sensationum, pollere imaginatione & memoria, imo legem imaginationis custodire, habere appetitum sensitivum, & aversionem sensitivam, atque legem utriusque tenere, sed destitui cognitione universali, ac omnibus carere operationibus intellectus, ratione, ac voluntate libera. Habere analogum quoddam rationis, non tamen memoriam sui. Esse quidem incorruptibiles, sed non immortales. Ceterum, cum inimici Cel. Autori vexas detestandas creassent, propterea quod systema harmoniæ præstabilitæ Metaphysicæ Germanicæ inseruerat, providentiæ Dei singulari tribuit, quod, dum edendo huic Operi insudaret, a tribus potentissimis in orbe Christiano Regibus gratiæ singularis documenta expertus fuerit, quæ inter inprimis commemoratione dignum est, quod Rex Borussiæ Halam reversuro dignitates amplissimas & minerval lautissimum obtulerit.

GEOMETRIÆ ELEMENTA, AD PHILOsophiam comparandam accommodata, opera P. F. FORTUNATI A BRIXIA, Ord. Min. Strict. Observ. S. Francisci Ref. Prov. Brixiensis, Sac. Theol. Lectoris, & Philosophiæ Professoris.

Brixiæ, typis Joannis Mariæ Rizzardi, 1734, 8 maj. Plag. 11, Tabb. æn. 2.

Cl. Autori mens fuit, testante Præfatione, Elementa Geometrica, ad rerum naturalium studia ea, qua par est, via tendentibus necessaria, conscribere, ac futurum Philosophum instruere, non perfectum facere Geometram. Hinc in præmisso appa-

apparatu Geometrico, poſt Geometriæ definitionem, ſumtam e *Riccioli Almageſto Lib. I Cap. 1*, ordine inveniuntur 12 Pag. 2.
Axiomata, ex *Euclideis* deducta; quæ ſequuntur 3 Poſtu- 4.
lata *Euclidis*. Definitiones vero non omnes ſimul, ſed quamvis ſuo reſpective loco, tradit. His abſolutis, Geometriæ 7.
Elementaris *Pars prior*, ſelecta Geometriæ theoricæ elementa complectens, ac ejus *Sectio prima* de linea recta, hujusque 8.
Caput primum, de recta ſuper recta conſiſtente & ſecante, incipit. Prima definitio puncti in adjuncto ſcholio non affirmat, quod re ipſa detur punctum mathematicum. Quatuor dein Theorematibus, ac horum Corollariis, natura angulorum, linearum perpendicularium, ac oblique ſecantium, explicatur.
Capite II de lineis rectis parallelis agit, idque 4 iterum Theo- 13.
rematibus. *Sectio ſecunda* de figuris planis, ac *Caput primum* de 17. 18.
triangulis planis rectilineis 11 theorematibus, *Caput ſecundum* 29.
de quadrilateris, parallelogrammis, & polygonis, 6 theorematibus tractat, ubi theoremate 5 Problema Pythagoricum de- 33.
monſtratur. *Caput tertium* circuli conſiderat naturam, & theo- 36.
remata continet 16. *Sectio tertia* de figuris ſolidis inſcribitur, 51.
Caput primum vero de ſolidis planis & mixtis. Definiuntur hoc ordine corpora: pyramis, priſma, parallelepipedum, cubus, cylindrus, conus, tetraedrum, octaedrum, dodecaedrum, & 53.
icoſaedrum. *Caput* hoc 4 theorematibus abſolvitur. *Caput ſe-* 55 57.
cundum de ſphæra, & ipſius circulis, 3 lemmatibus, 17 theorematibus, agit. *Sectioni quartæ* de magnitudinum proportione 69.
hæc præmittuntur. *Hactenus magnitudines ſecundum ſe, ſeu abſolute ſumtas, ſpectavimus, modo de iisdem comparative accepti agendum nobis eſt. Ut autem clarius hac in re, quæ maximi momenti eſt, progrediamur, primo de proportione magnitudinum generatim, tum de proportione earundem ſpeciatim, agemus.* Ideo & *Caput I* de proportione magnitudinum in genere titulum gerit, ubi 31 Definitionibus magnitudinum rationes ac proportiones explicantur, 8 vero theoremata in eo continentur. *Caput II* proportionem magnitudinum 83.
in ſpecie conſiderat, ac 26 theorematibus rationes triangulorum, parallelogrammorum, circulorum, ſphærarum, cylindro-

drorum, conorum, priſmatum, cuborum, eorumque magnitu-
Pag. 115. dines, explicat. Appendix adjungitur de lineis incommenſurabilibus, ſectionibus coni, cylindri, pyramidis, priſmatis, ac ſinubus. Facillima quædam, & primæ tantum hic exhibentur lineæ, quæ tamen tyronibus omnino prodeſſe, certiſſimum.
129. Tandem *Pars poſterior* ſelecta aliquot continet Geometriæ practicæ elementa, ac 28 Problematibus, lineam ac circulum biſecare, lineam in partes æquales dividere, parallelam perpendicularem ducere, dato angulo æqualem conſtituere, triangulum æquilaterum, ſcalenum, exhibere, circuli centrum invenire, per tria puncta circulum ducere, quadratum deſcribere, rectam media & extrema ratione ſecare, pentagonum hexagonumque deſcribere, dato triangulo rectilineo ſimile, ac dato polygono ſimile exhibere, peripheriam circuli uno circini intervallo in 12 æquales partes dividere, pentagonum ac decagonum circulo inſcribere, data circuli diametro peripheriam invenire, ac converſam, inter duas datas rectas mediam proportionalem, invenire, circulum ad datum alium certæ rationis deſcribere, inter duas datas, duas medias continuo geometrice proportionales invenire, cubumve ad datum certæ rationis exhibere, docet. In univerſum Librum præmittitur Index Sectionum, Capitum, ac Theorematum, nec non alius Propoſitionum, ex *Euclidis Libro I, III, IV, V, VI, X, XI, XII*, ac *Theodoſii Libro I & II*, deſumtarum, ac in hoc Opere, ut ait Cl. Autor, alia methodo digeſtarum, ac demonſtratarum. Totum Opus ſatis accommodatum ad captum tyronum videtur, &, quæ maxime ſunt neceſſaria, perſpicue ſatis demonſtrata continet.

JO. ALBERTI FABRICII, S. THEOL. D. & P. P. Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis; Liber IV, V, & VI. Accedit Doctrina S. SEVERINI, Epiſcopi.
EJUSDEM BIBLIOTHECÆ LIBER VII ET VIII. Accedunt veteres Rythmi de vita monaſtica.

Hamburgi, ſumtu viduæ Felgineriæ, 1734 & 1735, 8.
Volumen prius Alph. 1 plag. 21, poſterius Alph. 2 plag. 12.

De

De *Libris tribus* prioribus, qui *Tomum* hujus Operis *primum* constituunt, in *Actis* nostris *Mense Mart. A. 1735 pag. 138 seq.* dictum est. Eruditissimi olim, sed nuper, magno literarum damno, ex hac vita evocati, Autoris labor inexhaustus in pertexenda eadem tela ita se probavit eruditis, ut jam nunc *secundus* & *tertius* ejusdem Operis *Tomi* prostent. His, ut ex adductis eorum titulis intelligere licet, *quinque* in universum *Libri*, a *IV* usque ad *VIII*, exhibentur, qui, ex instituto Cel. Autoris, quod in priori isto recensu jam exposuimus, totidem Alphabeti literas, D, E, F, G, & H, persequuntur. Nostrum erit, ut, novo quodam recensu, ex his ipsis in hæc nostra *Acta* referamus, quod tanto faciemus delectu, quanto pro ratione bibliothecarii Lexici, & tot diversissimorum argumentorum varietate, licuerit.

Cum Autor Celeberrimus elenchum digressionum eruditarum, quibus æque ut in *Tomo primo* lectores suos ab alphabetarii & nominalis catalogi fastidio revocare studuit, ipse in his *Tomis* subjicere omiserit, potiorem inde recensus nostri materiam sumemus; quo etiam nomine, quicquid fragmentorum quorundam Autorum hinc inde adjectum est, simul designare liceat. *Lib. IV pag. 32 seq.* Danicarum rerum scriptores, quotquot ad ævum hocce medium cummaxime pertinent, per indicem digitum summatim afferuntur. Cum *Lucii Dextri Paciani pag. 75 seq.* & *Dionysii Exigui pag. 99 seq.* injicitur mentio, de illius quidem Chronico, sive omnimoda historia, de hujus autem Cyclo paschali, aliisque in æræ Christianæ constitutionem, collectionemque Canonum, meritis, latius disserendi ansa Nostro haud prætermittitur. Commemorato *pag. 134* S. *Dominico*, non modo de ipsius vita, sed & universo ab eo condito Prædicatorum Ordine, disseritur, simulque copiosus juxta alphabeti ordinem scriptorum catalogus subjicitur; quod ipsum & de scriptoribus de hæresi sive schismate Donatistarum *pag. 167 seq.* factum videmus. *Lib. V pag. 220 seq.* ex *Eberhardi* Bethuniensis, Sec. XII clari, carmine de versificatione fragmentum aliquod integrum inseritur, quod Poetas, eosque mediæ inprimis ætatis, & illo tempore in scholis prælegi solitos, exhibet. Indiculus eorum, ad quos ex- Vol. II.

tant Epiſtolæ *Eginhardi*, *pag. 264 ſeq.* occurrit, & *pag. 301 ſeq.* catalogus Scriptorum, quorum teſtimoniis in Chronico ſuo uſus eſt *Engelhuſius*; quos Autoris noſtri induſtriæ deberi, nulli dubitamus.

Libro VI ineunte, ubi *Fabri* quidam ex ævo medio commemorantur, *pag. 418* ſpem nobis facit Cel. Autor, ſed eheu! quam inanem, edendæ *tertiæ* & *quartæ Fabriciorum* Centuriæ, quibus *Fabros Schmidios*que comites dare ſibi conſtitutum ſit. Ad *Felicem Urgelitanum pag. 482* delatus, ſubjungit mox de hæreſi *Feliciana*, quæ & a dogmate *Adoptiana* audit, Scriptorum quandam ſyllogen, ex quibus inter recentiores non deſunt, qui ejusdem patrocinium ſuſceperunt. Cum *pag. 502 M. Ant. Flaminii* mentio injicitur, ſimul teſtatum facit Noſter, ſibi non probari illorum ſententiam, quibus perſuaſum eſt, latere ſub ejus nomine *Marcellum Palingenium*, qui Zodiaci vitæ, notiſſimi carminis, Autor eſt. Rationibus Cl. *Heumanni*, qui id ipſum quondam peculiari Epiſtola, quam *Pœcil. Tom. I Lib. II pag. 255 ſeq.* poſt inſeruit, multo conatu *Fabricio* noſtro perſuadere anniſus fuit, dubium aliquod chronologicum, ex ipſo Zodiaci contextu petitum, obvertit, quod quidem conjecturas Cl. *Heumanni*, cujus tamen hoc loco nomen reticetur, multum infringere videtur. Obſervatio quædam *Theod. Ruinarti* de Codice quodam MSto *Flodoardi*, apud Sangermanenſes Carmelitas ſervato, *pag. 512 ſeq.* integra affertur, prout Gallica lingua concepta fuit; unde vero eandem deſumſerit, Autor hoc in loco connotare omiſit. Ad Francicarum rerum ſcriptores, eosque paulo antiquiores, & ad ævum Latinitatis cummaxime medium & infimum pertinentes, Noſter *pag. 550 – 568* devolvitur, adductis & recenſitis collectionibus, quas *Eccardi*, *Pithœi*, *Freberi*, *Quercetani*, *Baluzii*, *Bongarſii*, *Cointii*que, potiſſimum induſtriæ debemus. Quas ubi *pag. 568 ſeq.* S. *Franciſci*, Aſſiſiatis, mentio excipit, tum de hoc, tum de condito ab eodem Franciſcanorum Ordine, ſat amplus Scriptorum catalogus ſubnectitur. Sententia Italorum quorundam, & in his *Franciſci de Mileto*, de Antichriſto A. C. 1530 prædicaturo, & hinc penitus exſtinguenda Eccleſia Catholica, cujus ex teſtimonio quodam *Mabillonii* indicium fit *pag. 591 ſeq.* noſtro quidem judicio meſ

reri

reri videtur, ut data opera in eam paulo altius inquiratur. Noster porro *Franconis* cujusdam, Afflighemensis Abbatis, Carmen de statu futuræ gloriæ, quod *Caveo* intercidisse præter rem persuasum, *Polycarpo Lysero* autem in Historia Poetarum non satis curate distinctum fuit, *pag. 598 seq.* integrum inseruit. Scriptores rerum Fuldensium, quotquot superiori & nostra etiam memoria in lucem protracti sunt, *pag. 650 seq.* recensentur. Ac de *Fulgentio Ruspensi* denique notamus, Autorem nostrum recensum de scriptis ejus ac eorundem editionibus, quem, notante eodem, ipsius olim præceptor, *Thomas Ittigius*, hisce nostris *Actis A. 1684. pag. 543* inseruit, integrum, suis tamen quibusdam observationibus interpolatum, *pag. 661 – 672* repetere.

Libro VII, quo ipso Autor *Volumen* sive *Tomum III* hujus Operis orditur, primum occurrunt *pag. 80 Gelasius I* hujus nominis Papa R. & *pag. 88 Gennadius*, Massiliensis, uterque scriptor Seculi V haud ignobilis, de quo nova non una habuit Noster, quæ alibi de his ipsis Scriptoribus a se dictis, hoc loco adjungeret. De *Georgiis* ubi *pag. 96* monuit, extare *Joach. Manzelii* Schediasma, in quo is nonnullos recentioris ætatis *Georgios* fama & eruditione claros jucunda varietate persecutus sit, & de iis, qui Græce scripserunt, haberi *Leonis Allatii* eruditam Diatribam, a se cum auctario quodam Bibliothecæ Græcæ *Vol. X* insertam, subjungit, se *Georgios* quosdam medii ævi, qui Latine scripserint, ac illis præteriti sint, hoc loco additurum esse, quorum numerus ultra vicenum assurgit. De *Joanne Gersono*, celebratissimo quondam Academiæ Parisiensis Cancellario, *pag. 141 seq.* Nostro dicendum venit, quo loco non modo vitæ ejusdem præcones & Operum editores non unos commemorat, sed & quæstionem illam attingit de eodem Autore Librorum IV de Imitatione Christi, quæ in editionibus fere infinitis *Thomæ Kempisii* nomen præferunt. De hoc & aliis quibusdam horum Librorum Autoribus vulgo venditatis res notior est, quam id, cujus infra *pag. 335* Autor noster sub *Gualtero Hiltono*, Anglo, meminit, ubi *Henr. Warthoni* verba repetuntur, edisserentis, celeberrimum illud Opus non minus æquo jure sibi forsan vindicare hunc *Gualte-* Vol. III.

rum parentem posse, quam *Thomam Kempensem*, aut quemvis alium. Ad seriem recensus nostri revertentes, apud Autorem nostrum *pag. 208 Gotefchalci* illius mentionem deprehendimus, cui Seculo IX ingens hæreseos de prædestinatione dica scripta est, quæ proinde res in uberiorem causæ & scriptorum huc facientium commemorationem Nostrum deducit. Quæ porro *pag. 236 seq.* de *Gratiano*, notissimo illo Decretorum Pontificiorum compilatore, afferuntur, nos admonent, ut de usu prorsus eximio dicamus, quem nostri Autoris labor locis longe pluribus præstare potest in cognoscendis Juris Canonici genuinis fontibus ac originibus. Sicuti enim suo subinde loco mentio injicitur eorum, qui ex Latinis jam pridem ante *Gratianum* Canonum collectiones nobis dederunt, vel post eum etiam in Jure isto Pontificio augendo amplificandoque operam suam navarunt, quorum exempla in promtu habemus ex Operis hujus *Tomo I*, sub titulo *Abbonis, Anselmi Lucensis, Burchardi Wormatiensis, Cresconii Afri*, ex *Tomi II* titulo de *Dionysio Exiguo, Fulgentio, Ferrando*; atque ex hujus *Tomi III* titulo de *Gregorio, IX, Gregorio XIII. Pontif. Rom.* itemque de *Honorio III*, & ex his, quæ sub titulo Glossæ & Glossatorum, uti & *Tomo I*, sub titulo Bullæ, Bullariorum, & Decretorum, occurrunt, ita dubium haud nobis relinquitur, quin tituli in secuturis post Voluminibus adhuc expectandi totum hocce negotium ita confecturi sint, ut, qui origines Juris Canonici & Pontificii penitius perspectas habere cupiunt, ex hac Autoris opera insignem fructum percepturi sint, eaudemque non modo cum aliorum, sed & ipsius Autoris alibi in hanc rem exhibitis Commentationibus, nempe in Bibliothecæ Græc. *Vol. XI Lib. VI Cap. I §. 20*, & in Biblioth. Lat. prioris ævi *Lib. IV Cap. X*, utilissime conjungere possint. Ut porro Autori solenne est, singulorum fere Pontificum Romanorum injicere mentionem, ut, quicquid ex illorum Epistolis, Decretis, Bullis, ac relictis aliis quibuscunque monumentis, ad posteritatem servatum est, in hac sua Bibliotheca locum inveniat, ita, qui *Gregorii* nomine gavisi sunt numero quinque & decem, a *pag. 241* usque ad *280* hic ad unum occurrunt omnes, de quibus, præter ea, quæ pro instituti ratione Nostro dicenda fuerunt, id,

quod

quod digreſſionum locum habere licet, hic ſeorſim annotare juvabit. Sic *Gregorii I* & Sancti, Magnique dicti, biographos juxta ætatem antiquiorem & recentiorem diſtinctos *pag.* *241 ſeq.* Noſter exhibet. Ad *Gregorium V pag. 262 ſeq.* connotat Scriptores, qui Germanici imperii Electorum origines ſibi curatius ſeorſimque inveſtigandas ſumſerunt. *Gregorii VII* & ſub *Hildebrandi* nomine haud ignoti, quæ Seculum XI illuſtrarunt, facinora multorum excitarunt calamos, ut vel defenderent eadem, vel impugnarent, unde & inſignem ex utraque parte Scriptorum farraginem hic *pag. 264 ſeq.* deprehendere licet. Sed, miſſis ceteris, forte adhuc memoratu haud injucundis, ex *Libro VII* unicum tantum *Guidonem Aretinum* producimus, cujus præclarum in Muſica ſtudium non modo celebrat & exponit Noſter *pag. 372 ſeq.* ſed & ſimul, occaſione hinc arrepta, in veterum artem muſicam excurſionem facit, conferendo inter ſe, quæ de ratione ejusdem inter nonnullos diſputata ſunt.

Librum VIII denique percurrentes, inter alia offendimus ſyllogen Scriptorum rerum Helveticarum, quorum junctim edendorum ſpem fecit *Jo. Conr. Fueslinus*, vulgato A. 1734 peculiari eorundem conſpectu, quem hinc integrum repetiit interuitque hic Noſter *pag. 600 ſeq.* *Henricianam* hæreſin geminam habuit hoc ævum medium, quas hinc probe diſtinguit, & de utraque Scriptores producit Autor *pag. 614 ſeq.* De S. *Hildegardi*, ejusque viſionibus, quas ipſa ſcivias nuncupavit, non tantum copioſior recenſus affertur *pag. 770 ſeq.* ſed & integra quædam ejusdem prophetia contra Monachos mendicantes, quam *Abrab. Bzovius* quondam produxit, itemque ab Autore confectus index nominalis eorum, quorum Epiſtolæ inter *Hildegardinas* occurrunt, ſubjicitur. Ad res Hildeſienſium faciunt præclara monumenta non una, inter Scriptores Brunſuicenſes, ab Ill. *Leibnitio* vulgatos, obvia; quoniam vero per tria illa ſat ſpiſſa Volumina eadem paſſim diſperſa habentur, ſingulorum, quæ huc pertinent, monumentorum curatius indicium *pag. 783 ſeq.* factum eſt. Ad *Jo. Huſſi* mentionem *pag. 903 ſeq.* tum ad ea ſe

ſe refert Autor, quæ in Centifolio Lutherano quondam in hanc rem commentatus eſt, tum quoque novi ſpicilegii loco recenſum inſtituit ſingulorum ſcriptorum, quæ in *Huſſi & Hieronymi Pragenſis*, de quo dictum fuit ſupra *pag. 737*, Operum editionibus, Norimbergæ A. 1558 & 1715 *Tomis II* in fol. junctim vulgatis, exhibita leguntur.

Atque hæc hactenus loco ſpeciminum adduxiſſe ſat erit, ex quibus non modo, qualis & quantus ſit labor, quem in condendo hoc Opere Celeberrimus Autor ſibi exantlandum ſumſit, ſed & quam late uſus fructusque ejusdem per univerſum eruditionis campum pateat, ſi quidem per Secula majori alioquin obſcuritate ſuffuſa eundem quoque emetiri velimus, quemlibet ſua ſponte intelligere confidimus. Ac, quanquam aliorum etiam multorum opera in argumentis biographico-literariis huc facientibus dudum elaborarit, quam multum tamen Autoris noſtri induſtriæ relictum ab iis ſit, vel id ſatis indicio eſſe poterit, quod vix pagina tranſeat, in qua non legas vel defectus aliorum ab ipſo ſuppletos, vel parorамata & hallucinationes, in aliorum Commentationibus paſſim deprehenſas, quas emendandas potius, quam acrius notandas, ſibi putavit. Qua in re Autoris jam modeſtiam imitaturi, paucula & ipſi indicabimus, quæ nobis in poſtremo Volumine inter perlegendum obſervata ſunt, & in quibus a ſe dicta tum emendanda, tum ſupplenda, ipſe Autor judicaverit. Sic namque in *Gregorio I* omiſſum eſt, quod ejus Epiſtolarum Regiſtrum ſic dictum, Libris XII conſtans, præter editiones memoratas, etiam plenioribus, quas habemus, Conciliorum collectionibus ad A. 590 integrum inſertum ſit. Ad articulum de *Baptiſta Guarino*, ubi ejus libelli de ordine docendi & diſcendi *pag. 352* mentio fit, addi poteſt, ejusdem editionem novam ex MSto quodam Bibliothecæ Jenenſis a Cel. *Burch. Gotth. Struvio*, addita Præfatione erudita, A. 1704 in 8 curatam eſſe: atque permutationem *Jo. Baptiſtæ Guarini* cum *Jo. Bapt. Marino*, quam *pag. 353* deprehendere licet, per memoriæ lapſum, ex vocabulorum honomynia ortum, ſibi excidiſſe, ipſe, ſi viveret, Autor facile agnoſceret. In *Hilario*

Picta-

Pictavienſi, *pag. 753* memorato, & hujusmodi quid obtigiſſe credimus, ubi de noviſſima hujus Patris Operum editione, quæ Veronæ A. 1730 prodiit, nihil dixit, quanquam ejusdem mentio paulo ante *pag. 741* occurrat, ubi de editore *Vallarſio* traditur, illum poſt emiſſum *Hilarium* & in paranda nova *Hieronymi* editione deſudare, ut adeo, iſtam recentem *Hilarii ἔκδοσιν* Autori haud prorſus incognitam fuiſſe, inde colligere in proclivi ſit. Quæ autem Veronenſis hujus editionis præſtantia ſit, & in quibus ea, novis acceſſionibus aucta, priorem illam *Conſtantianam*, ad quam alioquin expreſſa eſt, poſt ſe relinquat, conſtabit ex data ejusdem recenſione in his *Actis Tom. X Supplem. Sect. VIII pag. 337 ſeq.* quæque hinc eo faciet, ut, quod *Fabricio* noſtro hac in parte defuit, inde ſupplere liceat. Ut autem hæc leviora & inter legendum velut per tranſennam obſervata ſunt, ita, Lectorem de iis eſſe monitum, nec ipſis Cel. Autori manibus ingratum fore ſperamus.

NOVA LITERARIA.

Cum eam, in qua temporibus hiſce verſamur, literarum & eruditionis lucem illis præcipue debeamus, qui diligenti ſtudio veterum Scriptorum Commentationes, quæ diu ſitu ſquallidæ, & cum blattis tineisque pugnantes, in Bibliothecarum pluteis delituerant, colligentes, chalcographico opere deſcriptas ediderunt; hinc laudabile conſilium cepit *Petrus Cajetanus Vivianius*, Typographus Florentinus, quaſcunque doctorum hominum lucubrationes, quæ ἀνέκδοτοι huc usque & pæne ignotæ jacuerunt, veluti ſparſa Sibyllæ folia, colligendi, & typis excuſas in Virorum eruditorum uſum & commoditatem evulgandi. Hujus autem ab ipſo ſuſceptæ provinciæ notitiam Viris literatis, & eruditionis amantibus, in anteceſſum tradere, & de editionis via ac ratione plane ac perſpicue eos edocere, nobis interpretibus, operæ eſſe pretium, exiſtimavit. Univerſa igitur hæc Collectio in XXIV plus minus Volumina, forma, ut

vo-

vocant, octava, distribuetur; eorumque quatuor anno quolibet, optima charta, & egregiis characteribus, excudentur, ita, ut singulis trimestribus spatiis singula Volumina perfecta & absoluta in publicum prodeant. Opuscula, quæ illis continebuntur, cum diversi argumenti, ut Philosophiæ, Theologiæ, Mathematicæ, Historiæ Ecclesiasticæ, Profanæ, & Naturalis, Antiquitatum eruditarum, aliarumque id genus doctrinarum, tum non unius linguæ, varietate voluptatem legentibus afferent: nam & Græca in illis, & Latina, & Italica, si qua suppetent, Opera occurrent, ex quibus Græca nôn sine Latina interpretatione emittentur. Nec tantum cordi erit, Opuscula eximia, & publica luce digna, seligere, verum etiam recensere, & castigare, & breves animadversiones, ubi opus fuerit, adscribere; quin & Præfationes addet, quibus Scriptorum historiam, & Codicum MStorum præstantiam, & commentariorum utilitatem, & eorum, qui Codices perhumaniter commodaverunt, liberalitatem, commemorabit. Quod quidem omne ut præstare posset, usus est peritia & sedulitate *Jo. Lami*, publici in Florentina Academia Ecclesiasticæ Historiæ Professoris, & Riccardianæ Bibliothecæ Præfecti, Viri alias ob lucubrationes ab eo publici juris factas, & ob iterandæ Operum celeberrimi *Jo. Meursii* editionis curam & ἐπιμέλειαν, literariæ Reipublicæ satis noti. Cum vero laboris multum & impensæ in hoc Opere absolvendo ipsi immineat, omnes bonarum artium & literarum amantes Viros ad societatem quandam secum ineundam invitat, ut, dum ipsi suppetias adveniant, pretii minoris emolumentum & ἀντίδωρον ipsi quoque àb ipso referant. Nam, cum singula Volumina quatuor Juliis Romanis ceteris omnibus emtoribus constituta sint, ii, qui cum ipso societatem inierint, tres tantum Julios pro quolibet Volumine solvent, ita tamen, ut prima vice duplum pretium primi Voluminis tradant, ultimum tandem Volumen gratis habituri. Primum autem Volumen brevi se emissurum recipit. Nos merito applaudimus laudatissimis conatibus, horumque felicissimos successus, literarum causa, serio vovemus.

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXXVI.

BULLARIUM ROMANUM, SEU NOVISSIMA & accuratissima Collectio Apostolicarum Constitutionum.

Tomus VII, VIII, IX, & X Pars I.

Romæ, apud Hieronymum Mainardi, fol. 1733, 1734, & 1735.

Tom. VII Alph. 5 plag. 4, Tom. VIII Alph. 6 plag. 7, Tom. IX Alph. 6 plag. 7, Tom. X Pars I Alph. 4. plag. 2.

Bullarium Romanum, Apostolicas Pontificum Constitutiones complectens, primum *Laertius Cherubinus* adornavit. Quod, uti usque ad *Pauli V* tempora pertexuit ipse, sic ejusdem filius, *Angelus Maria*, Monachus Cassinensis, nova collectione usque ad *Urbani VIII* Pontificatum produxit. Tandem illud ipsum Bullarium Patres *Angelus a Lantusra* & *Joannes Paulus a Roma*, Ordinis S. *Francisci* strictioris observantiæ, usque ad annum 1672, quo Præsulatum gessit *Clemens X*, continuarunt. Neque quisquam post illos fuit, qui post sexaginta annos editas a Pontificibus Constitutiones adjiceret. Prodiit quidem A. 1712 nova Bullarii editio post Romanam primam Lugduni; sed in ea non solum novæ Constitutiones non sunt additæ, sed ne veterum quidem omnes integræ sunt exhi-

exhibitæ. Itaque operæ ſe pretium facturum exiſtimavit *Hieronymus Mainardi*, Typographus Urbinas honeſtiſſimus, ſi antiquam illam editionem Romanam inde usque ab A. 1670 continuaret, & præcedentia ſex Volumina, Romæ edita, ſuis typis promeret, & denuo imprimeret. Tametſi vero in ſexto, eoque ultimo, *Tomo* laudatæ editionis Romanæ jam continentur *Clementis X* Conſtitutiones, tamen, cum ibidem aliæ omiſſæ, aliæ non ſervata temporum ratione expreſſæ eſſent, ab auſpiciis hujus Pontificatus initium capiendum duxit. Hinc *Tomus VII* continet Conſtitutiones a *Clemente X* Pontifice editas, cujus etiam imago æri inciſa huic *Tomo* eſt præmiſſa. Duravit hujus Pontificis Præſulatus, uti notum eſt, per ſex annos, ad quorum ordinem ejus hic Conſtitutiones exhibentur. Quemadmodum vero *Clemens X* ad Pontificatum evectus eſt A. 1670, ſic eodem anno inter ceteras Bullas, quarum affertur copia, hæ quoque memorantur: *de canonizatione S. Petri*
Pag. 1. *de Alcantara*. Jam *Clemens IX* quidem hunc *Petrum de Alcantara*, Ordinis Minorum S. *Franciſci* Diſcalceatorum, Sanctorum catalogo adſcripſerat una cum Sancta *Maria Magdalena de Pazzis*, ſed morte præventus Bullam expedire hac de
6. re non potuit, quam demum *Clemens X* evulgavit. Confirmatio privilegiorum pro Priore domus regularis militiæ, ſeu Ordinis militaris de Calatrava nullius Diœceſeos Toletanæ, atque extenſio ad uſum inſignium & indumentorum Epiſcopa-
20. lium, nunc primum edita hic comparet; æque ac confirmatio quarundam Conſtitutionum, pro congregatione Miſſionis in conventu generali dictæ congregationis factarum, & a particulari congregatione Prælatorum, juſſu *Clementis IX*, reviſarum
33. & emendatarum. Primum etiam jam refertur Confirmatio
34. Prioris generalis, & Decretum de aſſiſtentibus Ordinis *B. Mariæ de Monte Carmelo*, & declaratio, quod vota in congregatione Miſſionis poſt illius Apoſtolicam confirmationem emiſſa & emittenda, ab aliis, quam a ſummo Pontifice & ſuperiore generali ejuſdem congregationis, in actu dimiſſionis ab eadem congregatione licite & valide diſpenſari, commutari, aut diſ-
77. ſolvi, non poſſint. Nec impreſſa antea fuit declaratio ſuper

inno-

innovationibus factis circa provisiones Ecclesiarum Metropo-
litanarum & Cathedralium Regnorum Portugalliæ & Algar-
biorum, eorumque Indiarum & Conquistarum post decessum
Regum *Sebastiani* & *Henrici*, per eas principaliter vel acces-
sorie, sive antecedenter vel consequenter, aut concomitanter, vel
alias quoquo modo, factarum, juribus coronæ Portugalliæ nullo
modo præjudicatum esse, aut prætendi posse, sed omnia & sin-
gula, provisiones dictarum ecclesiarum quovis modo concer-
nentia, in eo statu, in quo ante innovationes hujusmodi tempo-
re præfatorum, eorumque antecessorum Regum erant, reman-
sisse & remanere in omnibus & per omnia, perinde ac si eæ-
dem nullo modo unquam factæ fuissent. Ad annum Pontifi-
catus a *Clemente X* gesti secundum hæ, nunc primum editæ
literarum monumentis, fere pertinent Constitutiones: Indultum Pag. 130.
pro Patribus congregationis Missionis, ut illius Presbyteri alio-
rum ipsius congregationis, iter cum ipsis agentium, confessio-
nes audire possint, & Generalis in singulis domibus deputare
valeat Confessarios cum facultate aperiendi & exequendi lite-
ras Pœnitentiariæ Apostolicæ: Statutum pro civitate Avenio- 152.
nensi circa ætatem & qualitates requisitas in judicibus curiæ
ordinariæ *S. Petri*, & quod Avenionenses trahi nequeant ad
Romanam curiam nisi in causis scutorum mille in sorte, &
scutorum centum in annuo reditu excedentibus, cum confirma-
tione privilegiorum universitatis dictæ civitatis, & ordinatione,
ut fundationes septem Collegiorum juxta primævam institutio-
nem serventur. Anno tertio hujus Pontificis nunc primum im-
pressa exhibetur, præter ceteras Constitutiones, Confirmatio 163.
decreti congregationis Episcoporum & regularium favore Or-
dinis Minorum *S. Francisci* de observantia provinciarum His-
paniæ super facultate eligendi conservatores non designatos in
synodo Diœcesana in civitatibus & Diœcesibus, in quibus nulli
sunt judices Synodales. Quas reliquis tribus annis sui Pontifi-
catus *Clemens X* dedit Constitutiones, eæ omnes nunc primum 225.
accedunt Bullario huic Romano aucto continuatoque. Atque
huc pertinet Confirmatio & innovatio Brevis *Pauli V*, quo
conceditur Ministro & Commissario generalibus Ordinis Fra-

trum Minorum *S. Francisci* de observantia facultas erigendi
confraternitates Chordigerorum S. *Francisci* in Ecclesiis eo-
rum Ordinis, ubi non adsint Ecclesiæ vel conventus Minorum
Conventualium, cum declaratione, quod iis licuerit & liceat e-
jusmodi confraternitates etiam in Indiis erigere, illisque indul-
Pag. 319. gentias communicare: Erectio custodiæ sub nomine immacula-
tæ conceptionis B. M. Virginis in novam provinciam cum dis-
membratione Provinciæ *S. Antonii*, Brasiliensis, Ordinis Fratrum
Minorum S. *Francisci* de observantia discalceatorum in Lusi-
325. tania: Indultum, ut puellæ Conservatorii sub titulo divinæ
providentiæ de urbe, licet meretricum sive mulierum inhone-
starum natæ vel sorores sint, nihilo minus a Deputatis Annun-
tiationis B. M. V. aliarumque Archiconfraternitatum & societa-
tum urbis ad dotes sive subsidia dotalia admitti, illaque consequi
possint, perinde ac si nec genitrices nec sorores tales haberent.

Tomus VIII continet Constitutiones ab *Innocentio XI* editas;
quas si quis primum Tomum continuati Bullarii Romani re-
putaverit, a vero haud fuerit remotissimus. Nam Bullarium
Romanum, quod non tantum emendatum auctumque, verum
etiam continuatum, sistere constituit typographus, huic Operi
sumtus suppeditans, circa A. 1672 substitit, quo adhuc ecclesiæ
Romanæ præfuit *Clemens X.* Cumque ab A. 1676 usque ad
A. 1689 dignitatem Pontificis Romani sustinuerit *Innocentius
XI*, ejusdem Constitutiones ordine Chronologico per singulos
9. Præsulatus annos exhibentur. Sic A. 1676 confirmatum est
Decretum S. Congregationis Episcoporum & Regularium, quo
statuitur, Fratres Ordinis sanctissimæ Trinitatis redemtionis
captivorum provinciæ Portugalliæ gradum supernumerarii
Magistri, Apostolicis literis concessum, assequi non posse, nisi in
35. examine idonei comprobentur. A. 1677 sistitur Constitutio,
qua Magistri aliive graduati Ordinis Prædicatorum ad nume-
rum in suis capitulis generalibus definitum reducuntur, &
Magistris generalibus interdicitur, ne in posterum supernume-
rarios eligant, ab eisque speciales gratiæ contra Constitutionum
& Capitulorum generalium dispositiones concessæ revocantur.
57. A. 1678 confirmatum est Decretum congregationis Indulgen-
tiarum

tiarum, quo Confraternitates S. S. Sacramenti fiunt participes indulgentiarum Archiconfraternitatis ejusdem nominis, in ecclesia S. *Mariæ* super Minervam de Urbe institutæ, & alia insuper indulgentia conceditur comitantibus idem sacramentum, ad infirmos pro viatico delatum. A. 1679 permissum Pag. 100.
est, ut quædam indulgentiæ, a tribus Pontificibus & duobus Legatis sanctæ sedis Confraternitatibus S. S. Rosarii concessæ, describi possent in summario indulgentiarum dictarum Confraternitatum, etiamsi earundem originales literæ non reperirentur.
A. 1680 confirmatum est Decretum Cardinalis Protectoris, 149.
quo declaratum fuit, non licere superioribus Ord. B. M. de mercede delegare autoritatem conferendi habitum Tertiariorum utriusque sexus: posse tamen eos horum curam probo
Religioso committere. A. 1681 reddita est inquisitoribus Re- 230.
gnorum Portugalliæ & Algarbiorum autoritas, quam amiserant non parendo mandatis Apostolicis, & leges nonnullæ
conditæ sunt in causis fidei servandæ. A. 1682. confirmatum 247.
est Decretum Cardinalis Protectoris circa abrogationem Commissariorum Generalium pro provinciis Indiarum Orientalium Ordinis fratrum minorum S. *Francisci* de observantia.
A. 1683 indictæ sunt tres decimæ super fructibus & pensioni- 289.
bus bonorum ecclesiasticorum totius Cleri in universa Italia, & insulis, ei adjacentibus, ob imminens bellum Turcicum. A.
1684 statutum est, ut in provincia Lugdunensi Fratrum con- 307.
gregationis Gallicanæ tertii Ordinis S. *Francisci* executioni mandaretur Breve *Clementis X* circa Fratres oblatos sive
servientes. A. 1685 concessa Ordini fratrum Prædicatorum 353.
facultas habendi plures campanas in eorum cœnobiis seu do-
mibus. A. 1686 concessa est Magno Magistro hospitalis 394.
S. *Joannis* Hierosolymitani facultas recipiendi eos Franciæ, Alverniæ, & Provinciæ, qui actu hæresin non profiteantur, ac
quædam Decreta Capituli intermedii Fratrum *B. Jo. Dei* re- 401.
gnorum Hispaniæ & Indiarum confirmata sunt. A. 1687 e- 419.
recta est in congregationem Confraternitas Bethlemitarum in Indiis Occidentalibus, ejusque novæ Constitutiones confirmatæ, & privilegia, exemtiones, atque indulgentiæ, eidem concessæ.

Pag. 523. A. 1688 electi sunt Doctores Collegii Comen. in Comites Palatinos & Equites auratæ militiæ, eisque concessa est facultas declarandi Notarios legitimos, Doctores, ac statuta condendi.
535. A. 1689 confirmatæ sunt Thesaurarii provisiones & ordinationes ac taxæ pro bono Montium Romanæ Curiæ regimine.

Tomus IX complectitur Constitutiones ab *Alexandro VIII*
Pag. 1. & *Innocentio XII* editas. A. 1689 ab *Alexandro VIII* Constitutio *Urbani VIII* pro necessitatibus locorum piorum terræ
27. sanctæ confirmata fuit & innovata. A. 1690 Indulgentiæ concessæ sunt Christi fidelibus in Indiis existentibus, & Presbyteris Societatis Jesu facultates plurimæ impertitæ, Decretumque
46. Cardinalis Protectoris super controversiis de residentia Generalis loco Capitulorum aliisque inter Generalem & quosdam religiosos Ord. *B. Jo. Dei* congregationis Hispaniæ confir-
115. matum. A. 1691 Canonizatio S. S. *Joannis de Deo* una cum
133. indulgentia in ejus festo promulgata, ac privilegia spiritualia Monachorum Congregationis Casinensium Congregationi Be-
241. nedictino - Bavaricæ concessa. A. 1692 facultas conferendi gradus scholasticos collegio S. *Antonii* Civitatis Cuscan in Indiis Occident. concessa fuit, ac Decreta circa alternativam inter Fratres Minores S. *Francisci* de Observ. Reformator. Provin-
321. ciæ S. *Nicolai* confirmata. A. 1693 Constitutio abrogationis Discretorum ad Provincias Bœticæ & Navarræ Fratrum Ca-
329. pucinorum cum nonnullis ordinationibus declaratur & ampliatur, conceditur que ac statuitur, ut studentes Cœnobiorum S. *Marci* Florentin. S. *Dominici* Fesulan. S. *Jacobi*, S. *Miniatis*, sua studia peragant in Cœnobiis strictæ observantiæ, & Le-
364. cturas obtinere queant. A. 1694 confirmatur concordia inter Fratres Provinciæ S. *Jacobi* in Hispania Ord. Min. S. *Francisci* de Observant. super divisione Provinciæ & officiorum, conceditur que alumnis provinciæ novi regni Granaten. Ord. Erem. S. *Augustini* in Indiis Occidental. facultas suscipiendi gradus scholasticos in eorum Collegio S. *Nicolai* Civitatis S.
384. Fidei. A. 1695 statuitur, ut soli Exprocurator Gen. & Lectores Theologiæ Monachorum S. *Hieronymi* Lombardiæ e-
417. ligi possint in Priores Titulares, confirmaturque Decretum Capi-

Capituli Gen. circa electionem extra Capitulum Prioris vel
Diffinitoris Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Car-
melitarum. A. 1696 dismembrantur plures Provinciæ Re- Pag. 441.
gni Sinarum a Diœcesibus Pekinen. & Nankinen. eæque com-
mittuntur Vicariis Apostolicis. A. 1697 præcipitur Archiepi- 449.
scopo Goanen. ac Episcopis Meliaporen. Crangonoren. &
Coccinen. ut observent *Clementis X* Constitutionem circa juris-
dictionem Vicariorum Apostolicorum in Oriente. A. 1698 490.
prohibetur, ne Fratres Capuccini transeant ad aliam religio-
nem contra formam in constitutione *Urbani VIII* præscriptam.
A. 1699 transfertur Valetudinarium pauperum sacerdotum de 507.
Urbe ad Palatium in Civitate Leonina cum erectione Collegii
seu Seminarii Ecclesiastici pro Presbyteris & Clericis. A.
1700 erigitur Congregatio S. *Hippolyti* hospitalis pauperum 539
infirmorum in Indiis Occidentalibus cum confirmatione Pri-
vilegiorum & Indulgentiarum.

Tomi X Pars prima continet Constitutiones *Clementis XI*, ab
A. 1700 usque ad 1713 editas. A. 1700 confirmatur Decre- 4.
tum Diffinitorii Gen. Min. de Observ. Recollectorum, quo
statuitur, ut Provincia Coloniensis restituat Provinciæ Argen-
tinensi quatuor Cœnobia. A. 1701 conceditur facultas celebran- 17.
di Capitula Provincialia singulis Provinciis Congregationis
Italiæ Eremitarum Discalc. *S. Augustini*. A. 1702 declaratur, 42.
servandam esse Constitutionem *Innocentii X* de translatione Fe-
sti S. *Francisci Xaverii*, Societatis Jesu, una cum Indulgentia. A.
1703 renovantur Conventualitates perpetuæ a Prioribus Gene- 49.
ralibus Ord. *S. Joan. Dei* concessæ. A. 1704 confirmantur 67.
Constitutiones Monachorum Vallis Umbrosæ cum suis corre-
ctionibus, additionibus, & declarationibus ad regulam *S. Bene-
dicti*. A. 1705 confirmantur & innovantur Constitutiones *Inno-* 145.
centii X & *Alexandri VII* adversus *Jansenianam* hæresin, cum
nonnullis opportunis declarationibus. A. 1706 conceditur in- 163.
dulgentia plen. perp. pro ecclesiis Ord. Militaris Crucigero-
rum cum rubea stella in festo exaltationis S. Crucis. A. 1707 185.
confirmatur Decretum congregationis Episcoporum & Regu-
larium, quo revocantur facultates concessæ Fratribus Car-

meli-

melitis Musicis Provinciæ Portugalliæ manendi extra Cœno-
Pag. 195. bia. A. 1708 damnatur & prohibetur liber sub titulo *Traité de la puissance Ecclesiastique & temporelle* &c. A. 1709
211. mandatur Ordinariis Italiæ & Generalibus Religiosorum, ut saltem bis in anno populo commendari curent necessitates ca-
213. ptivorum. A. 1710 conceditur Fratribus Carmelitis Excalc. congregationis Italiæ facultas fundandi hospitium in civitate Ulyxiponensi. A. 1711 restituitur Magno Magistro & congregationi quinque Fratrum Militum Hospitalis *S. Joan.* Hierosolym. jus super regimine trium navium bellicarum. A. 1712 confirmantur statuta reformata Universitatis & Collegii Barbitonsorum Urbis. A. 1713 confirmantur duo Decreta congregationis rituum super cultu immemorabili servi Dei liberali de Lauro Fratrum Minorum de Observant. Ceterum unusquisque Tomus suis sane locupletissimis Indicibus instructus est.

Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte, 2c.

h. e.

ACTA PACIS WESTPHALICAE PUBLICA, Autore IO. GOTHOFREDO DE MEIERN, Regis Magnæ Britanniæ & Electoris Hannoverani Consiliario Aulico.

Tomus VI.

Hannoveræ, apud I. A. Gercken, 1736, fol.
Alph. 11 plag. 11.

Suffecturum quidem credimus Lectoribus nostris solum hunc lætum nuntium, quod postremus in lucem exierit *Tomus* Operis præclarissimi & immortalitate digni. Cum enim jam perspecta ipsis sit hujus Operis præstantia, vel non præsantibus nobis cupide involabunt in *Tomum* hunc postremum. Attamen, ne omni prægustu fraudare videamur nostros

ſtros Lectores, pauca de hoc *Volumine* commemorabimus. Exhibet ſcilicet hic Illuſtris Autor, quæ acta fuerint in pacificatione Weſtphalica inde a menſe Junio anni 1648 usque ad exitum totius illius irenici negotii. Ac in *Libro* quidem *XLII* relatas legimus diſputationes de ſolvenda Suecis pecunia, de qua convenerat. Quod argumentum in *Libro XLIII* continuatur, adjuncta relatione, quid actum ſit de executione atque aſſecuratione hujus pacis. Docetur ibidem, quomodo pacificatio inter Imperium & Regnum Sueciæ ſit ad finem perducta: ac *pag. 128 – 172* exhibetur *Inſtrumentum Pacis Caſareo-Suecicum.* In *Libro XLIV*, poſtquam gravamina nonnulla ſunt exhibita una cum eorum ſublatione, copioſe deſcribitur incluſio Reformatorum in Pacem religioſam. In *Libro XLV* narrantur diſputationes Gallorum de pace cum ſuo Rege ineunda multiplices, deſinentes in optatum utrinque hujus negotii exitum. Hic *pag. 373 – 394* exhibetur *Inſtrumentum Pacis* a Gallis Legatis d. 11 Sept. A. 1648 Cæſareanis oblatum. In *Libro XLVI* legimus concertationes de ſatisfactione Ducibus Luneburgo - Brunſuicenſibus, itemque Meclenburgico Duci, præſtanda. In *Libro XLVIII* exponitur, quomodo poſt nonnullas, easque varii generis, diſſenſiones tandem ſubſcriptum fuerit Inſtrumento Pacis, ſive Formulæ pacificationis. In tribus poſtremis *Libris* de executione eorum, quæ transacta erant, agitur: ubi multæ novæ lites commemorantur, earumque compoſitio. Jam libet vel unum alterumque hujus *Tomi* argumentum intueri propius, & primo quidem oculos convertere noſtros ad plenam relationem, quæ *Lib. XLIV §. 16 ſeq.* exhibetur, de receptione Reformatorum in Pacem religioſam; qua relatione illuſtratur Inſtrumenti Pacis Cæſareo-Suecici Articulus ſeptimus. Repetiit vero in hac Relatione Generoſiſſimus Autor ea quoque remiſſive, quæ ſuperioribus in *Tomis* hoc ipſo de argumento occurrunt: ut adeo tota hujus rei hiſtoria hic inveniatur pleniſſime contexta & accuratiſſime. Scilicet Legati Suecici poſtularant, ut & Reformati comprehenderentur Pace religioſa: Legatique Cæſarei aſſenſerant. Lutherani vero Legati putabant, prius proſpicien-

 dum

dum esse securitati Lutheranorum, in Reformatorum Principum terris viventium. Id ita justum habebant Suecici, ut vel ob id, Reformatos jure Lutheranos suos cives reformandi excidere, contenderent, quod ipsi velint haberi socii Augustanæ Confessionis. Jam igitur Lutherani Legati a Reformatis postulabant, ut non solum iis Lutheranis permitterent liberum religionis exercitium, quos jam haberent ditioni suæ subjectos, sed &, si posthac in potestatem ipsorum venerint regiones Lutheranis abundantes, relinquerent his libertatem ecclesiasticam. Cui rei assentiebantur Legati Reformati ita, ut vicissim postularent, ut & Lutherani Principes, si cives acciperent Reformatos, non cogerent eos mutare sacra, sed ipsis pariter relinquerent religionem suam liberam. Deliberabatur postea de *termino a quo*, aliis ad annum 1618, aliis ad 1620, restringere conantibus usum religionis Reformatæ, ut scilicet Reformata religio eo maneret in statu, quo fuerat illo anno. Inter hæc Legati Batavorum literas mittebant ad Evangelicos sive Lutheranos, quibus petebant ab ipsis, ut ob utilitatem publicam æquales esse sibi ratione religionis Reformatos paterentur. Ex eo tempore Evangelici Legati Suecis tres formulas exhibebant: ex quibus illam approbabant Sueci, qua primo Reformatis Statibus securitas conceditur, ita tamen, ut salva sint pacta, quæ cum Lutheranis suis civibus de religione inierint; deinde cum Reformatus, tum Lutheranus quisque Princeps, si hic regionem Lutheranam, vel ille regionem Reformatam adjiciat ditioni suæ, non debet suam imperare novis civibus religionem. Post varia *Projecta*, quæ vocant, & exhibita, & discussa, tandem illa formula Instrumento Pacis inserta est, quæ in §. XXXVII hic exhibetur. E *Libri XLVII §. 8* hoc liceat commemorare, quod, cum jam in eo esset, ut pacificationis negotium concluderetur, Legati Cæsarei moram injiciebant causando, se, quam ab Imperatore acceperint declarationem de singulis Articulis Instrumenti Pacis, nondum legere posse, cryptographice scilicet scriptam per numeros: itaque se ad Cæsarem scripturos, & intra viginti dies responsionem expectare. Simul gravissimis verbis affirmabant, clavem illius

lius arcanæ scripturæ se invenire nondum potuisse. Legatus quidam Catholicus suasor tum iis erat jocosus, ut Nuntium adirent Pontificis, habentem quippe clavem ligandi & solvendi. Protestantium vero Legati, ægerrime ferentes, ea re pacem retardari, petebant a Cæsareis, ut consentirent sub spe rati. Sed nec hoc iis persuaderi potuit. Paucis tamen diebus post *Volmarus*, Legatus Cæsareus, renuntiabat, se reperisse clavem, aperiebatque sui domini sententiam. Ac ita tandem (§. XXII) post multas difficultates (nulla enim pars satis uberes ex hac pacificatione fructus percepisse sibi videbatur,) subscriptio Instrumenti Pacis facta est d. $\frac{14}{24}$ Octobris anni 1648. Nondum vero ita finita erant omnia, novis jam difficultatibus ratificationi pariter ac executioni pacis objectis: quæ sequentibus in *Libris* accurate commemorantur. Scilicet verebantur Sueci, ne, si exiret Germania suus exercitus ante præstitam executionem pactorum, plures subitura sit promissionum suarum oblivio. Ne igitur pax careret effectu, nec munimentis excedebant, nec Germaniam relinquebant ante, quam ab utraque parte præstitum esset, quod promissum fuerat. Ipsi quoque Protestantes metuebant, ne vetus illud: *Hæreticis non est servanda fides*, sibi futurum sit fraudi. Quare, ut *Lib. L* §. *16* & *17* narratur, eorum Legati adibant Legatos Cæsareos, & graviter monebant eos, non sufficere, promissa chartæ mandata esse, sed ea re vera præstanda esse; jam multum effluxisse temporis, & tamen præstitum esse perparum. Simul docebant, quam multis e rebus appareat, multos Catholicos Principes post abitum Suecorum nihil rerum promissarum esse præstituros. Sed plura hac de re dicemus, cum venerint in manus nostras, quæ Illustris Autor semel iterumque hic promittit, Acta executionis pacificatoriæ, sive Historia tractationum executoriarum Noribergensium. Nec silentio prætereundum nobis est, in ejus, quem nunc tractamus, *Tomi* Præfatione promitti quoque luculentam hujus Operis Appendicem, in qua primo Index ejus triplex exhibebitur, nominalis, chronologicus, & realis; deinde utrumque *Pacis Instrumentum* sistetur, & quidem sincerissime emendatissimeque exscriptum; tum accedet *Contareni*, Legati Veneti, de actis pacifica-

cificationis Westphalicæ relatio editione dignissima; narratio item de Helvetiorum a jurisdictione Imperiali exemtione ibidem facta: ac denique vitæ omnium illorum Legatorum, qui pacificationi huic interfuerunt. Ante vero, quam Volumen hoc prodeat in publicum, emittet Generosissimus Autor *Adami*, Episcopi Helenopolitani, (qui ipse pars hujus pacificationis fuit, &, quæ vidit, quæque audivit, fidelissime ac simul πραγματικῶς exposuit,) *Relationem de pacificatione Westphalica*, ex ipsius autoris MSto. Est quidem hic liber jam A. 1697 & iterum A. 1707 editus; sed nova editio non solum correctior erit, verum etiam locupletior. Ultimo loco commemorandum ducimus, ejus, quem recensuimus nunc, *Tomi* postremam paginam ornatam esse imagine templi Pacis Romani, eamque occasionem arripuisse Autorem nostrum, harum quoque elegantiarum peritissimum, in Præfatione exponendi historiam illius templi ex intimis antiquitatis recessibus.

NUOVO SISTEMA DELL' ORIGINE O PRINcipio della Podagra, &c.

h. e.

NOVUM SYSTEMA DE ORIGINE SEU principio Podagræ, ejusque remediis; Opus Physico-Medico-Chymicum MICHAELIS PINELLI, Florentini Professoris Pharmaciæ & Chymiæ; cui accedunt variæ quarundam Academiarum aliorumque Medicorum de eodem argumento ad Autorem conscriptæ Epistolæ, cum ejusdem Responsionibus: dedicatum Sanctitati suæ Papæ CLEMENTI XII.

Romæ, ex officina Petri Ferri, 1734. 4.
Alph. 2 plag. 4.

Ut & officio suo, quod cum laude magnoque artis medicæ successu in Academia sua sustinet, & optatæ dudum omnibus rerum

rerum per principia demonſtrationi ſatisfaceret Autor, ſtatim ab initio declarat, plurium morborum cauſas analyſi chymica cognoſci poſſe ac debere. Neque enim clarius ullum aliud laturum quempiam judicium exiſtimat de hiſtoria hydropiſios phtiſiosque, illo, quod petitur ex deſtillatione ſputi in hac, aquæ vero in illa luxuriantis, adeoque & podagricorum cruciatus pro invenienda cauſa & remedio poſtulare, ut eorundem ſanguis, urina, ſudor tophi, aliaque excrementa, analyſi ignis chymici exponantur. Quod ſi facere ſuſcipiant Medici, ſecuros eſſe ab errore eosdem jubet in omni morborum familia, quam, tribus millibus & ultra ægritudinum generibus numeroſam, minori damno in genus humanum ſævituram certo pollicetur, ex quo per ignem cauſas morborum experiri voluerint naturæ magiſtri. Fieri id poſſe declarat, in genere monendo, omnes afflictiones corporis humani fomitem habere ſanguinem, vel ſalibus abundantem ob ſeri defectum, adeoque corroſivum factum, prout id in affectibus ſcorbuticis & rhevmaticis clarum eſt, vel iisdem prorſus carentem, unde apoplexiæ, paralyſes, lethargi. Quandoquidem autem præter ſalia ſanguinis & pars quædam ejus eſt inflammabilis & ſulphurea, quam bilem appellare licet; haud obſcure innoteſcit, & illam quandoque accuſari debere in morbis inflammatoriis. Interim ſalium, quæ ſunt præ reliquis humores conſtituentibus principiis & nobiliſſima & maxime activa, natura ea exiſtit, ut, quamvis id Autori ipſi placitis vulgarium ſcholarum minus gratum fore videatur, ab iisdem merito cauſarum morbificarum declaratio ſit deſumenda. Neque vero reliquas Medicinæ diſciplinas usque adeo a negotio hoc alienas putat, ut non nobiliſſima earundem diſquiſitione auxiliatrices manus porrigi poſſe in detegendis latentium cauſarum ſignis ultro fateatur. Anatomiam certe & Chymiam junctim omni ævo antiquitus ignoratarum veritatum parentes fuiſſe, pluribus exponit, &, quamvis impoſſibile viſum fuerit hactenus pluribus, invenire remedium podagræ, pluribus etiam periculoſum, & cum vitæ diſpendio junctum, tangere velle podagram, nihilo minus, inductus exemplis magnorum in arte virorum, *Paracelſi*,

Helmontii, Rulandi, quorum finguli de fpecifico quodam antipodagrico gloriati fint, & fe quidpiam de fuo additurum in tantorum dolorum folatium, fpondet. Ne vero experientia faltem hoc conftitiffe quispiam arbitretur rationalis Medicus futurus, principii, quo in demonftrando ufurus eft, naturam exponit, ejusque evidentiam effectu claram fore promittit, quandoquidem iftius rei teftimonium editura fint ignota hactenus & abfcondita podagricorum folamina. De fulphure accenfo in fynovia *Paracelfi*, de acido *Helmontii*, *Willifii*, aliorumque, pro veris podagræ caufis habito, fic difputat, ut facile appareat, quamvis acidi termino quandoque ufus fit, eidem tamen crudo fic fenfu acidum non accipi, ut unum pone alterum in fanguine humano exiftere ftatuat, quandoquidem erudite admodum ab eodem demonftratum fit, nec in eodem loco fine deftructione utriusque utrumque fal confiftere poffe, nec acidum vafa lactea fubire, nec nifi in excrementis podagricorum acidum apparere. Alcali autem volatile non immerito fufpicatur iftas dolorum in podagricis tragœdias ludere, fiquidem Chymia doceat, nihil acidi ufpiam in fanguine, plurimum tamen alcalini volatilis, reperiri, cujus falis fefe multiplicandi modus, cum non nifi parum ejus in femine humano reperiatur, fimilis fit vegetationi, qua ex paucioribus acidi fpiculis, quæ in glande reperiuntur, plurimæ denique libræ fpiritus acidi fiunt, qui
Pag. 49. ex quercus ligno deftillantur. Alcali iftius dolorifici origo aliquando ipfa eft nativitas, & infitum ovulo *fermentum podagræ;* aliquando vitio diætæ, vitæ maxime fedentariæ abufui, & longiori jufto ejus confuetudini, adfcribitur. Non obfcure falina volatilis caufæ iftius dolorificæ in articulis conditio agnofcitur, quandoquidem ex aucta transfpiratione infenfibili & urinæ fecretione promota podagrici non leve auxilium percipiant, id quod de mobilitate ejus teftari poffit. Sanguinis podagrici pletorici refolutio chymica docuit, ejus libram unam, decem uncias, phlegmatis fcrupulos fex, & grana quindecim partis oleofæ combuftibilis, drachmam unam & grana octo falis volatilis alcalini, drachmam vero dimidiam falis alcalini fixi, exhibuiffe. Ex quo colligit, fal volatile abundans podagri-

corum

corum doloris, sulphuream vero partem inflammationis plerumque concurrentis, causam existere. Urinæ ejusdem ægri analysis experimento prægresso fidem uberiorem fecit. Inde saluberrima emanant consilia, suffulta ratiociniis practicis, quæ indicationes dici solent. Prima est: Evacuetur quantocyus alcali istud ferocissimum, cujus spiculis tendinosæ & summe sensiles ligamentorum in articulis partes excruciantur. Altera: Insinuetur sanguini oleosa medicina homogenea sanguinis nativo sulphuri, qua obduci & ad ictum inepta reddi spicula isthæc podagrifici in humoribus salis possint. Tertia, eaque primaria Autori, est: Roboretur ventriculus & fibra, quo chylus oleo abundans & parte butyracea sua luxurians ex cibis elaborari possit. Ex tribus istis salutis fontibus hauriuntur remedia, quæ omnibus magnam sui expectationem, imo fiduciam, facere possunt ac debent.

AN ESSAY ON THE GOUT &c.

h. e.

TENTAMEN DE PODAGRA, QUO METHODUS proponitur sublevandæ hereditariæ, & curandæ acquisitæ podagræ, (maxime si cura ante ætatem vergentem suscepta fuerit,) eadem certitudine, qua intermittentes cortice curantur; in specie methodus diætæ, exercitiorum &c. qua in hoc aliisque morbis chronicis utendum est, exponitur, temperantia, & in casibus quibusdam magna abstinentia, inculcatur, errores a recentioribus quibusdam Autoribus hoc in capite commissi recensentur & refutantur, ultimo loco exempla & historiæ triplicis generis adducuntur ad confirmandam sententiam & methodum suam, quam proposuit: nempe 1) Historia eorum, qui bene & fortiter valuerunt ad maturam ætatem, hac methodo usi, 2) eorum, qui variis morbis & pessimis habitualibus evaserunt, 3) eorum, qui vel

vel sublevati vel prorsus curati podagra hac methodo fuerunt. Autore T. BENNET, M. D.

Londini, impensis Richard Ford, 1734. 8.
Plag. 17.

Se pervulgati istius, quod de podagra per Angliam dici solet, *patientiam, sericum, & ptisanam, unicum ejus solatium esse*, fidem suspectam & prorsus irritam facturum, statim ab initio pollicetur Autor. Inevitabile istud plurimorum deficiente ætate fatum prorsus mechanice ex fibrarum vasorumque rigiditate, & diametro eorundem hinc minus capaci, & subsequente hinc transspiratione læsa, & ad infarctum, si competens materia detur, proclivitate, deducitur. Fomes istius mali acrimonia est, diætæ erroribus contracta, qua machinæ corporum nostrorum, circa extremitates vasorum oppletæ, dolendi & lancinantes cruciatus persentiscendi necessitas imponitur. Inde est quod vegetior ætas, *Sanctoriana* perspirationis beneficio usa, plerumque ab isto articulorum tyranno partim vapulet, a quo si male habeatur, hæreditarium esse malum, judicat Autor, solatium magis, quam medelam, admittens. Aliter longe sese res habet in malo podagrico diætæ erroribus contracto, quod insuperabile pronuntiasse, timidi sibique parum fidentis Medici esset. Indicationes, quibus curatio nititur, variæ sunt. Prima imperat medicamentorum animalium & vegetabilium usum, quibus per assimilitationem sanguini adjudicatis, possit suppleri defectus nobilium partium pro corrigenda acrimonia: quandoquidem *Sydenhamii* judicio ad indigestionem, quæ universalis humorum corruptelæ causa sit, provocet. Inde diætæ, in selectu nutrimentorum convenientium consistentis, nobilitatem prædicat, cum plurimum intersit, quales, quanti, & quo tempore, cibi potusque assumantur, tempore grassantis, an quiescentis, mali, & quales evitandi sint. Magnam Autori gratiam referunt generosa vina, quæ a suspicione, in vulgus recepta, longissime abesse pronuntiantur, cum tantum absit, ut podagræ nascendi opportunitatem faciant, ut potius, in quantum cordis elaterem pro superanda vasorum rigidiorum resistentia augent,

gent, ex primariis ejus esse possint remediis, si mediocris sit eorundem usus, & aquea diæta mixtus. De meritis sane aquarum in evitando aliquo tempore articulorum cruciatu & rationes & exempla profert. Non inferior est dignitate & præstantia exercitiorum corporis legitimus usus, cujus olim apud Gymnasticæ artis doctores decantatissima exstitit virtus. Equitatus præ reliquis est, qui commendatissimus efficitur, partim quod isthoc motuum corporeorum genere transspiratio *Sanctoriana* auctior fieri, adeoque & appetitus vegetior inde & digestio correctior reddi possit, partim quod equorum cultura, eosdemque regendi artificium, maximorum semper ingeniorum amor & desiderium fuerit. Adduntur frictionis beneficia in partes dolentes, quarum perspiratio plerumque læsa sic optime restituitur, adeoque evacuationis serosæ mensura augetur, si cutis pori probe depexi diametros patentiores impetrant. Altera curandi morbi articularis methodus, quodsi humores jam vitium contraxerint, remedia imperat, quibus acrimonia seri obtundi penitusque corrigi possit. Quodsi acrimoniæ istius natura cognita minus fuerit, emollientia & temperantia utrinque satisfactura pollicetur, ex quibus potissimum seligendæ sint herbæ macilaginosæ radices, & semina ejusdem indolis, cum diæta lactis; malvæ & meliloti flores, lactucæ, spinachiæ cichorei, betæ, mercurialis, herbæ non ignobiliorem effectum editura sunt. Evacuantia corrigentibus admiscenda sunt, sive quæ alvo, sive quæ diuresi, sive quæ transspiratione fluidiore facta fomitem mali educunt, quorsum, præter decocta herbarum amararum, aquæ etiam chalybeatæ & amaræ pertinent. Fortiora tamen purgantia grassante paroxysmo minus conveniunt, quandoquidem ex sententia *Sydenhamii*, magni Anglorum *Hippocratis*, vires imminutæ isthoc medicamentorum genere, expellendæ commodiori via causæ morbificæ postea suffecturæ non sint. Omnis enim paroxysmus podagricus est actio naturæ, qua illa inimitabilem arti purgationem articulorum suscipere aggreditur, &, prout ille eloquitur, est profundissima & lentissima purgatio senilis sanguinis. Lentiora tamen intervallis repetita conveniunt la- Pag. 45.

 xantia

xantia, nec debere esse podagricum, consulit, quin semel in septimana alvum mannæ subducere, & singulis noctibus post purgationem paregoricum quodpiam assumere velit. Reliqua expectationi eorum satisfacient, quibus cum exoso isto hospite res est, quibus, ut consilio cum successu utantur, apprecamur.

HISTOIRE NATURELLE DE L'UNIvers, &c.

h. e.

HISTORIA NATURALIS TOTIUS UNIversi, in qua afferuntur rationes physicæ effectuum maxime singularium naturæ; Autore COLUMNA, Nobili Romano.

Tomus I & II.

Parisiis, apud Andr. Cailleau, 1734, 12.
Alph. 3½. cum Tabb. æn. 5.

Franciscus Maria Pompejus Columna, filius naturalis & unicus *Pompeji Columnæ*, Principis de Gallicano, natus Romæ A. 1644, vixit a juventute Parisiis, literarum studiis deditus, ac doctissimis hominibus familiaris. Periit A. 1726, domus suæ incendio, cujus ipse imprudens autor fuisse fertur, annum ætatis alterum agens supra octogesimum. Inter varios, quos conscripsit, libros, partim editos, partim in posterum fortassis edendos, præsens haud dubie præcipuus est, quo historiam naturalem, post *Plinii* tempora vehementer amplificatam, ita persequi constituit, ut & præcipua naturæ opera, & eorum genuinæ rationes, in compendio exstarent. Si quædam capita respicias, homo non temere credulus fuit. Multa ex optimis Autoribus hausit; sed & passim memoriæ & rumoribus haud satis certis confisus est. Rationes effectuum naturalium interdum non contemnendas affert; hypothesibus tamen suis identidem serviens: acer morum censor, totique humano generi, & sexui inprimis elegantiori, valde iniquus.

Duo

Duo priora, quæ nunc prodierunt, libri hujus Volumina tribus constant Partibus. Quarum una de cœlo & astris agit, itemque de nonnullis meteoris: altera de globo terrestri, ejusque formatione & mutationibus, de montium & planitierum natura & varietate, de ignibus & aquis subterraneis, harumque circuitu: tertia de tribus naturæ regnis generatim, deinde de salibus, de arenis, de lapidibus, tam vulgaribus, quam pretiosis, de magnete & variorum corporum magnetismo, ac denique de metallis & mineralibus. Jam, quod attinet ad tres reliquas libri Partes, propediem expectandas, in iis actum iri docet Nobiliss. Editor *de Gosmond*, primo quidem loco de æstu maris, de tempestatibus & meteoris, de historia plantarum; porro de animalibus & homine; postremo de systemate quodam generali ventorum. Atque hæc est Operis præsentis dispositio. Restat, ut nonnulla Autoris placita exempli loco proponamus. In doctrina de cœlo & astris se Copernicanum aperte profiteri non veretur. Syderum mutuos influxus, Astrologis non mediocriter favens, passim adstruit. Cometarum alios malignos, alios beneficos & salutares, statuit. Tellurem nostram tanquam sydus maxime maleficum accusat, ejusque vapores & halitus plane infaustos censet. Quid enim aliud judicandum est, inquit, respicientibus ad vapores tot ignium, quos in sinu suo terra fovet? ad tantam vim sulphuris, arsenici, auripigmenti, similiumque rerum? ad tot animalia venenata, tot bestias ferocissimas, & oppido noxias? inprimis vero ad ipsum hominem, qui sine dubio cuncta reliqua animalia pravitate superat? Igitur, cum Marte & Saturno in unam malignorum planetarum classem collocandam esse terram, decernit. *Tournefortius* lapides, perinde ut plantas, crescere & vegetare, vi principii alicujus interni & seminalis, arbitratus est. At Noster, integros etiam montes hoc modo generari, vegetare, ac postremo mori, opinatur, ad cautes quasdam, in nescio quo agro Galliæ natas, itemque ad insulas illas novas, hoc est, montes marinos, vi ignis & spiritus subterranei ejectos & conflatos, atque ad alias res similes, provocans. Effectus & vires magnetis, non, ut in

corporibus electricis, materiæ alicui propriæ, sed eidem materiæ subtilissimæ cœlesti, adscribit, a qua motum ipsius telluris oriri arbitratur. Hanc materiam per fibrarum magneticarum alterutram extremitatem, atque adeo circa magnetis polum, (quem septentrionalem esse hariolatur,) intrare, & per partes oppositas erumpere, eaque ratione exiguum quendam formare vorticem, docet, ineffabili rapiditate perpetuo circumactum, & universis phænomenis magneticis sufficientem. Dubium non est, quin corpuscula infinite parva, quæ ab universis fere corporibus exhalantur, multos admirandos producant effectus. *Vallemontius* in libro, quem de virgula divina & Philosophia occulta conscripsit, compluribus exemplis hoc demonstrare conatus est. Noster, huic dogmati vehementer assentiens, exhalationes venenatas bufonis in causa esse narrat, quod mustela in rictum istius exosi animalis ultro irruat. Quantumvis vero stupendus hic effectus videri possit, ego tamen, inquit Autor, illum longe potiorem puto, quem quotidie in animali, tam præstante ratione prædito, quale homo se esse gloriatur, proficisci a muliere videmus. Invitus enim ab ea trahitur identidem, perinde ut mustela a bufone, & contra omnem rationem ad stultissimas actiones cogitur. De cetero etiam virorum exhalationes multum in mulieres posse memorat. Negat, eos esse superstitionis accusandos, qui animalia & homines (inprimis ægrotos) aliis nocere adspectu, sive oculorum exhalationibus, posse opinantur. Ea re exemplum miselli homuncionis affert, sua ætate Neapoli ultricibus flammis exusti, propterea quod in tormentis confessus esset, se Episcopum quendam, & alios homines, feroce suo adspectu necuisse. Non magis Astronomiam Astrologi, quam Chemiam Alchemici, qui aurum parturiunt, corrupisse videntur. *Columna* noster utriusque hominum generis patronus exstitit. Ut in montibus & saxis, ita etiam in metallis, veram aliquam essentiam seminalem deprehendit, quam non difficulter in suam naturam transmutare materiam cognatam posse existimat, perinde scilicet ut a semine plantarum humorem telluris transmutari observamus. Itaque semen auri vel argenti in suam

natu-

naturam convertere valet hydrargyrum, ex quo omnia metalla constant; atque ipse Autor noster, pulvere auri seminalis, unius grani, plus quam sex mille grana hydrargyri, sua manu in aurum transmutavit. Sed satis ad præsens de hoc libro dictum videtur: de reliquis ejus Partibus proxime dicendum erit.

TRATTATI VARI, FATTE IN DIVERSE occasioni, &c.

h. e.

TRACTATUS VARII, VARIIS OCCASIONIBUS conscripti a Doctore JOSEPHO DEL PAPA, primo Medico Magni Ducis Hetruriæ.

Florentiæ, apud Tartinos & Francos, 1734, 4.
Alph. 1 plag. $6\frac{1}{2}$, Tab. æn. 1.

Doctiss. Autor, jam senex, & nonnullis aliis scriptis inter Italos clarus, etiam hæc sua Schediasmata, variis temporibus composita, flagitantibus typographis permisit. Cum non nimis magni momenti esse videantur, brevissimis ea recensebimus. Et illud quidem, quod primo loco positum est, doctrinam complectitur de sphæra mundi, ex sententia *Aristotelis* & *Ptolemai;* alterum conclusiones quasdam & succinctas theses ex Philosophia naturali. Sequuntur Epistolæ duæ, de cometa anni 1680, & una, contra *Aristotelicam* antiperistasin. Cometas ingentia esse volumina existimat vaporum, ex terra aliisve corporibus mundi majoribus exspiratorum, & supra sphæram attractionis & gravitatis elatorum: de hujusmodi magno volumine singulos spectatores non nisi singulas partes videre, satis exiguas, planeque diversas: ideoque eos falli, qui, se totum intueri cometæ corpus, & de ejus vero loco, ex collatis aliorum observationibus, judicare posse, opinantur: caudam cometæ esse partem ejus oculo in certo situ, per radios solares varie refractos, visibilem: ob eamque rem neque hoc phænomenon esse unum & constans; de cetero vehementer errare, qui cometas nescio quorum malorum nuntios censent, etsi fieri omnino possit, ut certa quædam aeris constitutio sicca sem-

per sit cum iis conjuncta. Sextum locum inter Autoris nostri Schediasmata occupat Discursus de morbosis quibusdam accidentibus, ortis ex tractatione vernicis Chinensis: septimum Discursus de gravitate, circa quam nihil Autor definit, sed saltem *Aristotelis* sententiam refellit: octavum Refutatio Medicorum quorundam veterum, qui vapores & flatus ex visceribus infimi ventris ad caput assurgere posse statuerunt: nonum Gratiarum actio ad Academicos de Crusca: decimum Discursus de natura malorum contagiosorum, & de purgandis mercibus, quæ ex locis suspectis afferuntur: undecimum Epistola de productione inusitatorum quorundam calculorum vesicæ: duodecimum, decimum tertium, & quartum, tres Epistolæ de vinis & aquis Hetruscis, & de curando Principe Hispanico, *Carolo*, variolis laborante: decimum quintum Consilia quædam medica: denique postremum Carmina nonnulla.

IOANNIS BURCHARDI MENCKENII DISSERtationum Academicarum, quibus selectissima omnis generis Historiarum, Antiquitatum inprimis, nec non Philosophiæ moralis, & Juris Publici, argumenta explicantur, Decas. Edidit, & Vitam Autoris, cum JO. ERHARDI KAPPII, celeberrimi Viri, in memoriam MENCKENII publice dicto Panegyrico, præmisit, denique Indicem rerum copiosum adjecit, FRID. OTTO MENCKENIUS, JO. BURCH. Fil.

Lipsiæ, sumtibus Mich. Blochbergeri, 1734, 8.
Alph. 1 plag. 20 $\frac{1}{2}$.

B. noster *Menckenius* cum & selecta argumenta tractarit in suis Academicis Disputationibus, & eruditissimam iis adhibuerit elaborationem, jam dudum fuerunt, qui dolerent, vix notas esse eas extra terram natalem. Ne igitur vel dolori huic, vel exterorum desiderio, & in posterum præbeatur materia, Filius faciendum sibi putavit, ut eas conjuncte recusas in orbem emitteret. Præmisit autem Vitam Patris, quantum fieri potuit, plenissime descriptam; a cujus tamen recensione nobis absti-

abstinendum putamus, cum breviorem quidem illam, sed ipsam quoque omnibus placituram, *Menckenii* vitam, ab eodem Filio expositam, jam in his *Actis* exhibuerimus *Anno 1732 Mense Majo pag. 233 seq.* Illud tamen prædicimus, lectu jucundam viris doctis futuram & hanc uberiorem de vita & meritis B. *Menckenii* narrationem, & subjunctam ei Orationem parentatem Cl. nostri *Kappii*. Accingimus jam nos ad contemplandas, quæ hic exhibentur, Dissertationes. Etsi vero moris institutique nostri non est, libellos jam veteres recensere diductius; tamen singularia quædam licebit e singulis vel primoribus attingere digitis. *Prima* igitur in Dissertatione e nummis illustratur *Augustorum Augustarumque consecratio*. Hic §. *VI* falli discimus *Tacitum*, divinos honores Imperatoribus non ante haberi, scribentem, *quam agere inter homines desierint*. Afferuntur enim in contrarium non *Augusti* solum, sed alia quoque exempla luculenta. Ipsi vero ritus consecrationis illustrantur hic non modo Historicorum, verum etiam numorum æri incisorum, testimoniis: quem eundem in modum deinceps describuntur hujus consecrationis effectus, veneratio scilicet eorum, qui consecrati fuerant, instar Deorum, templorum dedicatio iis facta, sacrificia iis præbita, ludorum in eorum honorem commissio, & alia nonulla. Disputatio *secunda* inscripta est *de eo, quod decorum est*. Hic, præmissa more Philosophorum justa *decori* definitione, partes decori distincte & ordine persecutus est Autor, præstantiumque cum sententiarum, tum exemplorum, interjectione lectionem hujus Dissertationis reddidit jucundissimam. *Tertia* Dissertatio est *de Monogrammate* ☧, quo signabatur olim nomen Servatoris nostri. Hic prius ostenditur, jam ante natum Christum usitatum fuisse signum hoc, sed eo nihil aliud significatum esse, quam nomen monetarii, sive is *Chrysanthus*, sive *Chrysodorus*, sive *Chrysippus*, vocaretur. Tum docetur, nec post Christum natum ea nota semper indicatum fuisse *Christum*, sed Criticos quoque illo modo designasse suum χρήσιμον. Ad ultimum, quicquid de Monogrammate illo, quatenus Christi nomen exhibet, reperitur in omnis ætatis omniumque gentium

tium

tium libris, accurato ordine justaque adhibita consideratione & explicatione hic afferri, fatendum est. *Quarta* Disputatio rursus est philosophica. Agitur enim ibi *περὶ τοῦ ἀρέσκοντος*, sive *de eo, quod placet.* Dignus potissimum finis hujus libelli est, qui inspiciatur. Docetur enim ibi primo, quibus artibus, ut placeamus honestis hominibus, efficiatur; deinde ii notantur, qui sibi ipsis placent, etiamsi optimo cuique displiceant. Dissertatio *quinta* id considerat, quod *justum est circa testimonia Historicorum.* Illud potissimum hic inquiritur, an & quomodo testimonia Historicorum probent in judiciis civilibus. Post multa docte varieque disputata, arbitrio judicis relinquendum censetur, quantum probent historiæ. *Sexta Græcarum & Latinarum literarum in Misnia instauratores* laudat. Sunt hi *Conradus Celtes, Hermannus Buschius, Jo. Ragius Æsticampianus, Georgius Heltus, Richardus Crocus, Caspar Bornerus, Petrus Mosellanus, Joannes Rivius, Adamus Siberus, Georgius Fabricius, Joachimus Camerarius*, paucique alii, quorum hic renovatur, multisque præconiis ornatur, memoria. *Septima* Dissertatio est *de Caroli V. Imp. nævis politicis.* Non tamen omnes & singulos illius *Caroli* errores politicos persequitur Autor, sed illos tantum, quos admisit, cum exteris, inprimis Belgis, justo magis deditus fuit, ea re alienans a se & Hispanos & Germanos; cum item *Ferdinando* fratri præmature contulit dignitatem Regis Romanorum; denique cum *Philippo* filio nuptias cum *Maria* Angla conciliavit probrosis conditionibus. *Octava* præcipue placebit non solum JCtis Germaniæ elegantioribus, sed universis patriarum antiquitatum amatoribus. E tenebris enim hic eruitur historia occulti judicii Westphalici, cujus Scabini *Feimerorum* nomen gerebant. *Nona* est *de Commentariis illis historicis, quos Galli Memoires vocant.* Accurata hic exhibetur talium *Memoriarum* recensio, adjuncto justo de singulis judicio. *Decima*, eademque postrema, agit *de Electoratu Saxoniæ, Friderico Bellicoso jure meritoque collato.* Hic de Saxoniæ Regibus, Ducibus, atque Electoribus, qui *Fridericum* illum præcesserunt, præfatus Autor, causas affert justissimas, cur is vacuefa-

ctum

ctum Saxoniæ Electoratum sit adeptus: tum, *Ericum IV*, Ducem Lauenburgicum, *Fridericum* item Brandeburgicum, & *Ludovicum* Palatinum, caruisse, docet, satis justis causis postulandi, ut sibi potius Electoratus ille traderetur: denique jura & privilegia Electoris Saxoniæ, non universa, sed tantummodo propria, enarrat.

JOANNIS BURCHARDI ET FRIDERICI OTTONIS MENCKENIORUM, Patris & Filii, Bibliotheca Virorum militia æque ac scriptis illustrium.

Lipsiæ, apud hæredes Lankisios, 1734, 8.
Alph. 1 plag. 8½.

Si quis forte recensionem modo laudatæ *Decadis* nostram intuitus, frustra ibi requisivit *Menckenianam de Viris militia æque, ac scriptis, illustribus* Dissertationem, magno quondam applausu exceptam; is libro hoc in manus suas dato suaviter acquiescet, cum cognoverit, eam hic reddi reipublicæ literariæ a Filio vehementer auctam & locupletatam. Ac potiores omnino hic sunt Filii partes, quippe qui tot tantisque additamentis priorem ornavit Dissertationem, ut nunc liber vocari mereatur Bibliotheca eruditorum Martis filiorum. Quare nostrum putamus, ex iis tantum, quos Filius adjectos voluit, nominare nobiliores clarioresque. Habes igitur, Lector benevole, hic literatam notitiam *Alexandri Achillis*, Prussi, Legati Regis Poloniæ, *Vladislai*, ad Persarum Monarcham, qui A. 1675 nonagenario major vita excessit, *Henrici Cornelii Agrippæ*, *Andreæ Ammonii*, *Sidonii Apollinaris*, *Andreæ Matthæi Aquivivii*, Ducis Adriensis, magna cum militari, tum literaria, laude conspicui, *Arati*, Sicyonii, *Archilochi*, *Hieronymi Arconati*, *Francisci Barbari*, *Georgii Bastæ*, *Laurentii Bonincontrii*, *Georgii Buchanani*, *Ludovici de Camoes*, quem *Virgilium* suum vocant Lusitani, *Joannis Caramuelis*, *Balthasaris Castilionei*, *Emanuelis Chrysoloræ*, *Cornificii*, *Francisci Sanlucii*, *Jo. Friderici Flemingii*, *Jo. Baptistæ Fulgosi*,

 Cornelii

Cornelii Galli, Germanici Caesaris, Sigismundi Herbersteinii, Hildebrandi Hornii, Mich. Huralti Hospitalii, Jo. Vincentii Imperialis, Nicolai Istuansi, Lucilii, Poetae veteris Romani, *Scipionis Maffei, Francisci Mendozae, Ioannis Murmelii, Francisci Noaei, Jani Pannonii, Pherecratis*, Atheniensis, *Philisti*, Syracusani, *Bilibaldi Pirckheimeri, Bartholomaei Platinae, Plinii Secundi, Asinii Pollionis, Orbilii*, Grammatici, *Urbani Regii, Francisci Alvarez de Ribera, Georgii Rimpleri, Petri Ronsardi, Claudii Rutilii Numatiani, Saint-Evremontii, Guilielmi Sallustii, Jacobi Sannazarii, Ludovici Scarampi, Andreae Spolii, Philippi Joannis Strahlenbergii, Suetonii Tranquilli, Emanuelis Tellesii Sylvii, Theophanis*, Mitylenaei, *Ehrenfridi Waltheri Tschirnhusii, Valerii Maximi, Jo. Casimirii Colbii*, Comitis Wartenbergii, *Georgii Witheri*. Singulorum horum historiam hic exhiberi literariam, & illorum quoque laudes, de quibus *Menckenius* pater jam egerat, pluribus illustrari, docemus Lectores nostros: atque ita longiori recensione haud opus esse, credimus.

MEMORIA GREGORII HALOANDRI, JCti, & instauratoris Jurisprudentiae, Commentatione historica renovata, Autore GEORG. LAURENT. HAUSFRIZ, Norimbergensi.

Norimbergae, sumtibus Joannis Stein, 1736, 8. Plag. 6.

Inter eos, quos recentiori aetate in illustrando Romanarum Jure praeclarissime versatos constat, prae ceteris multum laudis tribuendum est *Gregorio Haloandro*, ferreae industriae Germano, & in emendandis legibus Romanis, si non felicissimo semper, solertissimo tamen, & ad sustinendas pro commodis eruditorum quascunque itinerum vitaeque molestias vere nato. Cujus Viri etsi satis huc usque cognita civibus partim nostris, partim ipsis exteris, in Jurisprudentiam merita, magis tamen ignota ipsa fata fuerunt, ut praeter nomen viri, & pauca ea,

quae

quæ *Albinus* in *Chronico Misnensi* refert, vix quidquam de eo dicere vel istarum rerum peritissimi sciverint. Non est igitur, cur rem ab aliis jam occupatam, aut ingratam eruditis, suscepisse putandi sint, qui eodem tempore nuper ad describendam *Haloandri* vitam laudabili consilio conversi sunt, præstantissimi Duumviri, *Franciscus Carolus Conradi*, Helmstadiensis Antecessor celeberrimus, & *Georg. Laurentius Hausfriz*, Norimbergensis civis, ad doctrinæ elegantioris laudem nobili itinere contendens. Dignus est utriusque horum labor, qui commendetur publice, & in notitiam veniat eorum, quibus cara est *Haloandri*, Viri optimi, memoria. De *Hausfrizii* libello primum dicemus, quod ille, si molem spectes, copiosior sit altero, etsi non ob id bonarum rerum ditior. Ipse enim, præcipua quædam illi alteri Consultiss. *Conradi* Opusculo ornamenta accessisse, negata sibi, quantumvis diligenter vestiganti, agnoscit in Præfatione, & quodammodo dolet, Autor. Sed hæc, ut fortunæ fuit, non invenisse, ita pretio Operis, diligenter satis, satis etiam eleganter, scripti, haud quidquam officiunt. Inde dabimus potiora vitæ *Haloandrinæ* momenta, in ipsis ita Annalibus nostris Viri immortaliter de Jurisprudentia Romana meriti memoriam conservaturi. Patriam habuit Cygneam, Lusatiæ urbem haud ignobilem, natus hic, quod verosimile videtur Autori, sub finem Seculi XVI. A parentibus acceperat *Hofmanni* nomen, in cujus locum postea, more illius Seculi, Græcum *Haloandri* substituit. Ita rem refert *Albinus* in *Chronico Misnensi*, cui si ex documentis fide dignis id compertum fuit, facile assensum præbemus, si conjecturas secutus nomen Græcum in Germanicum transtulit, veremur, ne male *Hofmannum* dixerit, quem potius *Saltzmannum* dicendum esse, Græcæ vocis ratio ostendit. Qui fuerint parentes *Haloandri*, non magis certum, quam quibus præceptoribus usus sit adolescens. Autorem si conjectantem sequaris, in patria primum schola, postea in Academia Vitembergensi aut Lipsiensi, utraque viris doctissimis maxime tunc insigni, Græcæ & Latinæ linguæ præcepta imbibit. Id certum, A. 1518 Cygneam reversum, ibidemque *Georg. Agricolæ*, Græcam scho-

lam aperienti, manus adjutrices præbuiſſe. Inprimis vero id commodum ei accidit, quod in amicitiam *Julii Pflugii*, Equitis Miſnenſis, admiſſus, huic ita probavit ingenium & doctrinam ſuam, ut is ornandas res ejus omnes ſuſciperet, & in Italiam excurſurus, itineris ſocium ſibi adſciſceret. In Italia ſupremis Jurium honoribus ornatus, nihil intermiſit, quod viam parare ei laudi poſſet, quam poſtea præclaris in Jus Romanum meritis ſibi comparavit. Inprimis diligentiſſimus fuit in conferendis ad Codices antiquos MStos, quos illuſtriſſimæ Florentinorum, Bononienſium, atque Venetorum, Bibliothecæ ſuppeditabant, legibus Romanis, adjutus maxime inſigni liberalitate *Egnatii* & *Calcagnini*, qui lectiſſima quæque vetuſtatis monumenta inſpicienda ei & utenda in rem ſuam conceſſerunt. Præcipuam vero in emendandis *Pandectis* poſuit induſtriam, eumque in finem *Ludovici Bolognini*, aut, quod verius dicendum, *Angeli Politiani*, Collationes Codicis Piſani, quæ felici quodam fato in manus ipſius venerant, accurate transſcripſit, uſus ſimul aliorum Codicum, & doctrinæ elegantioris, ſubſidiis. His ſpoliis onuſtus, ſub initium anni 1528 in Germaniam reverſus eſt, ac præ ceteris Norimbergenſem Senatum dignum judicavit, cujus ſub auſpiciis nova *Pandectarum* editio prodiret. Probavit ſtatim Senatus honeſtum viri conſilium, publicoque trium annorum ſtipendio *Haloandrum* ad perficiendum id operis conduxit, dato ei hoſpitio & convictu ſatis lauto in monaſterio Ægidiano, prope Norimbergam ſito. Ita factum, ut A. 1529, menſe Aprili, nitidiſſimo habitu, tribus Voluminibus in 4, Norimbergæ, typis *Jo. Petreji*, *Pandectæ Haloandrinæ* lucem adſpicerent. Eodem anno publicavit Noſter, ſed incertum, an ejusdem Senatus Norimbergenſis autoritate, *Inſtitutionum Juſtiniani Libros quatuor*, forma 8, cujus Operis etſi ſit raritas inſignis, ut, qui inſpectum ſibi teſtentur, ſint pauciſſimi, pretium tamen eſt valde exiguum, nec ulla vetuſtioris Codicis MSti hic veſtigia comparent. Si qui tamen ſint, quos ejus libri deſiderium teneat, ſi qui & alii, qui ſumtus offerant, id curaturum ſe ſpondet Cl. *Hausfriz*, ut novo prelo excudatur Opus, idque, quam fieri poſſit, emendatiſſi-

d.tiſſime. Altero anno poſt ſubſecutus eſt *Codex Juſtinianeus*, ad Codices MStos numero XV recognitus, & Indice Chronologico omnium Conſulum Romanorum, muſæ *Haloandrinæ* felici partu, ornatus. Hujus Operis dotes varias & ſingulares copioſe exponit Autor noſter, pluribus etiam, quibus invidorum obtrectationibus exceptum ſit, nos docens, hasque ex parte diluens. Tum A. 1531 primus *Haloander Novellas Conſtitutiones* Græcas publicavit ex libro quodam *Bolognini*, in quem migraverant ex Codice MSto Bibliothecæ Marcianæ, quam Florentini ſervant. Eidem Codici, non omnium *Novellarum* pleniſſimum quoddam corpus exhibenti, tribuendum, quod alias *Novellas* in hac editione fruſtra quæras, alias mutilatas ex parte, nec raro corruptas, legas. Fecit hic rem gratam Lectori Doctiſſ. *Hausfriz*, quod earum omnium, quas exulare collectione ſua *Haloander* juſſit, aut quibus aliunde integritas ſua reſtitui poteſt, copioſum indicem contexuit, commodum inprimis iis, qui harum *Conſtitutionum*, paſſim diſperſarum, pleniorem notitiam expetunt. Adjecit huic Operi *Haloander* Latinam *Novellarum* verſionem, antiquiori illa, quæ in foro autoritatem obtinuit, multo elegantiorem, neque tamen communi eruditorum aſſenſu approbatam. Tantorum Operum, feliciſſime abſolutorum, non inſignem tantum laudem ab eruditis, ſed aureorum etiam DCCCCL lautiſſimum præmium a Senatu Norimbergenſi, tulit *Haloander*, felix in eo, quod illuſtrem hunc ordinem laborum ſuorum judicem & æſtimatorem nactus eſt, cujus quippe factum eſt honeſta liberalitate, ut & viventi juſtus honor ſit tributus, & mortui, quæcunque exſtant, Opera ad hunc usque diem inter præſtantiſſimas vetuſtatis reliquias religioſe aſſerventur. Profert hac occaſione Cl. *Hausfriz* ineditam *Haloandri* ad *Hieron. Paumgartnerum*, Decurionem Norimbergenſem, Epiſtolam, qua illuſtri huic Viro *Codicem Juſtiniani* recens a ſe editum transmittit, offerendumque ſuo nomine Norimbergenſi Reipublicæ commendat. J. m, munere ſuo edendi Juris Romani præclariſſime defunctus, denuo in Italiam contendit A. 1731, petiturus hinc novam laboris futuri materiam, & illa dudum ſibi nota Bibliotheca-

thecarum penetralia perquisiturus. Sed, Italiæ vix ipsis finibus salutatis, Venetiis A. 1532 in levem febrim incidit, quæ, male tractata a Medico, ipsi exstitit fatalis. Sunt alii, qui veneno Italorum periisse putant, sed quorum sententia idoneis Scriptorum testimoniis caret. Ossa ejus Venetiis in templo ad S. Salvatorem sunt condita. Ita in optimo ætatis flore ereptus est bonis literis *Haloander*, qui, si diutius vixisset, perfecisset sine dubio, præter alia præclara Opera, *de studio Juris conscribendo* librum, edidissetque, quod destinaverat, *Matriculam imperii omnis*, Opus vetustum, a *Lud. Cælio Calcagnino* ipsi suppeditatum, & *Libros Feudorum*, ab *Antonio Mincuccio de Prato veteri* compositos. Amicis usus est per Germaniam & Italiam nobilissimis quibusque, inprimis *Egnatio*, *Calcagnino*, *Melanchthone*, *Jac. Zieglero*, *Camerario*, *Agricola*, *Pflugio*, *Paumgartnero*, *Pirckheimero*, & *Bunello*. Sub finem Opusculi Autor doctissimus adjecit editiones *Corporis Juris Haloandrini*, quoquo tempore repetitas, nec non selecta quædam illustrium virorum de doctrina & meritis *Haloandri* testimonia.

FRANCISCI CAROLI CONRADI, IN ACAdemia Julia Jurisconsulti, Parerga, in quibus Antiquitates & Historia Juris illustrantur, varia Juris Civilis, aliorumque Autorum, loca emendantur, explicantur.

Helmstadii, sumtibus Christ. Frid. Weygandi, 1735, 8.
Plag. $10\frac{1}{2}$.

En igitur, cujus paulo ante mentionem fecimus, Consultissimi *Conradi* librum, non ex mole sua, quæ valde levis est, sed ex argumentis, quæ selecta sunt omnia, nec vulgare quidquam habent, quin ex doctrina inprimis, quam hic summam & præclaram admiramur, æstimandum. Tribuas hoc modestiæ Autoris, quod *Parerga* dixit, quæ præ multis nostri temporis scriptiunculis lucernam olent, &, si nihil unquam aliud scripsisset Autor, vel sola ei ad laudem & plausum publicum sufficerent. Juris Romani Historia, & cujuscunque generis Antiqui-

tiquitatum ſtudia, quorum dulciſſimos fructus *Parerga* hæc nobis exhibent, quam ſint laboris & vigiliarum plena, & omnibus notum eſt, & ii optime intelligunt, qui in colendo hoc agro ætatem ſtudiumque ſuum conſumunt. Quo majoris æſtimandus eſt eorum labor, qui non tritis aliorum veſtigiis inſiſtendum, ſed illud agendum ſibi cumprimis, putant, ut res maxime obſcuras, & aliis omnibus ſecure neglectas, ſed ſcitu non jucundas minus, quam utiles, diligenter ex antiquitatum monumentis eruant, & ad profliganda communium errorum monſtra commode ingenio & doctrina ſua utantur. Gnarus hujus artis, qua ad veram laudem contenditur, Conſultiſſ. *Conradi* nihil complexus eſt eleganti hoc libello, quod aut ſcripſiſſe ipſum, aut nos legiſſe, pœniteat. Propoſitum ipſi eſt, ex ditiſſima, quam dudum ſibi comparavit, Animadverſionum ad Jus Romanum & ritus veteres, maxime vero Juris antiqui hiſtoriam, ſupellectile ſucceſſu temporis fruſtula quædam expromere, hisque laute inſtructis, & in juſtam libri formam redactis, cupidos iſtiusmodi deliciarum lectores paſcere. Speciminis loco primum hoc nobis ferculum apponit, quod ſi ad palatum fuerit eruditis, ut futurum certiſſime auguramur, ſemeſtri quovis ſpatio, inter ipſas muneris publici occupationes, daturum ſe apparatiores epulas, promittit. Si quid ponderis habet noſtra approbatio, non poteſt non tam ſalutariter cœptus labor in incrementum elegantiorum literarum cedere. Priori hac præſtantiſſimi laboris parte *Diſſertationes ſeptem* continentur, in quibus nulla eſt, quæ non aliquid novum & ſingulare doceat. His præmiſſa eſt lectiſſimæ promulſidis inſtar *Vita Georgii Haloandri*, illi alteri *Hautfrizianæ*, quam paulo ante ex merito ſuo laudavimus, numero magis paginarum, quam ſelectu & apparatu rerum, cedens. Præterquam enim, quod hinc diſcas, *Enchiridion Epicteti* ab *Haloandro* Græce editum exſtare, quod ignoraſſe ſe fatetur alter ille *Haloandrinæ* vitæ ſcriptor, ſingulare inprimis labori huic ornamentum accedit a tabula ænea, imaginem *Haloandri* exprimente, cujus formam ſcripſerat in *Chronico Cygneo Tob. Schmidius*, nec non a duabus *Jac. Liegleri* & *Martini Richteri* ad Equitem Miſnenſem, *Julium a*

Pflugk,

Pflugk, Epiſtolis, ad hunc diem ineditis, quas veniſſe in manus ſuas liberalitate magni olim *Gribneri* noſtri, gratus in Præfatione Autor prædicat. Jam, quid boni ſecum ferant *Diſſertationes* ipſæ, ſummatim indicabimus. Harum prima de *Prætore peregrino* eleganter atque docte commentatur; cui ſi jungas *Jo. Henr. Mylii*, Collegæ olim noſtri, ſed bonis literis immaturo fato erepti, de eodem argumento Diſſertationem Academicam, ante paucos annos in hac Academia publicatam, cui nec ipſe Autor noſter promeritam laudem denegat, utroque hoc labore in re ſatis impedita, tenebriſque ſuis involuta, commode in rem tuam uteris. Autor noſter Prætoris peregrini, ad jus peregrinis dicendum in Urbe conſtituti, originem, poteſtatem, juriſdictionem, intercedendi jus, inſignia, aſſeſſores, edictum, curationem ludorum & aquæductuum, &, quicquid ad hiſtoriam hujus muneris, ſatis inter Romanos ſplendidi, pertinet, ſtudioſe explicat, diverſa inprimis Prætoris peregrini & urbani jura oſtendit, multiſque veterum Autorum locis clariſſimam hac occaſione lucem accendit. *Altera de Cenſore Sigillorum Collegii Signiferorum* inſcripta eſt *Diſſertatio.* Suſtinet hæc Commentarii vicem in nobilem Inſcriptionem Aræ veteris, in Britannia poſitæ, quam exhibet Autor Diſſertationis eruditæ, cum Acceſſionibus nonnullis ad *Alexandri Gordonii* Itinerarium ſeptentrionale ante triennium Londini editæ. En integram:

DEO. MERCURIO
JULIUS. CERTUS
CENSOR. SIGILLOR
UM. COLLEGII. LIGN
IFERORUM. CULTORUM
EIUS. DE. SUO. DEDIT

Singularis hic, nec usquam alibi viſa, *Ligniferorum* appellatio, quam ad Dendrophoros priſcos, homines diverſis Numinibus devotos, qui arbores ramoſve virentes ſignis Deorum ſuorum in pompa ſolenni præferebant, ignotus ille Diſſertationis Londinenſis Autor tranſtulerat. Cui conjecturæ cum duo inprimis obſtarent, primum quod omni veterum autoritate deſtitutum

tutum

tutum ſit *Ligniferi* vocabulum, deinde quod parum convenire Dendrophoris iſtis videatur *Sigillorum Cenſor*, aliam ei, felicio-rem noſtro judicio, nec critici acuminis nihil habentem, Conſ. *Conradi* ſubſtituit. Pro *Ligniferorum* legere nos *Signiferorum* jubet, putatque, notiſſimum illud genus hominum hic indicari, quorum mentionem facit *lex 2 C. Th. de Collegiatis*, quosque *Gothofredus* ad *h. l.* in pompis, feſtis, ludicris gentilitiis, tuliſſe ſigna, & in his Deorum, docet. Huic ſententiæ ſuæ varia Autor noſter ex antiquitatibus præſidia quærit, oſtenditque inprimis, commode cum *Collegio Signiferorum* conjungi *Cenſorem Sigillorum*, cui quippe ſigillorum, ſeu, quod idem eſt, ſignorum, quibus uterentur *Signiferi*, æſtimatio & arbitrium fuerit delatum. Elegantiſſima eſt, &, quam verſatus ſit in antiquis monumentis Autor noſter, luculenter teſtatur *Diſſertatio tertia*, cui titulum fecit Noſter: *M. Horatius ad populum provocans in numo gentis Porciæ*. Mire aut torſit olim, aut torquere potuit, ingenia interpretum antiquiſſimus numus, veteris illius, lege Porcia munitæ, provocationis ad populum præſtantiſſimum monumentum exhibens. Autoris in deſcribendo verbis utemur: *Pars numi adverſa caput Romæ galeatum, cum denarii nota & adſcripto nomine P. LAECA, præfert. In averſa parte vir paludatus, medius inter togatum civem & lictorem, virgas utraque manu minitantem, conſpicitur: in area inferiori expreſſum eſt provocantium verbum ſolenne, Provoco.* Utramque numi partem curioſis oculis luſtrat Autor, in id inquirens inprimis, quis ſit vir ille paludatus, inter togatum civem & lictorem medius. Non ſatisfaciunt Autori, ſi qui aut Legatum Romanum & belli ducem, aut Dictatorem, hic agnoverint. Nova eſt ipſius conjectura, eaque, ſi quid in his rebus certum dici poteſt, certiſſima. Memoriam in hoc denario conſervari nobiliſſimæ illius provocationis, ſub *Tullo Hoſtilio* Rege factæ a *M. Horatio*, *Curiatiorum* victore, ſed ſimul parricida, ingenioſe docet. Cujus rei indicio tantum facto, facile rem omnem intelligimus. Paludatus ille, dextra coronam geſtans, ipſum *Horatium* exprimit, adſtante jam & crudelem mortem minante lictore, provocantem. Alter ille, a dextra *Horatii* poſitus, ſed toga indutus,

 for-

fortiſſimi illius civis patrem refert, qui, filium, ex pugna reducem, & ſpoliis onuſtum, tenere complexus, &, audito Senatus inclementi judicio, proclamaſſe ad populum, *Livio* dicitur. Ampla eſt & erudite conſcripta *quarta de Formula ſepulchrali, ſub aſcia dedicare, Diſſertatio.* Non infrequens eſt hæc formula in Gallicis, Viennenſibus, Lugdunenſibus, Valentinis, Nemauſenſibus, & Narbonenſibus Inſcriptionibus, ſed nulli Scriptorum veterum nominata. Factum hinc, ut, qui recentiori ætate in explicanda ea experti ſunt vires ſuas, multum inter ſe diverſa proferrent. Nuper demum, poſt *Fabretti*, vulgo receptam huc usque, opinionem, auditæ ſunt novæ P. *Jac. Martini*, Benedictini Mauriani, & *Alex. Symm. Mazochii*, conjecturæ, illius in Opere *de religione veterum Gallorum*, hujus in erudito *ad Campani Amphitheatri titulum Commentario.* Sed nec horum labor, quantumvis per ſe laudandus, tulit ſuffragium Autoris noſtri, qui data opera id agit, ut, quantum difficultatis inſit in unaquaque harum opinionum, rationibus minime ſpernendis oſtendat. Applaudimus vero optimi Viri ſtudio meliora nos docendi, remque ſatis obſcuram in clariori luce collocandi. Rejectis aliis omnibus conjecturis, ita decernit, *ſub aſcia dedicare* nihil eſſe aliud, quam monumentum ſub tutela & cultura fabricæ, ut ſartum tectum præſtetur, conſtituere. Robora huic ſententiæ ex more veterum, de tutela & refectione monumentorum ſedulo proſpiciendi, & pecuniam ad id conferendi, nec non ex eo, arceſſit, quod huic explicandi modo conveniant locutiones eæ omnes, quibus conceptam ipſam hanc formulam in vetuſtis Inſcriptionibus apparet. In his omnibus copioſus eſt Autor, tamque ſelectis eam in rem teſtimoniis utitur, ut jam nemini non feliciſſime enodata brevior illa, & ob id obſcurior, vetuſtiorum temporum formula videri poſſit. Jucundum fuerit Hiſtoriæ literariæ ſtudioſis, videre in *Diſſertatione quinta*, quam *Pſeydo-Papianum Burgundionem* inſcripſit Autor, exterminatum ex Republica Jureconſultorum *Papianum* illum, cujus librum *Reſponſorum*, excerpta ex legibus Romanis continentem, *Codici Theodoſiano*, A. 1566 a ſe publicato, *Jac. Cujacius* adjecit, cujus & patriam fuiſſe Burgundiam, ſibi & aliis *Jac. Gothofredus* perſuaſerat. Feliciſſimus

hic

hic Autor noster, cui primo non tam conjectura, quam certissimis argumentis, id assequi licuit, fuisse id hominis ex ignorantia scribarum ortum, qui, dum *Papiani* male pro *Papiniani* scripserint, & universæ illi legum Romanarum compilationi, ab homine prorsus ignoto congestæ, eum titulum fecerint, qui non nisi brevissimæ ejus parti, ex *Papiniani* libro *Responsorum* decerptæ, conveniebat, in illum posteros errorem induxerint, ut, Opus illud universum a *Papiano* quodam compositum, & ab eodem parum apte pro libro Responsorum venditatum, sat certo existimaverint. Qui Criticam Juris amant, hi, quod placeat, in *Dissertatione sexta* habent. Emendatur hic *lex 7 §. 3 D. de Bonis damnatorum*, ubi pro *manifestabunt tot possessores*, quod vulgo legitur, nec satis obvium sensum habet, legendum conjecerat olim Ill. *Bynckershœkius*, *manifeste dabunt tot possessores*. Cui emendationi, etsi non prorsus rejiciendæ, laboranti tamen difficultatibus suis, aliam faciliorem adjungit Cons. Autor, non nisi voculam *tot* in *tota* mutans, & ita legis verba explicans, ut sit ab unoquoque filiorum *Albini* portio hæreditatis, quam acceperat, designanda, etsi de universo patrimonio defuncti jam satis certo constet. Æquat, & quodammodo superat, ceterarum laudem ultima *Dissertatio*, pleniorem *librorum Caji*, *qui sunt rerum quotidianarum*, *sive aureorum*, historiam complectens, septem abhinc annis Vitembergæ sub muneris publici auspiciis publicata, sed nunc aucta nonnihil & recognita, quam ad id inprimis idoneam putamus, ut, quæ maximum huc usque plausum Germanorum tulit, ipsis jam exteris narrare Cons. Autoris doctrinam & in artem Juris merita præclara possit.

PRODROMUS ULMÆ NUMARIÆ, SEU de Numis quibusdam rarioribus Ulmanis, maxime antiquis, Observatio historica LUDOVICI BARTHOLOMÆI HERTTENSTEINII, JCti, ac Ill. Reip. Ulm. Consiliarii.

Jus monetandi partem esse summi Imperii, adeoque in Germania nostra regulariter ad solum Cæsarem, ceu summum vastissimi Regni moderatorem, jure proprio pertinere, con-

ſtat inter omnes, qui vel aliquali Juris Publici cognitione ſunt inſtructi. Idem ipſum vero Regale Statibus quoque immediatis, quin & mediatis quibusdam, ſeu ex ſpecialibus Imperatorum privilegiis, ſeu ex immemorabilis temporis præſcriptione, competere, alii doctiores dudum & argumentis, & exemplis, demonſtrarunt. Cum autem inter ſplendidiſſima auguſti Imperii membra Civitates quoque liberæ, vulgo Imperiales dictæ, ſuum optimo maximo jure ſibi vindicent locum, mirum non eſt, & illas eminenti hocce privilegio ab antiquisſimis inde temporibus gaudere. Cujus rei tot ubivis luculentiſſima deprehenduntur teſtimonia, quotquot in Principum aliorumque eruditorum virorum Gazophylaciis proſtant numi, earundem ſignis ac inſignibus notati. Dignum ſane argumentum, quod aliquando faventibus Muſis a viro harum deliciarum perito in omni ſua latitudine peculiari Opere eum ad modum pertractetur, quo præſtantiores ſingularium quarundam Civitatum numi a Viris celeberrimis, *de Ludewig, Schmidio, Schlegelio, Heineccio*, aliisque, publicis ſcriptis ſcite ac eleganter fuerunt illuſtrati. At, cum tale inſtitutum hominem requirat, non tantum Hiſtoriæ ac Antiquitatum Germaniæ gnariſſimum, ſed & a forenſi ſtrepitu (quo undiquaque ſum circumdatus) ſemotum, illius executionem aliis peritioribus relinquo. Ne tamen verbis duntaxat alios hortari videar, ſpeciminis loco pro impenſiſſimo meo in hæcce ſtudia affectu pauca quædam, quantum per ingenii vires aliosque labores mihi licebit, *de Numis quibusdam Ulmanis rarioribus, maxime antiquis*, (quorum accurata Delineatio ex qualicunque meo Numophylacio in ſubjuncta Tabula producta eſt,) diſſerere conſtitui. Priusquam autem ad ipſam thematis hujus, a nemine, quantum ſcio, ante me pertractati, expoſitionem me accingam, pauciſſimis moneo, olim in Germania, florente inprimis ſtirpe Carolingica, (teſtantibus id *Capitularibus Regum Francorum*, a Viris doctiſſimis, *Baluzio, Sirmondo*, ac *Goldaſto*, editis,) monetam non niſi in Palatiis Regiis excuſam fuiſſe. Cum autem inter hæc (id quod cum in *Spec. Hiſt. patr. de Ulma deſtructa ac reſtaurata*, tum nuper demum *in der gründlichen Ausführung, daſs die Stadt Ulm nicht erſt A. 1336 zur Reichs-Immedietat*

dietat gelanget &c. demonstratum dedi,) Ulmense quoque Palatium, ipsi quamvis sagacissimo *Mabillonio* ignotum, haud postremum fuerit, nullus dubito, quin & ibi, & ante & post dictæ Civitatis donationem, a *Carolo M.* A. 813 opulentissimo Divitaugiensi Monasterio factam, talis officina monetaria regia floruerit. Cui sententiæ præter antiquum istud Ædificium, quod sub Piscatoribus situm hodienum nomen *der alten Münz* retinet, *Crusii* præcipue autoritas patrocinatur, quippe qui in *Annalibus Suevorum* ad A. 1087 diserte *Siclos Ulmensis monetæ* nominat, cujus quidem ætatis Numos Ulmensi Digmate insignitos, quamvis neque operæ, neque impensis, pepercerim, nondum, ut contemplarer ac contrectarem, mihi licuit esse tam felici. Hisce ergo suppositis, nullum prorsus est dubium, Imperatores, præter Advocatos seu Scultetos, Ulmæ quoque suos habuisse Monetarios, qui officinæ monetariæ curam gerebant, & immediate a Cæsare constituebantur. Quamvis enim *Praunius* in Tr. *von denen Geschlechtern in Reichs-Stadten* jus Monetæ Abbati Reichenaviensi tribuat, ista tamen sententia nullis solidis fundamentis nititur, & eo minus calculum meretur, quod non tantum in literis Donationis nullum illius existat vestigium, sed &, testibus *Oleario, Sperlingio*, ac *Ludewigio*, vix Cœnobium in Germania reperiatur, ante *Carolum Crassum*, jure hocce præditum. Stetit ergo Regale istud penes Imperatores, usque dum ab iisdem peculiaribus privilegiis Civitati (jure primo revocabili, postea perpetuo,) concessum fuit. Postquam vero insequentibus temporibus hocce Regale pedetentim cum Statibus (primo quidem Ecclesiasticis, postea quoque Secularibus,) communicari cœpit, etiam Ulmensis Respublica, tum quidem, sive potentiam, sive divitias spectaveris, florentissima, eodem exornata fuit, id quod omnium primo a *Wenceslao* factum in Annalibus reperio. Cum enim plures in Suevia ac Franconia Civitates istud Numismatum genus, quod ab incluta Hala nomen ducit, ob illius celebritatem imitarentur, dictus Imperator ad conservandum eorundem valorem A. 1385 illas urbes, quibus tales denarios cruce ac manu notatos cudere in posterum debebat esse permissum, prudenti consilio ad certum, eundemque quaternarium, numerum redegit, inter quas

Augusta Vindelicorum primum, Norimberga secundum, Ulma tertium, Hala denique Suevorum quartum, obtinuit locum. Ne autem, inventa sic lege, novae invenirentur fraudes, cum ratione materiae, tum ratione ponderis, certas illis conditiones praescripsit, insimulque statuit, ut quaelibet urbs numis suis peculiare signum adderet, quod in Augustanis fuit nux pinea, in Ulmanis vero scutum Balthicum, seu (ut quidem vulgus pro captu suo Insignia Ulmensia interpretatur,) figura corbis inversae. Quae omnia ut Lectori clariora appareant, ipsa antiqui cujusdam Chronici Norimbergensis, a Cl. *Schlegelio* citati, verba apponam: A. 1385 *hat König* Wenzel *verordnet, dass in vier Stätten, nemlich Augspurg, Nürnberg, Ulm, und Halle, und sonst nirgends anderswo, solten gemünzet werden Heller mit Creuz und Händen, die solten in Francken und Schwaben und in allen darinn gelegenen Stätten genohmen werden, ein Pfund vor einen guten Rheinischen und Ungarischen Gulden, und soll an Korn halten ein Drittel löthigen Silbers, und zwey Drittel Zusaz, und an der Zahl sollen geben neun und vierzig Schilling und vier Heller auf eine Nürnbergische Marck, und soll eine jede Statt ein sichtiges Zeichen darauf schlagen, dass man sie wohl erkennen möge. Fünff und zwanzig Pfenninge haben sollen auf ein Loth geben, sonsten hat man Macht gehabt solche zu zerschneiden,* &c. Hocce deinde Privilegium Imperator *Rupertus* Palatinus non tantum gratiose confirmavit, sed & eidem A. 1400 singulari indulgentia facultatem Solidos cudendi addidit, hancque A. 1404 porro ad reliquas omnes monetae species extendit, quo nomine etiam Ulmenses, ut ex Consultissimi *Wenckeri Apparatu Archivorum* constat, A. 1409 Conventui Monetario Spirensi interfuerunt, in quo inter alia statutum fuit, ut quaelibet Civitas Aureos Rhenanos antiquiores suae Civitatis signo notaret, eaque ratione probiores a levioribus distingueret, *dass dieselbe Gulden sollen mit eyme gemeinen Zeichen und Stempfel, der jegliche Statt einen haben soll, gezeichnet werden, dabey man die erkennen mag,* &c. Tandem *Carolus V*, gratiam aliquando suam ob servatam Imperio fidem Ulmensibus comprobaturus, iis haecce beneficia in perpetuum concessit, iisdemque etiam Privilegium numos

quos-



B. VIII
Fig. 1.

2.

Pfen-

quos-

quosvis majoris moduli, etiam aureos, ſignandi, *Gold und Silber nach ihrem Gefallen zu münzen*, junxit, quo etiam Patria chariſſima ante & poſt illa tempora ita uſa eſt, ut *Eberbardus*, Comes de *Wirttenberga*, A. 1475, teſte *Beſoldo* in *Documentis Virginum*, Cœnobio Reuthenſi ſignificaverit, *daſs hinfüro khain Müntz in denen Württenbergiſchen und Baadiſchen Landen genommen oder geben werden ſoll, denn die Pfenning und Schilling der vier Schleg, Baaden, Württenberg, Coſtenniz, und Ulm, &c.* Quod vero jam ad ſpecies monetæ Ulmenſis attinet, ego in qualicunque meo numorum Ulmenſium apparatu, præter varia *Numiſmata Symbolica*, *Jubilæa*, *Votiva*, *Militaria*, *Obſidionalia*, *Iconica*, *Feralia*, *Honoraria*, &c. aurea ac argentea, (quorum numerus haud exiguus eſt,) aſſervo *Ducatos*, *Aureos*, *Thaleros*, *Florenos*, aliosque bene multos minoris moduli ac diverſorum typorum, ex quibus rariores tantum ac præſtantiores aliquos hic nominabo; inter quos & antiquitate & raritate reliquos omnes antecellit tenuiſſimus Numus orichalceus, quem ſub *Fig. 1* in proſcenium produco, TAB. VIII Fig. 1. cujus alterum latus inſignia Ulmenſia repræſentat additis literis *V. l. m.* alterum vero averſum Crucem ſiſtit: utrumque antiquis literis Germanicis monachicis in margine notatum fuit, quas autem injuria temporum adeo delevit, ut absque novo Oedipo illarum ſenſum aſſequi ſit perdifficile. Debeo eundem munificentiæ Fautoris cujusdam, qui illum paucis abhinc annis Leiphemii, ubi tunc Paſtoris munere functus eſt, inter rudera mœnium iſtius municipii, (quod ab anno inde 1453 Ulmenſi ditioni ſubditum, & ob memorabilem illam rebellium Ruſticorum cladem, A. 1525 ibidem acceptam, memorabile eſt,) invenit, mecumque benevole communicavit. Cum autem oppidulum iſtud, teſte laudato *Cruſio*, jamjam A. 1449 ab Auguſtanis obſeſſum fuerit; antiquitas hujus Numi facile exinde concludi poteſt, quippe qui procul dubio a poſitis inde murorum fundamentis ibidem delituit, ſive ab operario quodam forte fortuna deperditus, ſive memoriæ cauſa ibi reconditus. Excipit hunc *Halerus* leviſſimi ponderis, ex una parte Cruce, ex altera Digmate Ulmenſi, notatus, cujus faciem *Fig. 2* ſiſtit. 2. Claruit olim ſub nomine *der Italigen Heller*, ſeu *der Ulmiſchen*

Pfen-

Pfenninge, quorum in Chartis Seculi XIV ac XV frequens fit mentio. Eorum Libra ab initio Aureum Hungaricum æquavit; cum vero hujus valor in dies augeretur, Libræ octo adhuc
TAB. VIII ſolidi fuerunt additi. At pergo ad *Fig. 3*, quæ *Groſſum Bohe-*
Fig. 3. *micum* dimidiæ drachmæ exhibet, Ulmenſi ſigno notatum, *gut Behemiſch*, ſeu vocabulo Suevo *Plapbert*, dictum, quorum unus octo denariis abſolvebatur. Cum enim Seculo XIV exeunte Groſſorum valor internus mirum in modum decreſceret, antiquiores ob illorum probitatem (teſte *Hoffmanno* in *Tr. de variis Monetæ ſpeciebus*) a Statibus Imperii certis ſignis diagnoſticis fuerunt notati, id quod & circa annum 1428 ab Ulmenſibus factum eſſe, Chronica teſtantur; unde ſponte ſua corruit fabuloſa iſta vulgi de hiſce Numis narratio, quod ſcilicet Ulmenſes illam Comitatus Helffenſteinenſis partem, in qua Geiſlingenſe oppidum ſitum eſt, A. 1396 ab *Ulrico*, Comite de *Helffenſtein*, ſub pacto perpetuæ reluitionis hacce moneta acquiſiverint, inſimulque ſtatuerint, ne dicto Comiti, ejusque poſteris, alia ratione eundem terræ tractum redimere fas eſſet, niſi ſolutum ab Ulmenſibus pretium in hac ipſa ſpecie reſtituerent; ſed, inane hocce eſſe hominis plebeji figmentum, omnes norunt, qui tabulas illius venditionis vel ſemel inſpexerunt.
4. Properamus igitur ad *Fig. 4*, quæ *Solidum Ulmenſem*, ex cupro & argento conflatum, unius, & quod excedit, drachmæ, exhibet, a cujus fronte Inſignia Ulmenſia cum Aquila μονοκεφάλῳ, a tergo vero Crux furcata conſpicitur, additis ibi literis: S. O. *Solidus Olomorenſis*: in margine autem utrinque ſequentia leguntur verba: *SSanctus Urſus Martur: Moneta Olomorenſis:* quæ ipſa nominis Ulmenſis orthographia, (ſi quæ eſt illius autoritas,) haud obſcure innuit, Ulmam neque ab ulmis arboribus, neque ab Ulmigera gente, neque ab Alemannis, neque a Vtæ Legionis Manſione, neque ab uligine terræ, ſed ab antiquo vocabulo *Holm*, nomen fuiſſe ſortitam. Numus hicce rariſſime obvius cuſus videtur adoleſcente Seculo XV, & diu mihi crucem fixit, an inter Numos Ulmenſes, an vero inter Solodurenſes, ſit referendus; cujus quippe non Ulmæ rationem agit S. *Urſus*, ut apparet ex Unciali quodam Reipublicæ Solodurenſis de A. 1502, quem Cl. *Tenzelius Colloquiis* ſuis

men-

menstruis A. 1696 inseruit. Verum enim vero, cum Solodurense δεῖγμα, ut Ulmense, transversa linea horizontaliter dissectum, Cephalus autem illius non æque cancellis, transversim se intersecantibus, sit instructus, probabilius mihi videtur, Solidum huncce ad imitationem cujusdam Solodurensis fuisse cusum, cum inprimis, teste *Burgmeistero*, istis temporibus magna Helvetios inter ac Ulmenses amicitia intercesserit. De Numo *Fig. 5* conspicuo, dimidiæ circiter drachmæ, argentique purioris, clarior res est, quippe qui & insignia & nomen Ulmensis civitatis luculentissime præ se fert Sistit ille in anteriore area Aquilam simplicem, in posteriore autem scutum Ulmense, cum literis V. L. M. A. addita utrinque inscriptione: *Facta est Moneta ista nova: in Christi nomine, amen.* De cetero forma literarum Seculum XV sapit, circa cujus medium eundem collocandum puto. Denique hosce omnes tam ratione valoris intrinseci, quam respectu nitoris extrinseci, longissime post se relinquunt *Numi Sociales* argentei elegantissimi, circa primordia Seculi XVI cusi, quos *Fig. 6* & 7 conspiciendos præbet. Horum alter, moduli majoris, ac duarum drachmarum ponderis, ex parte antica D. *Georgium*, Equitem, supremum Fœderis Suevici Protectorem, ejusdemque Symbolum ordinarium,) cum supplantato dracone, repræsentat, addita epigrapha: *Moneta nova trium Civitatum Swevie*: ex postica vero Aquilam Imperialem, cum æra Christi A. 1502, ac insignibus trium Civitatum, quarum nomina in margine hoc modo notantur: *Ulma, Uberlinga, Ravenspurgum.* Alter, ejusdem fere magnitudinis, sed levioris ponderis, ex latere anteriore Aquilam sistit, cum epigrammate: *Moneta nova trium Civitatum 1502*, ex posteriore autem insignia ac nomina dictarum urbium. Sunt alii minores ejusdem generis, ex quibus unicum saltem, sub *Fig. 8* conspicuum, addo, unius circiter drachmæ, qui ex una parte insignia Ulmensia, ex altera vero Uberlingensia, refert, quorum cuique in margine nomen civitatis inscriptum est, juncta æra 1503. Ceterum occasionem iisdem dedit Pactum arctius, tum temporis inter dictas urbes, sub auspiciis Fœderis magni Suevici, libertatis tuendæ gratia, A. 1500 percussum, qualia Fœdera arctiora Ulma, teste laudato

TAB. VIII Fig. 5. — 6. — 7.

Burgmeistero, in utilissimo *de Statu Equestri* Opere, cum aliis quoque Sueviæ ac Franconiæ Civitatibus bene multa pepigit, inter quæ præcipue illud memoratu dignum est, quod A. 1533 cum Augusta Vindelicorum ac Noriberga iniit. Antiquioribus tandem succedunt quidam recentiores, ex quibus maxime memorari meretur *Thalerus*, seu Imperialis, *Fig. 9* descriptus, ex una parte Aquila Imperiali bicipite, ex altera insignibus Ulmensibus, coruscus, addita hinc inde inscriptione: *Carolus V Romanorum Imperator Augustus; Moneta nova argentea Reipublicæ Ulmensis:* ex quo simul patet, Civitates Germaniæ elogium Reipublicæ non demum nudius tertius affectasse, sed jam antiquioribus temporibus publice de se prædicasse. Cusus autem est uncialis iste A. 1546, quo Ulmenses, Principum ope destituti, Fœderi Smalcaldico renuntiarunt, & cum *Carolo V* in gratiam redierunt, cui tunc loco mulctæ centum millia aureorum cum duodecim tormentis dare coacti sunt. Quamvis autem nihil singulare in externa hujus Thaleri forma deprehendatur, vel ideo tamen notari meretur, quoniam inter unciales Ulmenses est antiquissimus; quapropter etiam eundem præ reliquis omnibus, & materia & forma eum longissime superantibus, in scenam produxi. At calamum jam moveo ad ista tempora, quibus improbi ærufcatores, gladio ac flammis dignissimi, omnem fere monetam depravarunt, ex qua periodo unicum tantum, quem *Fig. 10* exhibet, Numum, nullius fere pretii, sisto, qui A. 1623 ex vilissima cupri & argenti mixtura cusus fuit, & tunc quidem XXX Crucigeros absolvit. Quanta autem ista ætate Ulmæ fuerit pecuniæ raritas, rerumque omnium inopia, malo Scriptoris cujusdam inediti συγχέειν, quam quidem propriis verbis, describere. Ita vero ille: *A. 1622 gieng das böse Geld, welches viel Jammer gemacht hat, und ein sehr theuer Jahr gewesen, desgleichen in keiner Chronica zu finden; der Reichs-Thaler galt zehen Gulden; der Philipps-Thaler eilf und einen halben Gulden; die Silber-Cron eilf Gulden; die Ducat funfzehen Gulden; die Spanische Douplon dreyssig Gulden; man hat auch Geld zu 48 und 24 Kreutzer gemüntzt, deren letztere auf zwey Gulden kommen, aber hernach auf zwey und einen halben Kreutzer gefallen;*

TAB. VIII Fig. 9.

10.

fallen; der Sack-Korn galt hundert Gulden, das Malter funfzig; das Malter Gersten vierzig, Haber fünf und dreyssig, Roggen fünf und vierzig Gulden; &c. quin, *monetam* tunc *ex corio* quoque factam fuisse, alicubi legi, qualem tamen hactenus nullibi reperire potui. Et tamen haud diu post tantæ iterum ab Ulmensibus collectæ sunt opes, ut fortissimo illi Suecorum Regi, *Gustavo Adolpho*, post percussum cum ipso fœdus A. 1632, nuntiasse dicantur, sibi ad exsolvenda subsidia tantas suppetere divitias, ut erectum pilum numis offundere possint, quam tamen jactantiam a Senatu semper fuisse alienam, certissime novi. Denique coronidis loco subjungo duos *Numos quadratos* militares, A. 1704 cusos, qui tam propter figuram, quam propter occasionem, maxime sunt memorabiles. Dum enim, ineunte vere dicti anni A. 1704, *Tallardi*, Ducis, copiæ, *Maximiliano Emanueli*, Electori Bavariæ, opem laturæ, Ulmam versus iter dirigebant, *Julius Armandus Colbertus*, Marquisius *de Blainville*, (qui tunc Præsidii Ulmensis Gallico - Bavarici Præfectum agebat,) Sueviæ ordinibus ad recreandum lassatum exercitum magna festinatione tributa imperavit; quoniam vero illi imperatas pecunias intra statum tempus exsolvere haud valebant, d. 15 Aprilis a Senatu Populoque Ulmensi datis apochis mutuum 150000 florenorum postulavit; cum autem nec ærario civitatis, tribulationibus hostium penitus exhausto, tanta paratæ pecuniæ summa suppeteret, Magistratus, ad avertendam *Colberti* (qui spoliationem ac extrema quævis urbi interminatus fuerat,) indignationem, civibus, antehac jam a Gallis tantum non devoratis, decuplicem censum, intra decendium sub pœna militaris executionis exsolvendum, indicere coactus fuit, quem deinde maxima illorum pars, deficiente pecunia signata, non sine lachrymis ac suspiriis, monilibus suis aureis vasisque argenteis, maxime vero mundo muliebri, dependit, ex quibus afflictissimorum incolarum exuviis, ut aviditati militum cito citius satisfieret, hi ipsi Numi conflati fuerunt, quorum alter, quem *Fig.* *11* monstrat, aureus sex Scutatos Rhenanos absolvit, alter vero, quem *Fig. 12* repræsentat, argenteus Florenum exæquavit, in quo maxime singulare, quod non tantum Aquila Imperiali notatus, sed & titulo Reipublicæ insignitus fuerit, addito epi- TAB. VIII Fig. 11. 12.

phonemate: *Da pacem nobis Domine*! quod ipsum humillimum optimæ Civitatis votum Deus optimus haud diu post clementissime exaudivit, qui etiam obduratum *Colberti* animum in extremo vitæ articulo adeo movit, ut Ulmensibus in testamento suo 100000 floren. legaverit, cui quidem pœnitentis testatoris mandato hæredes ejus, maximo cum civium & damno & mœrore, nunquam obsecundarunt. Sed, ne longiore sermone nauseam Lectoribus moveam, vela contraho, ac reliquorum *Numismatum Ulmensium*, ut & *Numorum* quorundam *Romanorum*, Imp. *Vespasiani*, *Trajani*, *Hadriani*, *Antonini*, *Getæ*, *Gordiani*, *Constantini*, &c. *in agro Ulmensi*, in quo varia olim militum Romanorum, inprimis autem, si *Heroldo* habenda fides, Legionis V Macedoniæ, stativa fuerant, una cum aliis Romanæ vetustatis monumentis (inter quæ inprimis statua Jovis Fulminantis, haud ita pridem in vicino vico Oehrenstein effossa, mox tamen ex irrationali religionis zelo destructa, ut & alia Idoli cujusdam gentilis in Ecclesia Kuchheimensi conspicua imago, celebrari merentur,) *passim repertorum*, *Descriptionem & Historiam*, si quidem levis hæcce opella L. B. non displicuerit, & propitium Numen vitam ulterius prorogaverit, alii occasioni reservo. Hisce vale, mi Lector, meisque conatibus, quæso, favere perge; sin vero in hacce Tractatione minus accurate aliquid scriptum est, errantem amice corrige, lapsumque favore tuo erige; quippe nihil humani a me alienum reputo, neque ulla in re infallibilitatem aliquam mihi tribuo, probe sciens, etiam summos interdum viros in hujusmodi argumentis graviter fuisse hallucinatos.

ELOGIUM CHRISTIANI GOTTLIEB LIEBII, Viri de re antiquaria & numismatica meritissimi.

Quo majora in suavissimas illas literas, quibus jucundum ab humanitate nomen, rem inprimis antiquariam & numismaticam, quo præclariora etiam in hos ipsos Annales nostros, olim merita fuerunt *Christiani Gottlieb Liebii*, Duci Saxo-Gothano ab Epistolis, & Numismatum custodia; hoc æquius est, Viri per omnem vitam in proferenda gentis nostræ gloria tam occupati, & nostrarum rerum tam amantis, memoriam æter-

nis

nis tabulis insculpi, & a posterorum oblivione modis omnibus defendi. Dabimus nos igitur hoc manibus B. Viri, ut, quæ olim maxime in nostri studio eminuit, virtutem ejus dignis hic præconiis concelebremus, &, quicquid præclare ab eo factorum meminisse licet, brevi, sed fortasse suum apud posteros pondus habitura, narratione persequamur. Tulit nobilissimum hunc Germanorum civem Frauensteinium, Misniæ oppidulum, ubi natus est d. 26 Jul. A. 1687, patre *Christiano Liebio*, Frauensteiniensis primum, postea Tschopaviensis, scholæ Rectore non ignobili, matre vero *Anna Catharina, Georgii Sigismundi Vulturii*, Ecclesiæ Blochwicensis Antistitis, filia. Jactis in schola Fribergensi, cui præerat tum temporis patruus ipsius, *Tobias Liebius*, solidioris doctrinæ fundamentis, A. 1706 Lipsiensem Academiam salutavit, eo animo, ut ad studia doctrinæ sanctioris, quantam posset, industriam converteret. Eam in rem celeberrimorum Academiæ nostræ doctorum, *Gothofr. Olearii*, *Thomæ Ittigii*, *Jo. Güntheri*, *Rom. Telleri*, & aliorum, scholas diligenter frequentavit, &, quem speraverat, exinde fructum retulit. Sed insederat inprimis animo ipsius insignis quidam literarum elegantiorum amor, quem, velut præsagiens, hoc aliquando fortunæ suæ se præsidio usurum, continua Autorum veterum lectione in dies magis confirmabat. Neque ipsum postea istius studii pœnituit, quippe quo factum est, ut eleganter scribendi singularem præ ceteris facultatem acquireret, &, quæcunque in manus eruditorum monumenta ingenii traderet, miram orationis gratiam venustatemque præ se ferrent. Pepere re ei præ ceteris hanc laudem *Nova* illa, hebdomatim ab anno 1715 ad 1719 edita, quibus, quæcunque inter gentes Europæas gesta fuerant recentissime, plane ac concinne enarravit. Sed, quod fieri plerumque solet, ut, quæ nobis maxime sunt in deliciis, in ea studia vehementissimo quodam impetu, etiam cum valetudinis periculo, feramur, idem accidisse nostro *Liebio* dolemus, qui, nisi in amœnioribus illis literis omnes teneræ ætatis vires consumsisset, forsan adhuc Musis suis, & nostris hisce *Actis*, viveret. Primum Academici laboris specimen editurus, A. 1710, Præside M. *Jo. Dan. Jacobi*, in cathedra Philosophorum *de Fœderibus veterum per dissectionem animalium factis* Dis-

ſertationem defendit; nec ita multo poſt, A. 1714, eadem in Academia ſupremos Philoſophiæ honores obtinuit. Quibus ut dignum ſe oſtenderet, publicavit eodem anno *de Roma Babylone ex numis* Diſſertationem doctiſſimam, poſtea A. 1717 denuo, cum acceſſionibus nonnullis, forma 8, editam. Ab eo tempore prodeſſe juventuti docendo cœpit, ita ſibi in hoc negotio verſandum arbitratus, ut eruditis ſimul innoteſcere ſcribendo poſſet. Eam in rem illuſtri illi *Anthologorum* Collegio, cui præſidium ac dulce decus hoc ipſo tempore Magnificus ac Summe Reverendus *Chriſt. Frid. Bœrnerus*, Academiæ noſtræ præclarum ornamentum, præbet, jam A. 1715 ſocium ſe adjunxit, percommodam hic, explicandi copiam doctrinæ & ingenii, occaſionem nactus. Altero anno poſt *Epiſtolam ad D. Salomonem Deylingium, qua conſilium de nova Bibliotheca Lutherana conſcribenda aperuit*, forma 8 edidit. Conſcendit & A. 1717 Theologorum cathedram, ductu *Gothofredi Olearii Obſervationes* nonnullas *Philologicas & Theologicas in Matth. XXIV, 30*, propugnans. Quæ, cum ita eſſent comparata, ut penes omnes magnam *Liebii* expectationem concitarent, ipſi Academiæ noſtræ ita commendarunt induſtriam ejus, ut is primo quoque tempore munus Concionatoris veſpertini in æde D. *Paulo* ſacra, & cum eo curam Bibliothecæ Academicæ vicariam, impetraret. Nec caruit Philoſophorum gratia, in quorum ordine aliquando locum occupaturus, *de Tautologia, ſeu vitioſa verborum repetitione*, A. 1721 Diſſertationem defendit. Inter hæc oportune accidit, ut virtus ejus innoteſceret magno in aula Principis Gothani Theologo, *Erneſto Salomoni Cypriano*, quo doctrinam *Liebii* Sapientiſſimo ſuo Principi, *Friderico II*, commendante, factum eſt, ut lautiſſimi ſtipendii *Franzkiani* ei A. 1718 uſus concederetur. Tam illuſtri beneficio ita ſe Noſter Sereniſſimæ Gothanæ domui devinctum ſenſit, ut ab illo tempore res ei ſuas omnes eſſe ſacras juſſerit. Anno igitur 1721 ipſe Gotham abiit, ubi aliquamdiu commoratus, &, inter alia cultioris doctrinæ ſpecimina, Illuſtriſſimam juventutem politioribus literis inſtituendi munere cum laude perfunctus, A. 1722, Sereniſſimi Principis juſſu ac ſumtibus, iter in regiones exteras, Belgium, Angliam, & Galliam,

ſuſ-

ſuſcepit, ubi, inſpectis paſſim nobilioribus librorum ac numorum theſauris, eam ſibi optimarum rerum peritiam acquiſivit, qua in gerendo aliquando munere ſibi cumprimis opus fore præſenſerat. Vix enim Gotham redierat, cum ei inſtructiſſimi numorum apparatus, qui in præcipuis illius urbis ornamentis numeratur, cura & cuſtodia, tunc *Chriſtiani Schlegelii* obitu deſtituta, autoritate maximi Gothorum Principis, committeretur. Nec digniori cuiquam id muneris potuiſſe demandari, vel ipſo exterorum judicio certiſſimum habetur, utpote quos immortali illo Opere, *Gotha numaria* inſcripto, & A. 1730 Amſtelædami forma majori publicato, ita in admirationem ſui traxit, ut, quantum ad rei antiquariæ & numiſmaticæ peritiam, *Patini* & *Vaillantii* prorſus æquare famam diceretur. Quod etſi unum Opus ad ipſius partim, partim ad Germanorum, ſufficere poſſe gloriam videbatur; alia tamen ei Noſter, etſi breviora, nec minus tamen diligenter compoſita, adjunxit, ex quibus omnibus, quantæ Vir induſtriæ, & in elegantioribus literis doctrinæ, fuerit, unicuique apparet. Anno enim 1723 Amſtelædami libellus ejus *de Pſeydonomia Jo. Calvini*, forma 8, poſtea vero A. 1730 Gothæ *præcipuorum tam Evangelicæ, quam Pontificiæ, Eccleſiæ Theologorum, qui Comitiis Auguſtanis anni 1530 interfuerunt*, *Vitæ*, ſermone ſcriptæ patrio; eodemque ſermone A. 1731 Altenburgi *Spicilegium ad Jo. Gottlob Hornii Vitam Henrici Illuſtris*, ex tabulario Altenburgenſi collectum, prodierunt. Nuper etiam ad novam *Cæſarum Juliani* editionem, vetuſtis numis & annotationibus eruditis illuſtrandam, animum appulerat, ſed ejus Operis non niſi partem prelo abſolutam vidit. Perfecit vero, quicquid reliquum fuerat hujus libri, illo mortuo Clariſſimus Gymnaſii Gothani doctor, *Jo. Mich. Heuſingerus*, cujus cura & *Liebianis* animadverſionibus ſuus locus eſt aſſignatus, &, ſicubi nihil illarum ſuppeteret, aliæ æque politæ acceſſerunt. His ipſis diebus prodiiſſe librum accepimus, cujus, cumprimum venerit in manus noſtras, pretium Lectori candide nos indicabimus. Multum præterea optimi *Liebii* manibus debent hæc *Acta* noſtra, quorum dignitatem inde a triginta annis ita continua ſua nobilique opera ſuſtinuit, ut inter eos, qui bene precantur Annalibus noſtris,

ftris, hi, qui fimiles *Liebii* focios in pofterum complures nobis expetunt a Superis, precari omnium optime videantur. Fuit enim in recenfendis libris, iis inprimis, qui fpectant ad rem numifmaticam & antiquariam, diligentiffimus, nec librorum tantum compendia dedit, fed, quod inprimis e re effe Lectorum videtur, ipfos etiam libros doctis plerumque animadverfionibus illuftravit. Inter varia illa ingenii ornamenta, quæ fæpius in eo admirati fumus, commemorari præ ceteris meretur infignis illa & prorfus mira fcribendi carminis facultas, qua multos ætatis fuæ Poetas, etiam qui maximi habentur, adhuc juvenis fuperavit, ut dubium fere fit nullum, quin, fi adultiori ætate profequi ipfi ftudia hæc amœniora licuiffet, numerari inter fummos omnis ævi Poetas potuerit. Habent inprimis *Elegiæ* ejus, quas, in tenuem fafciculum collectas, fub nomine *Carminum juvenilium* olim Lipfiæ conjunctim publicavit, molle & *Tibullianum* aliquid, cujus fuavitatem, occulta quadam vi animos Lectorum permulcentem, admirari magis, quam imitari, liceat. Tam præclare, modisque tam variis, de bonis literis merenti, honeftiffimus quisque, tam inter cives fuos, quam ipfos inter exteros, applaufit, & inter omnes conftat, quantæ paffim a præftantiffimis ævi noftri Scriptoribus, quorum plurimis frequenti literarum commercio junctus fuerat, ei laudes fint tributæ. Quibus ut digniffimus judicari poffit, non folum doctrina haud vulgari, fed moribus etiam candidiffimis, & ad humanitatem omnem compofitis, effecit. Fuit enim talis re vera *Liebius*, quales effe in focietate omnes decet, ad officia præftanda, fi quisquam alius, paratus, in fervandis promiffis conftans, & religiofus maxime in colendis iis, quos præ ceteris amantes ftudiofosque fui noverat. Matrimonium A. 1723 contraxit cum *Erdmutha Agnefa*, *Thomæ Andreæ Nicandri*, Duci Saxo-Ifenacenfi a Confiliis Ecclefiæ, & Diœcefeos Ifenacenfis Antiftitis primarii, filia; unde ei natus eft filius unicus, patri fuperftes, in tenera jam ætate feliciffimi ingenii manifefta figna præbens, &, fi quid ominari licet, ad parentis aliquando gloriam proxime acceffurus. Erigit hic aliqua ex parte fpem noftram, quæ plane cecidiffe morte Patris videbatur, Viri ob id unum nobis culpandi, quod literarum ftudia curæ valetudinis prætulerit, nec mature juftis remediis occurrerit fatali illi hominum eruditorum hofti, quem *hypochondriacum morbum* vocant Medici, cui quippe a multis inde annis, occulte primum, poftea gravius, impugnatus, tandem, in florentiffima ætate, annos nondum quinquaginta natus, anni præfentis die 7 Aprilis, infeliciter fuccubuit.

* * *

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris Anno MDCCXXXVI.

Die Heilige Schrift Alten und Neuen Testaments, ꝛc.
h. e.
BIBLIA SACRA VETERIS ET NOVI TEstamenti Germanica, jussu Serenissimi Principis, ERNESTI PII, explicata & illustrata, nunc jussu Serenissimi Principis Saxo-Gothani, FRIDERICI III, iterum recognita, emendata, aucta.
Volumina III.

Norimbergæ, apud Endteri Heredes, 1736, fol.
Tom. I Alph. 7 plag. 13, Tom. II Alph. 5, Tom. III Alph. 4 plag. 12, cum Fig. 55.

Magna semper fuit *Bibliorum Ernestinorum* autoritas in universa Ecclesia Lutherana, & magnum pretium; quod cum ex multis aliis rebus, & multis multorum doctissimorumque Theologorum honorificentissimis testimoniis, tum ex eo, intelligi potest, quod hoc nec molis exiguæ, nec parvi pretii, Opus, sextum nunc a secundo & quadragesimo superioris Seculi anno editur. Neque id mirum videri potest. Nam horum labore & opera perfectum est, quibus ad bene de sacris literis, atque de universa adeo Ecclesia Lutherana, merendum neque facultas defuit, neque voluntas. Nunc, cum & pia Serenissimi Principis cura, & doctissimorum Virorum labore, perfectum sit, uti nova or-

namenta Operi accesserint, non dubitamus, quin autoritatis etiam & pretii magnam sit accessionem habiturum. De hoc Opere autem, ejusque quasi originibus & Autoribus, etsi sæpe a multis est commemoratum; tamen, quoniam nunc demum ex literis publicis, atque multo adeo accuratius, ac antea, de ea re expositum est, nobis quoque aperiendarum Operis originum occasionem datam esse facultatemque videmus. Id accidit Magnifici *Ernesti Salomonis Cypriani* beneficio, qui, quod ipsi inprimis hoc datum erat negotii, nihil prætermisit, quod ad Opus perficiendum ornandumque pertinere videretur. Itaque etiam Præfationem novam adjecit, in qua cum alia graviter, ut de sacrarum literarum divinitate & ad salutem humanam vi, disputantur, tum accurate etiam, quæ diximus, traduntur. Sed ipsam narrationem aggrediamur.

Ernestus fuit superiori Seculo, Sereniss. *Friderici* ejus, qui nunc terris Saxo-Gothanis, non sapienter magis, quam feliciter, imperat, proavus. Is, cum totum se, quod inter omnes constat, ut ad omnes artes disciplinasque liberalissime juvandas ornandasque, sic ad hominum animos sacrarum literarum amore ac studio inflammandos, dedisset, quod non ignorabat, omnem pietatem atque adeo salutem humanam ab iis repetendam esse; cœpit superiori Seculo, in medio belli tricennalis incendio, de sacrarum literarum interpretatione Germanica ita edenda cogitare, ut, quæ quemcunque lectorem, etiam indoctum, propter rerum verborumque obscuritatem in legendo retinere possent, in ea explicarentur, illustrarentur, & quo modo quæque ad erudiendum quemque, emendandum, reprehendendum, admonendum, erigendumve, prodesse possint, demonstraretur. Qua in re perficienda tanta prudentia diligentiaque usus est, ut nihil, quod suscepti operis ratio & consilium postularet, ab ipso prætermissum esse videatur. Nam primum his Libros sacros explicandos illustrandosque locavit, qui tum in hoc genere plurimum posse credebantur, inter quos *Gerhardus* erat, *Glassius*, *Keslerus*, *Meysarth*, *Dilherrus*, *Slevoigtius*. Deinde constituit, eundem *Gerhardum* & *Glassium*, qui quasi præessent universo operi, &, quæ reliqui commentati essent, studiose perlegerent, de communi

mini consilio corrigerent, si quid fecus, ac ipsis videretur, scriptum esset, aut, quæ opus essent, adjicerent. In qua re tanta diligentia, dexteritate, studioque versati sunt, ut multorum librorum explicationes pæne novas fecerint. Ita perfecto opere, ad Theologos Jenenses, *Jo. Majorem*, eundem *Gerhardum*, & *Jo. Himmelium*, deferebatur; ut, adscito in societatem *Dilberro*, qui tum Eloquentiam, Historiam, & Poesin, ibi docebat, quanta diligentia possent, & accurate perlegerent, communique studio perficerent, ut quam absolutissimum ex ipsorum manibus exiret. Quod & factum recte est. Nam primum pæne singulis diebus coiere, &, quantum temporis potuerunt per reliqua negotia, in recognoscendo Opere, corrigendo, expoliendoque, posuerunt. In qua re tanta erat eorum religio, ut, quamvis diu multumque in literis sacris versati, nunquam tamen ad eam rem accederent, quin animum lectione earum ῥήσεων præparatum afferrent, quarum interpretatio examinanda erat: quod ex his literis intelligi potest, quæ a *Gerhardo* de ea re ad *Ernestum Pium* perscriptæ Gothæ servantur, & quarum huc pertinens pars Præfationi inserta est. Sed, quod facile intelligebatur, si ita pergeretur, nimium temporis illam recognitionem esse absumturam, placuit partiri inter se operas, ac, quæ dubia cuique, quæ corrigenda, addendaque, viderentur, hæc ad consilium referre, ut, re satis deliberata, quid faciendum sit, statueretur. Cum hæc tanquam lima ultima accessisset Operi, in ceteris comparandis ab idoneis hominibus, jussu Principis, laborabatur, quorum tanquam lucem sacræ literæ desiderant. Itaque Chronologicus Index, peregrinorum verborum explicatio, mensium Ebraicorum, ponderum, mensurarumque, cum nostris comparatio, Tabulæ Geographicæ, adjiciebantur, quibus indoctorum lectorum ignorantiæ subveniretur. Tandem, cum nihil Operi ad absolutionem deesse videretur, de eo emendate & nitide typis exscribendo cogitabatur. Post justam deliberationem tandem *Endterus*, Noribergensis, redemtor delectus est, qui tum *Jac. Knespelium* quendam habebat, qui errores operarum tolleret, eumque cum exercitatum in ea re, tum perdiligentem. Exorari etiam se passus est *Jo. Saubertus*, Theologus

logus Noribergensis, ut specimina typographica ad ipsum deferre *Endtero* liceret, & iis perlustrandis ipse corrigendisque operæ aliquid tribueret, si quid forte correctoris oculos, ut fit, fefellisset. Quæ res cum hoc profuit, ut emendatius exscriberetur liber, tum vero, ut quædam in ipso libro corrigerentur. Nam, cum esset Hebraice & Græce doctissimus, multa Theologos Jenenses monuit, quæ ipsorum diligentiam, quod fere in Opere tam longo accidit, fugerant; qui his ipsius monitis commoti, quod est ingenuorum & non tam ambitioni quam veritati consultum cupientium hominum, multa correxere. Fuerunt, qui verendum esse dictitarent, ne, quod *Sigism. Evenii* quædam in hoc explicandæ Scripturæ sacræ negotio partes fuissent, errores quidam irrepserint. Sed nihil est, quod id suspicetur quisquam. Nam *Evenii* labor non tam in explicando, quam in aliis rebus occupatus fuit, in quibus nihil ab hac parte peccari potest; neque satis certis argumentis confirmari potest, *Evenium* secus in quibusdam sensisse, ac Lutheranæ Religionis formula postulat. Nam omnis illa suspicio, quæ *Evenium* apud quosdam infamavit, a ludimagistris orta est, qui ægre ferebant, quædam in docendi ratione ab ipso innovari, atque hoc ipsum tum in sermonibus, tum in literis, præ se ferre, non satis sibi receptam rationem juventutis erudiendæ placere. Prodiit ergo, mortuo interea *Gerhardo*, A. 1641 præstantissimus liber, &, quod supra demonstratum est, avidos emtores non magis, quam lectores, invenit. Sed, quanquam nullis neque sumtibus *Ernestus Pius*, neque laboribus, quos diximus, Theologi, pepercerunt, tamen, ut sunt res humanæ, non potuit ita perfectum Opus ab omni parte esse, ut nihil peccaretur, neque quidquam ei addere posteritatis vel diligentia vel doctrina posset. Nam quis est, quin sciat, ab illo tempore multum novæ lucis antiquitati universæ, linguæ Ebraicæ, Historiæ veteri, atque ipsi Scripturæ sacræ, editis doctissimorum hominum Commentariis accessisse, ut nullum dubium sit, quin multa accuratius in hoc genere dici nunc scribique possint. Quamobrem, cum ante hos sex annos *Endteri* hæredes de nova ejus Operis editione cogitare cœpissent, & hoc con-

silium

ſilium ad Principem Gothanum, *Fridericum II*, detuliſſent, placuit optimo Principi, præſtantiſſimis quibusdam Theologis hoc negotii dare, ut totum Opus denuo recenſerent, &, ſi quid emendari adjicive e re videretur, id hac lege facerent, ne cum iis, quæ ante hos centum annos ſcripta ſunt, commiſcerentur, quæ nunc primum accederent. Et, cum ante hos quatuor annos, optimo Principe illo mortuo, res Gothana ad *Fridericum III* rediiſſet, isque de pia voluntate paterna cognoſſet, ſtrenue continuari ſuſceptum Opus juſſit, &, quicquid in ea re ſumtuum faciendum erat, id liberaliſſime erogavit. Jam, cum hi, quibus erat mandatum, abſolviſſent ſuum quisque penſum, non modo certi, iique doctiſſimi, Theologi, ſed omnes, qui Superintendentes vocari ſolent, per univerſum Ducatum Gothanum, juſſi ſunt, eorum labores ſtudioſe perlegere, & cum ad interpretationis leges, tum ad Eccleſiæ noſtræ ſymbola, exigere, ne quid irreperet ſcilicet, unde detrimentum capere res Lutherana poſſit. Acceſſere etiam nunc primum Operi de interpretatione ſacrarum literarum præcepta, Chronologia hiſtorica, explicatio verborum antiquorum & propterea obſcurorum, quæ in Germanica interpretatione Lutheri occurrunt, accuratior arcæ Noachicæ deſcriptio, nova Tabula Geographica, qua itinera *Pauli* indicantur, forma templi Hieroſolymitani, harmonia Evangeliſtarum, atque alia. Vides, Lector, quantæ ſint rerum utiliſſimarum huic Operi nunc acceſſiones factæ, quas, quorum liberalitati, providentiæ, curæ, ſtudioque, debemus, eorum ſalutem incolumitatemque gratis votis ab eo expetes, cujus numine ac beneficio ſacrarum literarum lux tenebras & noctem diſpulit, ſub qua dies humana jacebat.

AUGUSTI HERMANNI FRANCKII Introductio in Pſalterium generalis & ſpecialis. Edidit GOTTHILF AUGUSTUS FRANCKIUS, S. Theol. in Acad. Hal. Prof. Publ. Ord.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Orphanotrophei, 1734. 4.
Alph. 7.

 Vene-

Venerandus *Franckius*, qui, dum viveret, omne consilium, preces, rem denique & operam, ad amplificandum regnum Dei, propagandamque in animis Evangelicam Christi cognitionem, contulit, id vel maxime ad muneris doctoris Evangelici partes pertinere, ut Christum ubique in Scripturis etiam Veteris Testamenti investigaret, cum *Luthero* judicavit. Spirant propterea omnes conciones ejus nobilem Christi odorem: inprimis vero etiam in Psalmis *Davidis* id sibi datum esse existimavit, ut Christum, Psalmorum nucleum, singulari studio erueret. Testantur illud Commentationes ejus paræneticæ, Halæ ab A. 1704 usque ad A. 1707 in Psalterium lingua vernacula habitæ, postea A. 1730 & 1731 duobus Voluminibus in 4, cum Præf. Vener. *Gotthilf Augusti Franckii*, Filii, in lucem publicam emissæ, maxime vero hæ ipsæ Prælectiones Academicæ, quas B. Autor A. 1713 & 1714 in Psalmos ordine instituit. Illas tum temporis auditores nonnulli verbis, quibus primum animi sensa Vir beatus edisseruerat, calamo exceperant: cum vero ob concinnam brevitatem, & selectum observationum utilissimarum, dignæ hæ aliis, quæ ederentur, visæ essent, pari ratione prelo has parandas curavit Filius, *Gotthilf Augustus Franckius*. Junxerunt illi auxiliatrices hac in re manus triumviri, *Lindhammerus*, primum novi fori ad Halam tum temporis Pastor, nunc Ecclesiarum in Frisia Orientali Ephorus generalis, quem excepit *Johnius*, *Lindhammeri* Halæ in munere ecclesiastico successor, quo ipso mortuo *Geldhagenius*, nunc scholæ Nordhusanæ Conrector, telam denique pertexuit. Singuli suam in eo operam collocarunt, ut, quæ ab auditoribus B. *Franckii*, ex ore docentis, calamo excepta erant, a mendis purgarent, totumque Opus habitu, qui scripto in publicum edendo conveniret, sensu tamen Autoris & verbis etiam, quæ Latina elocutus fuerat, servatis, induerent. Ipse vero *Franckius*, Filius, hæc, denuo cum nonnullis ex Theologorum ordine Collegis communicata, ultimam ubique limam ipse adhibens, prelo denique subjecit. Non sunt quidem hæ Prælectiones plenior quædam Psalmorum expositio, sed Spicilegium observationum selectarum, post ampliores *Geieri*, *Tillii*, & aliorum,

mani-

nanipulos *Introductionis* titulo, quæ eruditis piisque aliorum
peris uti cum fructu doceat, propterea inscriptæ. Quodsi
uædam in hoc Opere minus perfecta Lectoribus visa fuerint,
qui rerum æstimatores illa partim liberiori recitationum A-
ademicarum indoli, partim quod plures ante Autoris obitum
nnos habitæ, nec ultimam ejus limam expertæ fuerint, par-
m tot tantisque cumulatis Viri laboribus, facile condonabunt.
Exhibetur in fronte Operis *Isagoge* in Psalterium *generalis*, an-
ea jam Germanicis in Psalmos Commentationibus, quæ duobus
Voluminibus in 4 prostant, præmissa, sed nunc in Latinum versa,
oc tamen discrimine observato, ut, quæ ibi quinque lectionibus
academicis distincta est, hic una serie paragraphis tantummodo
ntercisa currat tractatio, hic loci non omittenda, cum ad
anc in Introductione speciali sæpius Autor remittat. Exhi-
bet hæc generalis Introductio varia lectu dignissima de nomine
Psalterii, Psalmorum scriptoribus, tempore scriptionis, loco
voluminis in sacro Codice, numero, ordine, collatione Psalmo-
um in unum fasciculum, partitione totius libri, autoritate ca-
nonica, eminenti denique Psalterii pretio. Inprimis vero, quæ
d scopum Psalterii, & genuinam explicandi rationem, perti-
nent, fusius Autor persequitur. Attendendum esse ante omnia
d Christum tanquam scopum, objectum primarium & nu-
leum totius Psalterii, sollicite monet, Christi nomine, quæ ad
personam ejus, officium, adventum primum & secundum, re-
gnum gratiæ & gloriæ, corpus denique mysticum, & membra
ejus, pertinent, complectens. Dum vero rationem Psalmos
explicandi tradit Autor, inter sex, quæ adducit, subsidia primo
oco, Christum, qui clavem *Davidis* habet, secundum *Luc.*
XXIV, 45, & *Apoc. III*, 7, adeundum, & facultatem recte interpre-
andi Psalmos ab eo impetrandam esse, animis inculcare stu-
det. Hoc monito præmisso, in hanc notissimam viam nos in-
gredi vult, ut non tam aliorum verba sententiasque sequamur,
quam potius Scriptura duce in Scripturæ arcana penetremus.
Hinc secundo loco scripta inprimis Nov. Test. Evangelistarum
atque Apostolorum in subsidium adhibenda Psalmorum inter-
pretibus suadet, cum præ aliis Vet. Test. libris Psalterium fre-

quen-

quentissime in Nov. Test. testis loco adhibitum sit, sæpiusque, ut *Luc. I, 68*, coll. *Psalm. CXXXII, 17, 18*, etiam ubi nominatim non citatur, hic vel ille Psalmus respiciatur. Commendat hic vel maxime, ut ante omnia ea Nov. Test. loca, in quibus Psalterium expressis verbis testis advocatur, accuratius pensitemus, atque, rejectis aliis explicationibus, eam, quam Evangelistæ & Apostoli suppeditant, ratam habeamus, noxiam illam quorundam opinionem devitantes, qua, Christum & Apostolos Psalmos per accommodationem tantum allegasse sæpius, enervato sic argumentationum robore arbitrantur. Hoc subsidio usos, ex sensu hujus vel illius Psalmi per Nov. Test. stabilito aliorum petere interpretationem jubet, ita quidem, ut, *Psalmum XXII* de Christo patiente exponendum esse, per Nov. Test. edocti, *Psalmum XXXV*, huic parallelum, eadem ratione de Christo interpretari, &, *Psalmo XCVII*, per testimonium *Hebr. I, 6*, Christo vindicato, Psalmos inde a *XCI* usque ad *C* ad Christum ejusque regnum referre, discamus. Tertio inter hæc subsidia loco perpetuam Psalterii cum *Mose* collationem locat, non modo ad *Davidis* in lege studium, in Psalmis ubique obvium, provocans, sed etiam usum hujus subsidii collatione inter *Exod. XIX, 5*, & *Psalm. XXIV*, *Num. X, 31*, & *Psalm. LXVIII*, item inter *Gen. XIV, 18, 19, 20*, & *Psalm. CX*, instituta, luculenter confirmans. Quartum subsidium addit librorum historiam Vet. Test. & inprimis historiæ *Davidicæ* cum Psalmis comparationem, quippe quæ ad eruendum verborum sensum & explicandas personarum, locorum, & temporum, rationes, ipsis inscriptionibus Psalmorum huc monstrantibus, necessariæ sunt; qua occasione, *2 Sam. VII* & *1 Paralip. XVIII* novam vaticiniorum de Christo periodum inchoari, promissione de Messia, quod antea nondum factum erat, ad familiam *Davidis* adstricta, observat. His quintum subsidium Prophetarum collationem, collatis *Ps. LXXII*, & *Jes. LX*, item *Psalm. LXXX* & *Jes. V*, & sextum denique Psalmorum inter se comparationem, cujus usus ex *Psalm. XVIII*, *CXVI*, & *CXVIII*, item *Psalm. XVI*, *LXVIII*, & *CX*, collatione patet, instituendam adjungit. Cum vero hæc ipsa Psalmorum inter se facienda comparatio

præ-

præcipuum aliquod in interpretandis Pſalmis adminiculum ſit, *Obſervationibus 12*, quæ ad univerſæ Scripturæ interpretationem multum faciunt, hoc argumentum expedit. Conſideranda hic ante omnia, ex mente B. Autoris, ſermonis poetici in Pſalterio ſublimitas, non quidem ſyllabarum quantitate, menſura, & rhythmo, aſt ornatu longe excellentiore, illuſtri nimirum rerum repræſentatione, aptaque naturæ imitatione, qua rerum graviſſima imago vivis coloribus pingitur, dimetienda. Ubi quidem Pſalterium id præ aliis Scripturæ libris præcipui habet, ut liber canticorum Spiritus S. dici mereatur: qua in re ſalutare olim conſilium ad res divinas memoriæ firmius imprimendas, ſanctumque in laudibus divinis a pluribus, uno tamen ore, dicendis concentum efficiendum, venerari nos oportet. His notatis, pathologia ſacra, forma loquendi, quæ eſt in Pſalmis quibusdam, e. g. *Pſ. XII, CXXXII*, & aliis, dialogiſtica, nec non permutatio perſonarum, recte attendenda, obſervanda inſuper ſunt pronomina perſonalia, demonſtrativa, & poſſeſſiva. Sic *Pſ. LXXIV*, niſi pronomina *tuus* & *tibi* ſollicite notentur, nervus Pſalmi præcipuus incidetur, quippe in quo *Aſſaphus* Deum hoc vel maxime argumento commovere ſatagit, quod non ſua, ſed ipſius Dei, cauſa agatur. Porro ſingulares locutiones, atque ſignificationes ipſarum vocum Hebraicarum, e. g. quod *cornu Pſ. CXXXII, 17*, coll. *Dan. VII, VIII*, regnum ſignificet, notandæ: inprimis vero etiam illæ, quæ ex Hiſtoria peti debent, obſervandæ ſunt; qua ratione ſenſum *Pſ. LXXX, 3: Ante Ephrajimum, Benjaminem, & Manaſſem, excita potentiam*, ex *Num. X, 21 – 24*, ubi ſacrarium & arcam fœderis proxime ante tres illas tribus *Ephrajimi, Benjaminis, & Manaſſis*, anteceſſiſſe narratur, arceſſendum eſſe patebit. Præter hæc in Pſalterio differentia primi in mundum, & ſecundi ad judicium, adventus Chriſti, quod longe ante noſtra tempora obſervavit *Paulus Burgenſis*, ex Judæo Chriſtianus, in *Dialogo inter Saulum & Paulum*, nec non noviſſima populi Judaici, præeunte *Devt. XXXII*, fata, omnem interpretis attentionem merentur. Tandem & antithetorum ratio habenda, & imprecationum in impio, quæ propheticæ ſunt, ſenſus

recte tenendus. Finitis his Observationibus, Autor, quid de præcipuis Psalterii interpretibus sibi videatur, coronidis loco adjicit. Neque vero præpropere in Commentariorum libros involandum, sed nostro studio nexum orationis ordinemque scrutandum, quodlibet pensum cum præcedente componendum, linguæ avthenticæ virtutes & idiomata expendenda, loca denique consonantia evolvenda esse; tum vero aliorum commentationes, at bene explorandas, recte conferri posse, docet. Patres, licet, præter *Origenem* & *Hieronymum*, Hebraicæ linguæ expertes fuerint, non tamen in expositione Psalmorum omni sua laude privandos esse, cum sæpius, qua rem ipsam, succulentas magis, quam hi vel illi recentiorum, commentationes dederint, arbitratur; qua in re *Augustinum* præcipue & *Arnobium Juniorem*, quod Christum in Psalmis sollicite quæsiverint, appellat. Inter nostræ ecclesiæ doctores, quorum præcipuos tantum, qui sibi visi fuere, nimirum *Lutherum*, *Bugenhagium*, *Brentium*, *Draconitem*, *Reusnerum*, *Arndtium*, *Geierum*, & *Schmidium*, allegat, *Brentium* & *Schmidium* propter studium Christum in Psalmis investigandi, *Lutherum* & *Arndtium* propter doctrinæ ubertatem & practicam applicationem, *Geierum* vero propter solidam sensus literalis explanationem, præ aliis commendat. Inter Pontificios, post *Genebrardum*, *Muisium*, *Bellarminum*, & Dominos *de Portu regio* (vulgo *Messieurs du Port royal*) dictos, *Justiniani*, (cujus Observationes in Psalmos *Tom. II Supplem. Bibl. Critic. Anglic.* insertæ leguntur,) quod ex antiquissimis Judæorum & Rabbinorum scriptis selectissima loca, quæ Psalmos Novo Testamento convenienter exponunt, collegerit, mentionem facit. Ex Reformatis *Grotium*, (modo in locis de Christo caute legatur,) *Priceum*, inprimis vero *Sixtinum ab Amama*, ad sensum literalem exponendum multa præclara afferre docet. Tum vero *Coccejum*, (hypothesibus tamen ejus sobrie expensis,) *Salomonem van Till*, (cujus Commentarius Belgice primum editus, postea in Germanicum sermonem translatus est,) & *Petri Allixii* Psalterium, (cujus Præfationem inprimis commendat,) Anglice typis exscriptum, non sine fructu conferri posse existimat. Præmissa

hac

ac generali in Pſalterium Iſagoga, maximam libri partem ſpecialis in Pſalmum quemvis Introductio abſolvit. Non eſt critica hæc atque plenior philologica, quamvis in plurimis etiam Pſalmis poteſtatem præcipuarum vocum conſonis Scripturarum locis adductis Autor oſtendat, ſed eum in finem adornata, ut de autore cujusvis Pſalmi, occaſione eum ſcribendi, argumento, ſcopo & perſona loquentis, ſive etiam ejus, de quo, vel ad quem, ſermo dirigitur, tempore item, quo vel ſcripti Pſalmi, vel quod prophetico ſtilo illi reſpiciunt, de affectibus denique ſacris, ex quibus iſti Hymni nunquam non interpretandi, & de aliis ejus generis momentis, lectu omnino digniſſima exhibeat. Id Vener. Autor inter præcipua intendit, ut ad Chriſtum ubique, vel in humilitate, vel majeſtate, conſpiciendum, cum beneficiis ſuis vera fide apprehendendum, & amore intimo complectendum, lectores, applicatione ad uſus vitæ Chriſtianæ interſperſa, manu quaſi duceret. Qua in re ſi quid deſiderio Chriſtum ſuum ubique inveniendi plus juſto tribuiſſe viſus aliis fuerit, hos vel illos Pſalmos de Chriſto interpretatus, in quibus illis quidem Chriſtus non patet, excuſatius in eo Autorem erraviſſe judicabunt ſollicitius illum quærentes, forte etiam locis longe pluribus inventuri. Egregie hac de re Celeberrimus *Witſius* in Oeconom. fœd. Dei Lib. IV Cap. 6 judicat: *Licet modus in rebus ſit, tolerabilius tamen eum peccare exiſtimo, qui Chriſtum ſe videre arbitratur, ubi fortaſſe ſeſe non oſtendat, quam qui eum videre renuit, ubi ſe clare ſatis offert. Alterum enim indicium eſt animi Chriſtum diligentis, plurimumque, & vel minima, vel fortaſſe nulla, data occaſione de eo cogitantis, alterum ſegnem animum arguit, & qui tardus ad credendum ſit.* Ceterum ad animorum excitationem ex *Friſchii* Germanica in Pſalterium Commentatione, uſus prima libri editione,(poſtea enim, anno inprimis 1731, longe auctior prodiit,) multa huic Introductioni Autor inſeruit: ad confirmandam vero vel illuſtrandam interpretationem, præ aliis, quos non neglexit, *Sebaſtianum Schmidium* & *Sam. Bohlium* ſæpius appellavit. Inprimis vero Commentarium *Salom. van Till* diligentiſſime adhibuit, tum quod is illo tempore recen-

tiſſimus eſſet Interpres, qui aliorum ante ipſum laboribus ſedulo uſus, tum quod Chriſtum ſollicite in Pſalmis quæſiverit. Neque tamen cœco in partes ejus impetu ivit, verum, quod nimius interdum in conjecturis ſit, ſeceſſione etiam ab eo, ubi interpretationem cogit, libere facta, meliora ſedulo oſtendit.

HISTOIRE DE POLOGNE SOUS LE REgne d'Auguſte, &c.

h. e.

HISTORIA POLONIÆ REGNANTE AUguſto II, Autore Abbate DE PARTHENAY.

Tomi IV.

Hagæ Comitum, apud Jo. van Duren, 8.
Tom. I 1733, plag. 17, Tom. II 1733, plag. 16, Tom. III 1734, plag. 19, Tom. IV 1734, plag. $15\frac{1}{2}$.

Longe alterius ſe generis ſcriptorem profitetur, qui res geſtas *Auguſti II*, Patriæ quondam Patris deſideratiſſimi, hoc libro contexuit, quam quem nactus eſt nuper æmulus ejus quondam, qui multo ante debitum naturæ perſolvit, *Carolus XII*, Rex Suecorum. Hujus enim hiſtoria, quæ Cl. *Voltairio* Autore lucem adſpexit, tota ad percellendos diſtinendosque perpetua admiratione lectorum animos compoſita, nihil vulgare ſpirat, ſed, poematis inſtar, quanta quanta eſt, portentis veluti & narrationibus incredibilium rerum conſtat, ſi non alium, hunc certe, fructum allatura legentibus, ut, etiamſi veritati clariori in luce ponendæ non æque per omnia, otio tamen fallendo, egregie inſerviat. Aliter res habet cum Hiſtoria *Auguſti* noſtri, cujus Autor, tantum abeſt, ut *Voltairii* veſtigia premat, ut ab iis recedendum quam longiſſime, deque hoc ipſo conſilio ſuo non tantum candide monendos lectores ſuos, ſed & ejus rei rationem, duobus exemplis lapſuum a *Voltairio* admiſſorum prolatis, reddendam duxerit. Alterum deſumtum eſt ab oppugna-

pugnatione urbis Rigæ, A. 1700 ſuſcepta. Ea urbe, quæ princeps Livoniæ eſt, ut potiretur *Auguſtus*, præſente eo ſummam vim a *Flemmingio* & *Patkulio* adhibitam contendit *Voltairius*, cum, lente admodum proceſſiſſe oppugnationem eam, urbique parum damni attuliſſe, inter omnes conſtet. Alterum exemplum præbet *Voltairii* deſcriptio Altoniæ, quam ſupra Hamburgum ſitam, & foſſa inſtructam portuque, affirmat, quæ infra Hamburgum poſita, & foſſa & portu, cujus vicem Albis ſuſtinet, caret, longiſſimeque abeſt ab ea ſpecie, quam tribuit illi, ut facinus *Steinbockii*, ſubjectis eam facibus exurentis, quodammodo atrocius reddat, *Voltairius*. Ac ſimilia plura excidiſſe Viro Clariſſimo, Autor obſervat, non ferenda in Hiſtoria, utcunque toleranda forte in Poemate, ad cujus indolem *Voltairii* Opus quam proxime accedere contendit. Ipſe, neglectis ſtili ornamentis, veritatem ſummo ſectandam ſtudio, virtutemque ſine ullo hominum reſpectu laudandam, perinde ut vitia reprehendenda, ſibi duxit, ex quibus poſterius exemplo *Radziewskii*, Purpurati atque Archiepiſcopi Gneſenſis, cui animum ſubdolum, & ad alias ex aliis turbas ferendas natum, tribuit, confirmare ſtudet.

Ceterum Hiſtoria hæc in *octo* diviſa eſt *Libros*, & *quatuor Volumina*, ex quibus unicuique *Libri duo* deſtinantur, efficit. *Primus Liber*, poſt ſtatus Europæ totius, & Poloniæ inprimis, cum *Joannes III* e vivis decederet, deſcriptionem, ſtudia Polonorum cum in *Contio* Principe, tum *Auguſto* Rege, ſibi creando uberius exponit. *Alter* poſterioris electionis, priore irrita, felicem exitum, poſſeſſionemque regiæ dignitatis, *Auguſto*, poſt compoſitas, quibus Polonia in partes ſciſſa miſere agitabatur, turbas, denique aſſertam, fuſe enarrat. Ex *tertio Libro* cognoſcas, quid *Auguſtus* Rex domi militiæque geſſerit, quo pacto, ut potiora attingamus, turbas Lithuaniæ compreſſerit, quæ ejus fuerint molitiones adverſus Turcas, ut Kaminiecum iis eriperet, quo animo tulerit Brandenburgici, tum adhuc Electoris, poſtea primi Regis Boruſſiæ, conſilium, Elbingam veteris æris alieni cauſa ſibi præter opinionem vindicantis, & qua felicitate Kaminiecum denique, inita Carolovici cum Turcis pa-

ce, Poloniæ reddiderit. Nec minori cura descripta hic legas Comitia Varsoviensia anni 1699, eorumque exitum secundum, pacificationem cum Electore Brandenburgico, &, quæ eam consecuta est, Elbingæ recuperationem, initia belli Suecici capto castro Koberensi, oppugnataque urbe Rigensi, expugnationem castelli Dunamundensis, socia item arma Russorum, & cladem eorum inauditam ad Narvam. *Quarto Libro* enarrat Autor Comitia anni post Seculum decimum septimum primi minus auspicata, Suecorum transitum Dunæ, pugnamque cum clade Saxonum conjunctam, quæ eum proxime excepit, dissidia intestina Polonorum, majores in dies Suecorum in Polonia progressus, prælium Clissoviense, Sendomiriensem confœderationem, turbulenta Primatis consilia, *Caroli*, Regis Suecorum, animum implacabilem, & id unum spectantem, ut *Augustus* regno depelleretur, Pultescensem pugnam, Comitia Lublinensia, infaustam equestris magnæ Poloniæ ordinis consociationem, & secutum inde anno quarto hujus Seculi conventum Varsoviensem, *Caroli* impulsu *Augusto* regiam dignitatem extorquere ausum. *Quintus Liber*, qui *Tomum tertium* Operis hujus inchoat, captivitatem jam Principum Regiorum, *Jacobi* & *Constantini*, prope Vratislaviam interceptorum, fœdus cum *Petro*, Russorum Imperatore, Consilium Senatus Cracoviense, progressus Conventus Varsoviensis, Comitia Sendomiriensia, fœderatorum Varsoviensium, novum sibi Regem, hortatu *Caroli*, Suecorum Regis, circumspicientium, consilia, electionem *Stanislai*, clades *Augusti* iteratas, capta Varsovia quodammodo reparatas, victricia *Caroli*, Leopolim expugnantis, arma, prælium Puniсense, e quo inferior discedens *Schulenburgius*, persequentium se hostium vim callide elusit, Principum externorum, *Augusti* causam tuentium, inprimis Pontificis Romani, studia, Consilium Senatus Cracoviense, novam *Potoskii*, Palatini Kioviensis, auspiciis conditam sectam *Indifferentium*, Primatis apertam ab *Augusto* Rege defectionem & Comitia Varsoviensia, inaugurationem *Stanislai*, ab Archiepiscopo Leopolitano peractam, & mortem denique Primatis, quem diximus, *Michaelis Radziewskii*, viri ambiguæ fidei, &, parentis exemplo, veluti nati

ad

d patriam turbandam, complectitur. *Sexto Libro* plurium nnorum res gestæ exponuntur, in quibus offert se sponte sua stitutio Ordinis aquilæ albæ, Consilium Senatus Grodnoviense, rælium ad Frauenstadium, Suecorum in Saxoniam irruptio, ugna Kalischiana, *Augusti* in Saxoniam profectio & abdicatio egni, Senatus Consilium Leopolitanum, a *Sczembeckio*, nono rchiepiscopo Gnesensi, indictum, Comitia Lublinensia, reditus um *Stanislai*, tum *Caroli*, e Saxonia Poloniam, pervicacia e-s in persequendis Russis, prælium Lesnense, proditio *Mazep-e*, Cosacorum Ducis, status rerum in Polonia mirum in mo-um turbulentus, pugna ad obsessam a Suecis urbem Pulta-am, cum clade eorum summa atque internecina conjuncta, *ugusti*, postliminio regnum sibi extortum vindicantis, adventus Poloniam, discessus Suecorum *Stanislai*que in Pomeraniam, enatus Consilium Varsoviense, ejusque consultationes, ex voto *ugusti* peractæ, durantibusque adhuc illis Elbingæ urbis, quam uecorum præsidiis nudatam Russi sibi vindicabant, expugnatio. *eptimi* atque *octavi Libri*, qui supersunt, *Tomum*que hujus O-eris *quartum* efficiunt, argumenta ne per indiculum quidem ercensere necesse fuerit. Satis sit dixisse, Autorem, quo pro-ius ad recentissima tempora accedit, eo brevius singulorum nnorum res gestas perstringere. Fusius tamen *Libro septimo* narrat initia, progressus, & exitum Confœderationis, quæ ab nno decimo quinto hujus Seculi usque ad decimum septimum urbas in Polonia dedit. *Octavum*, eumque postremum, finit logio *Augusti*, digno inprimis, quod cum cura expendant Le-ctores, non improbaturi utique, quod mediam inter extrema uo vitia, adulationis, & perversæ libidinis omnia in maximis eroibus, forte ceterorum mortalium, quorum quisque suos atitur manes, haud exemtis, sugillandi, viam ingressus, scri-ptoris a partium studio alieni laudem ad finem usque Operis magna diligentia sectetur.

FRIDERICI HOFFMANNI, CONSILIARII RE-gis Borussorum intimi, & Archiatri, Opuscula Medico-Practica, seu Dissertationes selectiores antea diversis tempo-

temporibus editæ, nunc revisæ & auctiores, cum Præfatione, & rerum præcipuarum Indice.

Halæ, in officina Rengeriana, 1736, 4.
Alph. 3 plag. 8.

Quod primas istas & longe præstantissimas artis salutaris partes, rationalem puta, Pathologiam, & Therapiam, omnibus huc usque numeris non ita absolutas, ad idem nunc evectas conspiciamus fastigium, ad quod, indefesso doctissimorum hominum labore, adscenderunt hodie Anatomia, Physica, & Chymia, id, nisi unice, maxima tamen ex parte, referendum habemus felicissimo ævi nostri Medico, Illustri *Hoffmanno.* Ex quo enim, per dimidiam fere Seculi partem, vel exercendo suam artem, vel docendo, in ipsa morborum curatione errorum copiam animadvertit, numero pæne majorem, lapsusque quam maxime nocivos, nihil sibi magis curæ cordique fuisse, ipse quidem fatetur, quam ut pro virili, & nulla unquam prætermissa occasione, medendi scientiam in meliorem ordinem redigere, ejusque fundamenta firmiora reddere, elaboraret. Egregie illud ipsum jam dudum præstitit, ubi per quadraginta, & quod excurrit, annos, Dissertationes subsecive edidit, omne, quod tractandum sibi sumserat, argumentum plenissime exhaurientes. Sed, quod plerisque hujus generis scriptionibus accidere solet, ut varie scilicet initio distractæ ægrius deinde haberi possint, & mirifice desiderentur, id tanti ingenii fœtibus eodem modo evenisse, nemo facile erit, qui miretur. Verendum igitur erat, ne omnis improbi laboris spes ad irritum paulatim caderet, nisi, quæ seorsim in lucem dederat, in unum ipse fasciculum mature colligeret, &, uti maximam reliquarum Dissertationum suarum partem, ab interitu sic commode satis prohiberet. Sistit itaque Cel. Autor præsenti Volumine binas earum Dissertationum Decades, quas ad artem medicam circumspecte, & cum bono ægrorum commodo, exercendam potissimum facere, jure confidit; revidit easdem insuper, correxit, & optimis observationibus ac cautionibus adjectis auxit hinc inde atque illustravit. Hæc earum argumenta sunt: *Decadis I Diss.* 1) agit de naturæ & artis efficacia in medendo, 2) de recta

&

implicissima naturæ medendi methodo, 3) de medicamentorum prudenti applicatione in tempore, 4) de prudenti medicamentorum continuatione, 5) de vera medicamentorum in morbis virtute & efficacia rite dignoscenda, 6) de cognoscenda corporis humani natura ex effectu remediorum, 7) de medicina simplicissima & optima, motu, inedia, atque potu, 8) de mirabili lactis asinini in medendo usu, 9) de saluberrima seri lactis virtute, 10) de connubio aquarum mineralium cum lacte longe saluberrimo. *Decadis II* Diss. 1) de salium mediorum excellente in medendo virtute, 2) de sale medicinali Carolinarum, 3) de manna, ejusque præstantissimo in medicina usu, 4) de recto corticis Chinæ usu in febribus intermittentibus, 5) de purgantibus fortioribus ex praxi medica merito ejiciendis, 6) de medicina emetica & purgante post iram veneno, 7) de imprudente medicatione, multorum morborum & mortis causa, 8) de remediorum benignorum abusu & noxa, 9) de vesicantium & fonticulorum circumspecto in medicina usu, 10) de erroribus vulgaribus circa usum topicorum in praxi, exponit. Quæ omnes quanta diligentia & dexteritate elucubratæ sint, ut multis declaremus, supervacaneum nobis quidem videtur, cum ex reliquis Cel. Autoris scriptis hæc quoque æstimari debeant. Ut iis tamen, qui ab harum rerum lectione aliis studiis avocantur, salivam paulisper moveamus, ex ultima *primæ Decadis* tractatione, quæ saluberrimum aquarum mineralium cum lacte connubium exponit, quædam delibabimus. Quam insignis, ad avertendas & expugnandas gravissimas ægritudines, duobus hisce domesticis remediis, lacti scilicet & aquis mineralibus, virtus atque efficacia insit, suis jam tum temporibus animadvertisse, testatur Autor, *Hippocratem*, *Dioscoridem*, *Celsum*, & præstantissimos quosque Medicos; nihilo tamen minus a plurimis recentiorum, vel ex ignorantia vel præoccupata mente, negligi eadem, & penitus contemni, conqueritur. Meliora igitur ex natura eorundem edoctus, pristinam his remediis gloriam restituere plus simplici vice annisus est Autor. Constare enim lac, ut omnibus notum asserit, ex butyrosa pingui materia, sed paucissima, ex caseosa; denique terrestri solida, & aquea, tenui & subtili, quæ seri nomine veniat, & sale quodam

 dulci,

dulci, blando, abstergente, fœta sit. Ultimam hanc lactis substantiam omnem fere medicamentosam virtutem possidere, ait, & lac asininum præcipue eapropter commendat, quod copiosum serum dulce, paucam contra caseosam materiem, vehat; arcani immo loco hoc lac habendum esse, affirmat, modo non ita difficulter obtineri posset. Ut in aliis igitur lactis generibus dulce hoc serum augeretur, jam olim veteres cogitarunt. Per aquæ admixtionem lac corrigere solenne fuit *Hippocrati*; alii vero, ut facultatem lactis abstersivam intenderent, muriam eidem, mel, mulsumque, addiderunt. Non improbat hæc Autor; meliorem tamen & tutiorem effectum ab aquarum mineralium admixtione expectat, quam suam sententiam jam ante bene multos annos firmo fundamento superstruxit. Omnium etenim Medicorum primus, quod sine ostentationis nota de semet ipso profiteri poterat, omnibus Germaniæ & aliarum regionum aquis, quas acidulas plerumque, sed perperam, vocamus, præter alia sal fixum alcali eminens inesse deprehendit, easque omnes, cum quibus periculum fecit, Carolinas, Selteranas, Pyrmontanas, Egranas, Schwalbacenses, Spadanas, Antonianas, Schlangenbadenses, Buchenses, & Wildungenses, cum acidis vel validioribus vel mitioribus, ingenti bullularum copia, effervescere vidit. Quodsi igitur lac, liquor per se facile concrescens, hoc sub connubio, cum subtili & elemento alcalino acidularum intime permisceatur, illud ab infesto in stomacho coagulo defendi, Autor concludit, atque ita dilui, ut expeditissime per exilissimos canalium alveos trajici, colatoria subire, & per excretoria exire iterum, possit. Hæc itaque ambo, amico sic connubio juncta, iis potissimum in morbis in blandam & naturæ amicam medicinam coire asserit, ubi nec lac solum, ob coagulationis & obstructionis metum, nec minerales aquas, ob spirituosam vim & salinam acrimoniam, uti in omnibus ex pulmonum vitio oriundis morbis, propinare debeamus. Egregias denique, & propemodum divinas, hujus remedii virtutes, in corporis tabescentia & virium languore, in spasmodicis & hystericis adfectionibus, in melancholicis & maniacis, in intestinorum affectibus, quin etiam in purpura scorbutica, morbo, ante hos fere quinquaginta annos penitus inco-

gnito,

gnito, nostro vero hoc tempore admodum familiari, se deprehendisse, commemorat Autor omni fide dignissimus, & regulas tandem optimasque, circa harum aquarum cum lacte conjunctarum potationem, cautiones, pro more suo, hoc est, candide, suppeditat.

INSTITUTIONUM PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ Tomus posterior, complectens Philosophiam naturalem, sive Physicam; quem Collegiis privatis destinavit NIC. ENGELHARD, A. L. M. Philos. Doct. ejusdemque & Mathematum Prof. Ord.

Groningæ, typis Jac. Sipkes, 1734, 8.
Alph. 1 plag. 8, cum Tabb. æn. 8.

Secundum hoc *Volumen duabus* distinguitur *Partibus*, quarum 1) de Physica generali inscriptum est. Hujus *Cap. 1* de Physicæ natura agit & constitutione, ubi §. 5 causæ, in quas inquirit Pag. 1. 3.
Physica, vel physicæ dicuntur, vel mechanicæ; unde §. 8 dubitare quis possit, an phænomenorum rationem principia physica 5.
sufficienter ostendant. *Cap. 2* de corpore naturali, ejusque affectionibus in genere, tradit Cl. Autor. Hic eos recte asserit 7.
qualitates occultas in Physicam introducere, qui qualitatem immediate a divina voluntate deducunt, vel qui qualitatem aliquam in materiæ essentia fundari assumunt, præter rationem sufficientem. In causis vero omnium ultimis, an non tandem ad Deum, ens nempe summum, est redeundum? An & proprietates, quæ omnibus corporibus insunt, pro rationibus phænomenorum compositorum adducere absurdum est, quanquam harum proprietatum causæ ipsæ nondum sint assignatæ? Paulo post illa ante dicta quodammodo restringit Autor, concedens, rationes qua- 10.
litatum corpusculorum primariorum tuto nos ignorare. Sequitur præcipue in doctrina de materia Cel. *Wolffium*, hinc inde 24.
Newtonianos reprehendens. *Cap. 3* de mutationibus, quibus cor- 25.
pora naturalia obnoxia sunt, in genere exponit. Hic motum ve- 27.
rum, apparentem, mixtum, æquabilem, acceleratum, retardatum, explicat; ubi tamen observamus, motum uniformiter retardatum ibid.
esse, si continua celeritatis incrementa æqualibus temporibus

rint inæqualia. Sequuntur post doctrinæ de motu simplici,
Pag. 30. 33. composito, viribus centralibus, quarum quæ maxime ad tyrones faciunt, compendiose satis enarravit. Sic & durities, mollities,
38. 40. elasticitas, percussio, nec non densitas æque ac raritas, breviter
43. explicantur. Hinc nonnulla de refractione adduntur. Sequitur
47. doctrina de concursu corporum, quæ paulo copiosius est pertractata. *Cap.* 4 affectionibus corporum naturalium in eorundem
54. materia cohærente fundatis destinatum est, ubi iterum de duri-
57. tie nonnulla proferuntur. Concludit Autor hoc Caput tractan-
63. do de asperitate & lævitate, nec non crassitie ac tenuitate. *Cap.* 5
65. de corporum naturalium affectionibus in materia a cohærente
65. diversa fundatis disputat. De fluido hic tractaturus, hanc ejus dat definitionem: Fluidum corpus dicitur, cujus particulæ inter se
66. sunt inconnexæ, mutuo earum contactu a quacunque demum
73. 74. causa impedito. Paulo post iterum de molli agit. Tum caloris
82. theoriam aggreditur, hinc, quæ ad frigus spectant, ac maxime
89. notabilia de elasticitate, tradens. Immiscet Cl. Autor duos hic Paragraphos de viribus centralibus, in quorum ultimo præcipue elasticitatem & has vires confudisse videtur. Sic & §. CXIX linea penultima & ultima vitium ingens typographicum occurrit, quod, quanquam in erratis nonnihil correxit Cl. Autor, nondum tamen plenarie sustulit. Nec nobis licuit duas, numero 29 insignitas, deprehendere Figuras, quas allegatas vidimus, quippe non nisi unam deprehendentibus. Tandem de gravitate tractaturus,
93. eam verbis Cel. *Wolfii* definit. *Cap.* 6 de viribus corporum ad
104. machinas artificiales applicatis agit, ubi de quinque potentiis, &
123. circa finem de motu pendulorum. Hinc *Cap.* 7 ad actionem fluidorum in fluida & solida, & solidorum in fluida, progreditur. Doctrina de gravitate hoc continetur *Capite*, cum nonnullis thesibus hydrostaticis, ac theoria de fluidis prosilientibus, quam suppeditasse videntur Cel. *s'Gravesandii* Physices Elementa mathematica. Claudit hanc *Partem Caput* 8 de variis phænomenis
134. in motu corpusculorum invisibilium fundatis. Sub initium statim,
148. lucem ut causam, lumen ut effectum, se considerare, Cl. docet Autor. Tradit postea Opticam, Catoptricam, Dioptricam, ac
177. CCXXXVI experimenta optica *Newtoniana* brevissime enarrat;
185. tum nonnulla de sono exponit; addens etiam quædam de tono,

nec

nec non de echo, ac 2 Paragraphis de ſapore, 3 vero de odore, Pag. 194.
priorem hanc *Partem* concludit. *Pars II* Phyſica ſpecialis dicitur. 197.
Hic *Cap. 1* de terræ ſuperficie. In hujus *Capitis* initio brevis in- 207.
roductio in partem Aſtronomiæ ſphæricam de figura telluris 219.
comparet, quam excipiunt nonnulla de inundationibus, denique 224. 228.
le montibus. *Cap. 2* de corporibus viventibus in genere do- 231.
cet, ubi uno §. omnis de ſanitate & morbo doctrina contine-
ur. *Cap. 3* de corpore humano & animalium tradit. In 236.
hoc *Capite* diſtinguuntur animalia in

Sanguinea { pulmone { duobus cordis ventriculis, { vivipara, { aquatica, terreſtria. / ovipara. } / unico prædita. } / bronchiis reſpirantia. }

Exanguia { majora { mollia, cruſtacea. } / minora, ſive inſecta. } 237.

Tradit poſtea breviſſimam in Anato-
miam introductionem, Myologiam, Nevrologiam, Angiolo- 240.
giam. Tota etiam inſperſa eſt Phyſiologia. Generatio defi- 247.
nitur, quod nihil aliud ſit, quam evolutio ſtaminis corpuſculi 257.
organici præexiſtentis. De ſenſibus §§. quinque, de Oſteolo- 271.
gia vero unico Paragrapho, exponit. Sic & ſtatum corporis 273.
humani in Phyſica triplicem conſiderari, vigiliæ, ſomni, & 285.
inſomniorum, breviſſimis tradit. In *Cap. 4*, de Plantis, ſe- 301.
quitur methodum *Rivinianam*, & *Teichmeyeri* methodum 337.
arboris Dianæ formandæ annectit. In *Cap. 5*, de aqua & igne, 297.
doctrinas de æſtu maris, de ejus evaporatione, & de igne, per- 317.
ſequitur. *Cap. 6* de iis, quæ occurrunt in viſceribus terræ, ſi- 324.
ve de foſſilibus, ubi de terris, acido & alcali, lapidibus, ma- 330.
gnete, metallis; *Cap. 7* de atmoſphæra & meteoris, ubi de 338.
proprietatibus, aeris, de meteoris, igneis, emphaticis, iri- 341.
de; *Cap. 8* de ſole, ubi *pag. 402* linea 3 pro 31′ 10″. legen- 345.
dum 32′ 10″; *Cap. 9* de planetis, ubi *pag. 427* linea 11 pro 30° 350.
lege 13°, & *pag. 431* lin. ult. pro 7^d lege 79^d; *Cap. 10* de 356.
eclipſibus; *Cap. 11* de ſtellis fixis; *Cap. 12* de ſtellis novis atque 359.
cometis, diſſerit. De *priore* hujus Operis *Tomo* conferas, ſi 388. 392.
placet, 376.

placet, *Acta Mensis Julii A. 1733 pag. 321 seq.* Hic in genere de hoc nostro *Tomo* hæc monenda ducimus, in eo multa compendiose satis contineri, quæ docenti ansam præbeant amplius disserendi; at opus esse lectore sagaci, ne pressius in omnibus sequatur Cl. Autorem, quem tamen, quod multa non indicata vitia spectat typographica, plene excusatum quilibet moderatior habebit Lector. Nec in Figuris, earumve citatione, hinc inde eam, quam nobis promiseramus, observare licuit accurationem. Precamur Deum Opt. Max. velit Cl. Autorem seros in annos salvum incolumemque conservare, quo & hunc Cursum philosophicum, & alia adhuc eruditionis specimina, Reipublicæ literariæ in emolumentum eo citius possit absolvere & evulgare.

FUNDAMENTA STILI CULTIORIS IN USUM Auditorii adornavit, & Syllogen exemplorum adjecit JO. GOTTL. HEINECCIUS, JCtus. Editio sexta, auctior & locupletior.

Lipsiæ, sumtibus Caspari Fritschii, 1736, 8.
Alph. 1 plag. $10\frac{1}{2}$.

Quanta voluptate, quantoque applausu, exceptus fuerit iste elegantissimus *Heinecciani* ingenii foetus, tot tamque splendida Ephemeridum in Gallia Belgioque evulgatarum encomia, totque interpretationes, a doctoribus publica autoritate renuntiatis in hunc Librum institutæ, testantur, adeo ut pæne nobis vitio verti possit, cur nos applaudentium turbæ eo tempore subduxerimus, cum primum Fundamenta stili cultioris typis exscriberentur. Sed mirari desinet quilibet æquus rerum æstimator, cum perpenderit, ejusmodi librum semper accessionibus locupletari, nosque adeo præceptiones ante omnibus numeris absolutas ab Illustri Autore expectavisse, quam ad commendanda Cel. Autoris merita, nostris quidem laudibus longe majora, nos accingeremus. At, evulgata nuperrime, quam diu in votis habuimus, nova editione, tam nitide profecto, tamque terse, expressa, ut reliquis omnibus, si non palmam præripiat, saltem dubiam reddat, temperare nobis non possumus, quin meritis laudibus industriam Cel. Autoris condecoremus. Nam Bibliopola Lipsi-

Lipfienfis, *Cafpar Fritfchius*, Vir in tantum laudandus, in quan-
um indefeffus labor, & ftudium literas promovendi fuis fum-
ibus, intelligi poteft, in eo totus fuit, ut chartarum munditie
lucubratiffimum Cel. Autoris Opus fplendidius efficeret. Illud
uidem ab ipfo Autore impetrare non potuit, ut curas fuas po-
eriores fubinde adderet, easque locis fuis inferendas curaret,
ortaffis quia infudabat tum temporis *Elementis Juris Ger-
anici* confcribendis, interim, ne quid in fe defiderari pateretur,
edit operam, ut copia ipfi eorum, quæ quis ex Illuftris Autoris
re accepta libello adfcripfiffet, fieret. Cum igitur refciviffet,
offidere aliquem Mufæ *Heineccianæ* cultorem exemplum pe-
iliaribus annotationibus exornatum, preces, ut fecum id com-
unicaretur, admovit, quo impetrato, non moras nexuit, fed
atim prelo illud fubjiciendum effe cenfuit. Dignum itaque O-
us, quod dilucidius a nobis perpendatur, digna *Heineccii* facun-
a, quæ, cum in publico velut theatro fe confpiciendam præ-
ierit, publico etiam præmio, publicaque noftri applaufus te-
ificatione, cohoneftetur. Acceffit jam ad præftantiffimum il-
m Librum nova Præfatio, ab Anonymo exarata, ubi non pro-
taria paffim annotavit Autor illius, ipfis paragraphis adfcri-
enda, inprimis de editionibus antiquorum fcriptorum prorfus
eganter difputans. Nam, fplendidas editiones non ftatim emen-
tas effe, recte judicat, & ineptos effe Criticos, qui nefcio qua
perftitione lectiones in MStis codicibus obvenientes miro cor-
dunt ftudio, corrafisque omnes fere plagulas inquinare folent.
t vero vividam Libri hujus imaginem Lectori exhibeamus, o-
ræ pretium erit flores ex amœniffimo illo horto decerpere,
æceptaque ftili, a tanto fermonis Latini artifice profecta, co-
inus intueri. In limine ftatim Latinarum elegantiarum ftu-
ofos a duobus avocat vitiis, primo ne tam agrefti tamque
ipolito animo fint, ut omnia barbara & dicendi ratione hor-
la elucubrare velint fcripta, nec per omnem vitam id unice
ant, ut calamiftris intorqueant orationem, &, fe folos fapere,
teros volitare velut umbras, exiftiment. Pofteaquam eos re- Pag. 3.
tarat, qui, fola ingenii ubertate, affiduaque exercitatione, fine
æceptorum ope, ad eloquentiæ Romanæ culmen perveniri
ffe, credunt, delabitur ad divifionem variorum ftili fun-
damen-

damentorum, quæ ita disponit, ut tractationem universam in tres partes abire jubeat. Una agit de generalioribus tersæ latinitatis fundamentis, altera de variis Scriptoribus in soluta oratione usitatis, & tertia de variis cultioris stili facultatem assequendi subsidiis. Prima igitur fontes aperit, ex quibus, velut larga penu, egregia emanant præcepta, masculum profecto Oratorem efficientia, si doctrina, assiduitasque naturæ, accesserit. Postulat enim casta dictio justam verborum compositionem, cujus perfectrix *Grammatica* est. Exigit ea porro sententias necessarias, sine quibus vanam potius loquentiam, quam eloquentiam, arguimus, hasque vel suppeditat *Philosophia*, vel apte disponit atque exornat *Rhetorica*. Inde trium generum enascuntur elegantioris stili fundamenta, *Grammatica, Philosophica, Rhetorica*, in quibus omnibus *Pars prima* hujus Opusculi versatur. Nos singula Capita perlustremus, &, quæ notatu maxime digna videbuntur, Lectori propinemus. Quamvis hæc tractatio de fundamentis stili Grammaticis tantum ex Grammaticorum scholis addiscenda esset, tamen, cum multa perperam ab iisdem dicta fuerint, pauca, quæ præ ceteris necessaria sunt, observavit Ill. Autor. Nam, inquit, *non negligenda sunt minora, sine quibus majora constare non possunt*. Ad illa fundamenta refert cognitionem *Orthographiæ genuinam*, *Etymologiam*, & *Syntaxin* cumprimis ornatam. Orthographiæ igitur præcepta traditurus post *Aldum Manutium*, *Dausqutjum*, *Cellarium*, *Schurtzfleischium*, cavere nos ante omnia jubet ab illa quorundam affectatione, qui nescio quod scribendi genus non publici saporis introducunt; deinde carpit nimiam eorum negligentiam, qui strenue ignorant illas lautitias, & nullam plane vel linguæ ipsius, vel antiquorum monumentorum, in scribendo habendam esse rationem existimant. Distinguit tamen cum cura monumenta vetera, & majus pretium numis, quam inscriptionibus, statuit. Nam in marmoribus, ait, sæpe aberrant indocti lapicidæ, atque opifices semigræculi. Quis enim scriberet *scæna* pro *scena*, *temptare* pro *tentare*, *Epistula* pro *Epistola*? Observandæ vero sunt quædam regulæ orthographicæ tum de literis, earumque mutatione, tum de abbreviatione & divisione vocum, tum de ipsis vocabulis quibusdam,

Pag. 8.

dam, quæ falso scribuntur, & de quibus omnibus egregie plane Cel. Autor cum *Cellario* disserit in §. VI - XI. Ad Etymologiam perrecturus, monet, ne vel aliena vel peregrina vocabulis tribuatur significatio, deinde suadet, ne vocabula, quæ ab omni analogia abhorrent, admittantur. Nam recte, ait, a *Julio Cæsare* dictum est: *tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.* Dubium hic putat esse Cel. Autor, an in censum illum referenda vox sit *in præsentiarum.* Nam, ut, analogiæ non adversari hanc formam, ostendat *Jac. Perizonius*, existimat, exponendam esse vocem per ellipsin vocis *tempore.* Sed non injuria fatetur Ill. Autor, se nondum perspicere, quid sit *tempus præsentiarum. Pag. 26* ostendit, in particulis omnem fere sitam esse linguæ Latinæ elegantiam, ideoque, magno exemplorum numero ex scriptoribus bonæ notæ excitato, satis luculenter genuinum earundem usum lectoribus monstrat. Sed, quia in nulla re facilius labuntur tirones, quam in Syntaxi, animadversiones primo more suo Ill. Autor addit de vitiosa Syntaxi, & ad ornatam deinde progressus, haud vulgaria animis juvenum inculcat. Hanc autem versari dicit partim circa *transpositionem*, partim *additionem*, partim *abjectionem* vocum, ubi demum variationem casuum Grammaticam prorsus elegantem instituens, paucis, iisque perspicuis, regulis exempla auro contra cariora subjicit. *Capite II* agit de fundamentis stili Rhetoricis, &, cum Rhetorica præcipiat quædam de *inventione*, *dispositione*, *elocutione*, & *actione*, ipsi cum sola elocutione negotium est, de qua operam dedit, ut multa, quæ in plerisque Rhetoricis scriptis frustra quæsiveris, in medium adduceret. Quicquid vero de elocutione tradit Rhetorica, illud omne ad quatuor potissimum capita referendum videtur. Nam, uti *Cicero* ait de Oratore III, 10, quis esset dicendi modus melior, quam ut *latine*, ut *concinne*, ut *ornate*, & ad id, quodcunque agetur, *apte congruenter*que, dicamus? Sermonis itaque castitatem ut inculcent animis juvenum eruditi, in id enisi sunt omnes, ut integris libris voces parum Latinas ac suspectas colligerent, velut *Vossius*, *Vorstius*, *Cellarius*, *Duckerus*, *Morhofius*, *Jensius*, *Gipbanius*, sed, cum tædiosa ea methodus Illustri Autori videatur, satius esse ducit, regulas quasdam de vocabulis suspectis suppeditare. *Primo* ab-

Pag. 22.

28.

49.

53.

55.

 stine-

ftinere nos jubet a vocibus hibridis, nec adhibendas esse putat voces, quæ analogiæ Grammaticæ repugnant, ut *æquanimiter*. Non enim credibile est, ex *animus* fecisse Latinos *animiter*. Porro, non utendum esse, præcipit, vocabulis barbaræ originis, Græcis, & Græcismis, nominibus colorum in *edo*, nec non adjectivis in *alis* & *abilis* desinentibus, vocabulis ecclesiasticis, juridicis, philosophicis, poeticis, archaismis, quos ipse *Cicero* velut obsoletos & inquinatos damnat. *Pag.* 70 ad alteram orationis partem descendit, & *concinnitatem* delineaturus, primo definitionem ex *Cicerone de Orat. III* & *Aristotele Rhetor. Lib. III Cap. 9 §. 4* excitat, deinde dispescit periodos in *simplices* & *compositas*, has denique in bimembres, trimembres, quadrimembres, πνεύματα, & sic porro; ubi quidem non recedit a vulgari Rhetoricorum præceptione, interim tamen in elaborando ipso argumento singularia quædam deprehendimus. Nam ubivis exempla disertissime concepta subjungit, & consectaria inde deducit haud spernenda. Absolutissimam vero & magnificentissimam esse putat Ill. Autor quadrimembrem periodum, qua non tantum aures delinire valemus, utpote penes quas superbissimum esse solet judicium, sed etiam integrum adornare judicium possumus. Id quod probavit exemplo *Mureti*, qui in *P. I Orat. 22* copiosissime pronuntiavit. Nec a fortuna sibi datam occasionem dimittit Cel. Autor aliqua differendi de numero oratorio, de quo alii abjectius judicare assolent, sed multum nitoris decedere orationi monstrat, si ejurare omnem vellemus numerum. Dixerat aliquando *Gracchus*: *Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit probos improbare, qui improbos probet.* Hanc sententiam *Cicero* commutavit mascule ita: *Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare.* Hactenus de concinnitate; jam, quid ornatam reddat orationem, curatius Cel. Autor *pag. 90* ostendit. Et hinc quidem primas partes translationi aptæ & moderatæ defert, deinceps huc refert reliquos tropos & figuras, sed selectiores. Plures enim sunt, inquit, quæ vix quidquam venustatis habent. Gratias quoque omnes spirare credit formulas antiquas & adagia, quæ in omnibus linguis idem præstare videntur, quod in cibis condimentum. Mirifice insuper sibi nonnulli placent versibus & hemi-

hemiſtichiis Poetarum, ſed illi verſus proſæ admixti Ill. *Heineccii* judicio vix laudem merentur, niſi vel teſtimonii cauſa inſerantur, vel dictio ejusmodi poetica ſolutiore ſtilo exprimatur. Reliquum eſt, ut, quomodo *apte* dicendum ſit, præmonſtratorem *Heineccium* ſequamur. Nam, cum abſonum ſit, omni perſonæ easdem veſtes aptare, noſtra quoque intereſt, ut varios dicendi characteres & formas in numerato habeamus. Primo, quod ad brevitatem vel ubertatem ſermonis attinet, dividit Cel. Autor ſtilum in *Laconicum, Atticum, Rhodium*, & *Aſiaticum*, deinde, quod ſpectat ad ſtili *quantitatem*, aliud eſt, docente *Heineccio*, *magnificum*, aliud *mediocre*, aliud *tenue*, dicendi Pag. 115.
genus, de quorum characterum uſu ſolam commendat *Demetrii Phalerei* περὶ τῆς ἑρμηνείας *n. 120* regulam: τὸ δὲ πρέπον 126.
ἐν παντὶ πράγματι φυλακτέον. Τ8τεςι προσφόρως ἑρμηνευτέον· τὰ μὲν μικρὰ μικρῶς, τὰ δὲ μεγάλα μεγάλως. Omnes vero has ſtili differentias ad formam potius illius, quam ad materiam, pertinere contendit. Si igitur hanc conſideres, ſex 127.
ſuppeditabit Ill. Autor dicendi formas vel ideas, *perſpicuam, grandem, pulchram, moratam, concitatam*, & eam, quam dicendi vim appellare ſolent. Sequitur hic maximam partem *Hermogenem*, ita quidem, ut, quæ ſubtiliter diſputavit, reſecet, &, quæ ad formas ſtili illuſtrandas faciunt, afferat. Ceterum, cum non eadem omnes deceat oratio, alius ſtilus eſſe dicitur τεχνικὸς, vel ἐπιςημονικὸς, vulgo philoſophicus, alius ἱςορικὸς, hiſtoricus, alius διαλογικὸς, vulgo dialogiſticus, alius ῥητορικὸς, oratorius, alius πολιτικός, civilis, alius ἐπιςολικὸς, epiſtolicus, alius denique ποιητικὸς, poeticus, de ſingulis ſtrictim ſuccincteque egregia profert. Pleriſque dicendi characteribus communem 140.
eſſe ait τὴν δριμύτητα, i. e. genus quoddam orationis *acutum* 165.
atque *argutum*, cujus ſtili ne juvenibus occulta ſit ratio, dicit, omne acumen vel in verbis, vel in propoſitionibus, vel in ipſis enthymematibus, eſſe poſitum. Sed verba illa omnia, quantumvis ornata, in vanam abibunt loquentiam, niſi ſententiæ ſubſint, tanto verborum apparatu dignæ, quas ordinat Philoſophia. Hinc 171.
de fundamentis ſtili philoſophicis *Capite III* fuſe agit Ill. Autor, quorum duo ait dari genera, alia *ſingularibus periodis*, alia *integris argumentis*, ſuppeditare materiam. Nam, ſi paulo accu-

 ratius

ratius ſpectes periodorum naturam, ad amplificandam orationem facere quamplurimum *definitionem*, *diviſionem*, *cauſas rerum*, ipſas *rationes*, *effectus*, & *adjuncta rerum*, quibus ſæpe
Pag. 176. egregie exornatur periodus, ſtatim videbis. Nec minus, uti veriſſime docet Ill. Autor, *contraria* & *conditiones*, *ſententiæ*que ex intimis Philoſophiæ adytis depromendæ ſunt, niſi ineptire, nubesque & inania captare velis. *Integris* autem *argumentis* inſerviunt mirifice *loci communes*, *Syllogiſmi*, & *Enthymemata*. Dici non poteſt, quantum ejusmodi loci communes, hoc eſt, politica aut moralia themata, ornent orationem, ideoque operæ pretium eſſe duxit Ill. Autor, ſollicitius de iis exponere *pag. 178*. Languida vero & nervis deſtituta eſſet oratio, niſi Syllogiſmis conſtaret, hoc eſt, juſta ratiocinatione, cujus ſingulæ partes ita deducuntur, ut Syllogiſmi forma, in tanta verborum copia latitans, non niſi a viris doctis poſſit animadverti. Qua ratione igitur elaborandus ſit Syllogismus oratorius, quo ordine tum propoſitiones, tum membra ipſa, diſponenda ſint, eruditiſſime monſtrat *pag. 184 ſeq*. Et hæc de *prima Parte* ſufficiant. Jam, cum ad reliquas nobis ſit deſcendendum partes, vela contrahemus, & paucis ea expediemus, quæ ab Ill. Autore in iis præclare dicta fuerunt. Oſtendit enim, quomodo ſecundum regulas ſuperius adductas elaborandæ ſint *Epiſtolæ*, *Orationes ſcholaſticæ*,
191. *Panegyrici*, *Dialogi*, & *Inſcriptiones*. Per Epiſtolas non intelligit eas, quæ eruditionis oſtentandæ, ſed teſtandi amoris, aut animorum conciliandorum, cauſa ſcribi ſolent. Hinc propinandas eſſe juvenibus arbitratur Epiſtolas *Ciceronis*, *Plinii*, *Manutii*, *Mureti*, *Eraſmi*, *Erythræi*, *Schurtzfleiſchii*, quæ, cum feſtivæ, & facetæ, & concinnis ſententiis, tanquam gemmis, diſtinctæ ſint, merito aſſidua lectione in ſuccum & ſanguinem vertendæ, nec
193. unquam e manibus deponendæ eſſent. Dividit deinde Epiſtolas in familiares & elaboratiores, de quibus ſigillatim pauca monebimus. In Epiſtolis familiaribus primo propoſitiones, de quibus ſcribere cupimus, juſto ordine poni ante oculos jubet, deinde ſuadet, ut diſpiciamus, habeantne inter ſe aliquid commune, an plane diſſimilis ſint naturæ, id quod dabit elegantem connexionem. Ad elaboratiores quod attinet Epiſtolas, in iis unam ſibi perſuadet regnare propoſitionem, ad quam, tanquam ad centrum,

trum, omnes reliquæ partes referuntur. Tandem de titulis Epistolarum monet, eum esse tenendum modum, ut ne vel antiquitatis affectatione, vel stili barbarie ac novitate, reprehensionem jure mereamur. Alterum scriptionis genus, quo nonnunquam etiam nostro ævo utimur, sunt *Orationes*, quas præterire noluit Ill. Autor, quamvis multi jam Rhetores de iis ex instituto egerint. Quapropter enarrat primo triplex Orationum genus, apud veteres usitatum, ***demonstrativum***, quo in ἐκκλησίαις Græciæ, ***deliberativum***, quo in Conciliis & Comitiis, & ***judiciale***, quo in foro & judiciis utebantur, deinde asserit, triplicis illius causarum generis, quo universa veterum Rhetorica nititur, hodie nullum superesse usum. Nam, etsi aliquæ dentur Oratoriæ Latinæ reliquiæ, declamationes tamen umbraticas solummodo esse arbitratur, quas ad genus διδασκαλικὸν referre solent viri docti. Declamationem itaque scripturo id præcipue agendum est, ut de themate sollicitus sit, ut argumenta exsuscitet, riteque disponat, ut exordia magis specialia, quam generaliora, seligat, ut in conclusione argumenta repetat, affectus moveat, neque tamen in illud proruat vitium, quod παρένθυρσον vocaverat supra Ill. Autor *P. I Cap. II n. 54*. De Panegyricis *Capite III* exponit, &, tradita descriptione illorum, quæstionem ventilandam proponit, an viri sapientis sit, scribere Panegyricos. Ut vero tanto magis pateat, quomodo scribenda sit Panegyris, duo constituit genera, unum ***Syntheticum***, alterum ***Analyticum***, aitque, in Panegyricis conscribendis e veteribus ingenium exercuisse *Plinium*, & duodecim illorum Panegyricorum Autores, quos junctim *Christ. Cellarius* edidit, & ad quos harum lautitiarum & venerum cultores ablegat. Quemadmodum autem declamationibus disciplinæ argumenta sufficiunt, ita, Panegyrico historiam apparatum suppeditare, Ill. Autor contendit, & colophonem huic tractationi imponit disquisitione satis erudita de stilo Panegyricorum, quod is debeat esse *sublimis, gravis, acutus*, nonnunquam etiam, si ita ferat materiæ ratio, *concitatus*. Excipiunt hoc *Caput* præceptiones de *Dialogis*, quos, etsi vilescere nostra ætate videamus, non spernendos tamen esse, Ill. Autor censet. Quapropter, descripta Dialogi natura, pergit ad divisionem illius, ubi ait absolvi collo-

Pag. 202. 206. 210. 236. 247.

 quia

quia *παρασκευῇ ἀγῶνι* & *ἐπιλόγῳ*, & tandem eximia in medium de ſtilo Dialogorum affert, juvenes ſumma ope adhortans, ut perſonarum, quas loquentes introducunt, habeant rationem, nec pueris cothurnos vel Herculi ſoccos aptent. Ultimum hujus *Partis Caput* naturam *Inſcriptionum* expendit, &, cum ultimis potiſſimum temporibus, id eſt, patrum noſtrorum memoria, novam veluti faciem induerint, has recte in *antiquas* & *novas* dividit. Has ut paulo accuratius ſecundum ſimplicitatem atque venuſtatem veterum exprimere diſcamus, quædam
Pag. 251. tum circa materiam, diſpoſitionemque, tum circa elocutionem, ac orthographiam, monet, & multa pro ea, qua ſplendet Ill. Autor, eruditione de ſtilo lapidari diſputat. Nunc ordo poſtulat, ut etiam *Partis III* delicias deguſtemus, quæ non poſſunt non eo ſuaviores nobis eſſe, quo impenſius optare ſolemus ſubſidia ad rem tanti momenti tantæque jucunditatis adipiſcendam. Quilibet politioris literaturæ & liberalis diſciplinæ cultor annititur eo, ut ſuam dictionem ad veterum elegantiam effingat, ſed plerumque viam ignorat, qua ad geminæ eloquentiæ faſtigium graſſamur. Eam in rem omnis præceptorum theſaurus reſeratur, &, unde hauriri poſſit Latinæ linguæ caſtitas, pluribus edocetur. Sed, cum multum referat, quo ordine, quave ratione, Autores claſſicos evolvamus, de ea quoque re haud ſpernenda præcipit Ill. Autor, atque, præmonſtrante *Tanaquillo Fabro* in *Capite I* de Autorum lectione, antiquos
269 ſeq. *Latii* ſcriptores ita diſponit, ut quatuor curſibus ille ambitus facillime abſolvi poſſit. Nec multum etiam afferret utilitatis Autorum lectio, niſi accederet imitatio. Quare, ut totam imitandi artem recte teneamus, de duobus potiſſimum capitibus
314. cogitandum eſſe cenſet, de *virili* & *maſcula* imitatione. Illam non adeo difficilem eſſe ait, propterea quod phraſes modo ab Autore mutuatas accipiat, modo additis quibusdam detractisque vocibus aut circumſtantiis refingat, ſed *maſcula* hæc videtur imitandi ratio, qua Autoris *inventionem*, *diſpoſitionem*, *elocutionem*, & *characterem*, aſſequi contendimus. Tandem ad metam pervenitur, nec quidquam videtur reliquum eſſe, quam ut videamus, quid Cel. Autor docuerit de variis ſtili exercitiis.
333. Tironibus videlicet auſpicantibus commendat *Verſionem*, quippe

pe omnium facillimam exercitationem, eosque *variationi* etiam casuum, verborum, phrasium, figurarumque, paululum assuetos avocat ad *carminis solutionem, coarctationem, amplificationem, characteris mutationem, descriptionem, ethopœiam*, hoc est, imitationem sermonis, moribus alicujus & negotio accommodatam. Ne vero quis existimet, Illustrem *Heineccium* præcepisse ea, quæ imitatione exprimi nequeant, syllogen exemplorum attexuit, præcepta superiora illustrantium, ex qua patet, quam mirus in ea re artifex sit Noster, quam vivide, quantoque orationis flumine, sensa animi sua depingat. Gratulamur igitur nobis de tanto cultioris Latinitatis vindice, &, ut Ill. Autor in posterum literis elegantioribus quam diutissime invigilare possit, ex animo precamur.

NOVA LITERARIA.

Tandem Mediolano lætissimum de publicato *Scriptorum Italiæ Tomo vigesimo quinto*, ab aliquot inde annis avidissime expectato, nuntium accepimus. Eam in rem communicabimus cum Lectore nostro integrum Programma *Philippi Argelati*, Societati Palatinæ a Secretis, Viri Clarissimi, nuper demum editum, & ad nos missum, unde, quid boni secum ferat hoc Volumen, aliqua ex parte possit cognosci:

Tandem expectatus diu publicam in lucem prodit XXIII ordine, sed XXV numero, Italicarum Rerum Tomus, non ab otio nostro, sed a fortunæ malignitate, longam nimis, nobisque gravissimam, hactenus moram passus. Etsi enim editionis impeditæ causam facile tribuas excitatis apud nos bellorum motibus, quæ integro ferme triennio nos, nostraque omnia, miserandum in modum exagitarunt; nihilo tamen minus belli strepitus, otio literario suapte natura infestissimi, quod constantes animo fuerimus, studia nostra evertere minime potuerunt, & vix unquam, si Dis placet, a proposito nostro alienaturos esse confidimus. Quicquid enim temporis ac virium supererit, id totum in absolvendam Muratorianæ Collectionis editionem, & liberandam, ut decet, fidem nostram, ultro conferemus, de patria, atque universa Italia, bene merituri. Ea est humanarum rerum natura, ut una alte-

alteram excipiat, & nodus nodum priori arctissime strictus aliquando subsequatur, atque inde, quæ simplex initio causa, in plures mox diducta, conatus omnes nostros ad vim ipsius declinandam elusit; neque intererit hic ea recensere, quæ ingenio suo conjectari quisque facile possit. Quamobrem ad editionem nostram redeo, ac tædium diuturnæ hujus expectationis multis in posterum modis levaturos nos esse spondeo, quod brevi scilicet alterum Tomum, *cujus potissima pars prelum subiit, & quod in utroque pretiosissimos codices invenies, qui nunc primum evulgantur, & celebratissimi nominis Autores habent, ut in Elencho, quem pro more ad calcem hujus Epistolæ remittimus, tute ipse, Lector humanissime, cognoscere poteris, gratiam pro eruditione atque benignitate tua Clarissimo* Muratorio *nobisque fortassis habiturus. Scripta, quæ hoc ipso Volumine in lucem proferuntur, hæc sunt :* 1) Antonii Hyvani, *Sarazanensis, Commentariolus de Bello Volaterrano, A. 1472 a Florentinis gesto, nunc primum prodit e Codicibus MStis Comitum* Guidonum *& Bibliotheca Strozzianæ.* 2) Leodrisii Cribelli *Libri duo de expeditione Pii Papæ Secundi in Turcas, nunc primum luce donati e MSto Codice* Philippi Argelati, *S. C. C. M. a Secretis.* 3) Jacobi Volaterrani *Diarium Romanum ab Anno 1484, nunc primum editum ex MSto Codice Bibliotheca Estensis.* 4) Augustini, *Patricii Senensis, Descriptio adventus* Friderici III *Imperatoris ad* Paulum *Papam II, e Museo Italico* Joannis Mabillonii. 5) *Annales* de Raimo, *sive brevis Historia rerum in Regno Neapolitano gestarum ab Anno 1197 ad 1486, Autoribus* Ludovico Seniore *&* Juniore de Raimo, *nunc primum prodeunt e MSto Codice* Ignatii Mariæ Comi, *Nobilis Viri Neapolitani.* 6) Antonii Galli, *Genuensis, Opuscula historica de rebus gestis populi Genuensis, & de navigatione Columbi, nunc primum in lucem efferuntur e MSto Codice Genuensi.* 7) *Historia Montisferrati ab origine Marchionum illius tractus usque ad A. 1490, Autore* Benvenuto de Sancto Georgio, *Comite Blandratæ, in omnium commodum nunc recusa.* 8) *Ephemerides Senenses ab A. 1450 usque ad 1496, Italico sermone scriptæ ab* Allegretto de Allegretis, *nunc primum luce donantur e Manuscripto Codice Viri*

Cla-

Clarissimi, Huberti Benvoglienti, *Patricii Senensis.* 9) *Annales Bononienses* F. Hieronymi de Bursellis, *Bononiensis, Ordinis Prædicatorum, ab A. 1418 usque ad 1497, nunc primum prodeunt ex MSto Codice Bononiensi.* 10) Andreæ Naugerii, *Patricii Veneti, Historia Veneta, Italico sermone scripta, ab origine urbis usque ad A. 1498, nunc primum tenebris erepta e MSto Codice Bibliothecæ Estensis. Tomum hunc illustrissimo Collegio JCtorum, Equitum, Judicum, atque Comitum hujusce Mediolanensis urbis, dedicavimus, unde plures in Palatinam Societatem nostram literatissimi Viri derivarunt, ea potissimum ratione ad officium inclinati, quod bonæ apud nos literæ, atque ipsa rerum magistra Jurisprudentia, in ipso Collegio Clarissimorum Virorum enutritæ, autoritate ipsius intercedente, incrementum ubique nanciscantur. Si vero pretiosus alter in præsenti Collectione datus est Tomus, hic sane pretiosissimus, quod historica monumenta variarum Italiæ nostræ civitatum contineat, imo & rerum in Oriente ab Italis gestarum diligentissimos Commentarios, a* Leodrisio *nempe* Cribello, *Mediolanensi cive, peregregie scriptos, in iis libris, quibus de expeditione* Pii *Papæ* II *in Turcas titulum præposuit. Tam celebris Scriptoris labor prope deperditus luce adhuc, qua dignus est, caruisset, nisi in perquirendis veterum Historicorum libris mihi Codicem hunc, in pergamena scriptum, optimæ sane notæ, sors amica obtulisset, quem eo libentius nactus sum, ut & Palatinæ Societati meæ pergratum donum offerrem,* & *eruditorum communi commodo evulgandum curarem. Ab eodem Orientalium rerum argumento non discedit &* Andreas Naugerius, *Venetus, in patria sua Historia, quam vernacule scripsit, cum id ratio temporum & Venetorum egregia facta frequentissime poscant. Singulos referre Autores non vacat, omnes hactenus ineditos, præter unum* Benvenutum de S. Georgio, *quem iterum recudimus, quod ejus libri tanta sit raritas, ut MSti etiam Codicis loco habeatur, ob eamque causam carissimus erit futurus; neque patiebatur Cl.* Muratorii *institutum, ut celebratissimus Scriptor Rerum Montisferrati extra chorum Italorum Scriptorum esset inquirendus. Operam igitur tuam iterum ad ve-*

teres Italorum res cognoscendas revoca, & nobiscum praesentium malorum molestiam, pejorum olim temporum facta comparatione, fortiter sustine, ac vale.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa in hoc Volumine recensentur.

I. Libri Theologici, & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

Fran-

II. Libri Juridici.

III. Libri Medici & Physici.

IV. Libri Mathematici.

Hum:

V. Libri Historici, Geographici, &c.

De

VI. Libri Miſcellanei.

Reidii

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Arte-

Fo hi,

Helve-

L.

l. 37

Locum-

Nava-

N.

O.

Philo

XXV,

Act.

T.

V.

W.

EMENDANDA.

Pag. 4 *lin.* 9 pro *partem* lege *partim*; *pag.* 8 *lin.* 21 pro *Auelio* lege *Aurelio*; *ead. pag. lin. ult.* pro *aureæ* lege 48; *pag.* 16 *lin.* 23 pro *utlitatem* lege *utilitatem*; *pag.* 30 *lin.* 17 pro *fystemate* lege *systemate*; *pag.* 52 *lin.* 6 pro *mutatos* lege *mutatas*; *pag.* 69 *lin.* 10 pro *Longovillarum* lege *Longovillanum*; *pag.* 119 *lin.* 2 pro *qua* lege *quo*; *pag.* 170 *lin.* 29 pro *Maeed.* lege *Maced.*; *ead. pag.* & *lin.* pro *Lib.* lege *leg.*; *pag.* 174 *lin.* 31 pro *Emphitevticis* lege *Emphytevticis*; *pag.* 199 *lin.* 27 pro *tamen* lege *tam*; *pag.* 317 *lin.* 23 pro *consetuturus* lege *consecuturus*; *pag.* 368 *lin.* 27 pro *perveniant* lege *proveniant*; *pag.* 503 *lin.* 7 pro *parentatem* lege *parentalem*; *pag.* 524 *lin.* 28 & 33 pro *Gottlieb* lege *Sigismundi*; *pag.* 547 *lin.* 14 pro *inscriptum* lege *inscripta*; *pag.* 555 *lin. ult.* pro *argamentis* lege *argumentis*.